




SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

IOANNIS AVGVSTI ERNESTI

# INSTITVTIO INTERPRETIS NOVI TESTAMENTI

---

EDITIONEM QVINTAM

SVIS OBSERVATIONIBVS AVCTAM

CVRAVIT

CHRISTOPH. FRIDER. AMMON

---

LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

CIↃIↃCCCIX.

VIRO

SVMME VENERABILI

IOANNI IACOBO

GRIESBACH

THEOLOGIAE DOCTORI
EIVSDEMQVE IN ACADEMIA IENENSI
PROFESSORI PRIMARIO, SERENISSI-
MO DVCI VINARIENSI A CONSILIIS
ECCLESIAE INTIMIS, PRAELAT. IENENS.
DEPVT. REL.

TIBI, Vir bonorum laudibus Celebratiſſime, hunc librum inſcribi, duplici cauſa permotus curaui, cum vt meae erga TE pietati, qua nulli cedo, ſatisfieret, tum quód Erneſtium, vel poſt fata immortalem, ſuam interpretis N. T. inſtitutionem ſponte ſua ad TE delaturum fuiſſe exiſtimo. Tanta enim ſunt merita TVA de liberali noui foederis explicatione; tanta remotiſſimos fontes adiiſti ſolertia et ſagacitate, inſpectos aperuiſti, apertos in latiſſimum criſeos N. T. campum deriuaſti; tanta denique eruditione pariter ac adſiduitate praeceptis hermeneuticis lucem vel ipſe accendiſti, vel accenſam propagaſti; vt haec

omnia

omnia ingrato ſilentio premere nemo poſſit, niſi qui ipſe literis male cupiat. Quae cum ita ſint, patiaris quaeſo, Vir ſumme Venerabilis, me publice nunc nominis TVI ſtudium ardentiſſimum profiteri, TIBIque perſuadeas velim, me nuſpiam mihi magis placere, quam in vera meritorum TVORVM admiratione. Vale mihique faue.

PRAE-

# PRAEFATIO
## EDITIONIS QUINTAE.

*De interpretatione narrationum mirabilium N. T.*

Distractis quartae editionis libri *Erneſtiani* exemplis, nouae deſcriptionis curandae prouinciam iterum ad me detulit librarius, vir honeſtiſſimus, qui negotiis ſuis haud ſemel de bonis literis bene meruit. Nolui detrectare laborem et officium, non, quod alios eo non longe melius fungi poſſe putarem, ſed ne conferendi ſymbolam ad idoneam interpretationem N. T. qualemcunque occaſionem praetermitterem. Limaui itaque ea, quae ad priorem editionem obſeruata erant, nonnulla ex aduerſariis adieci, hic illic praecepta auctoris, in notis ſcilicet, ingenio temporis attemperaui, reliqua exemplis illuſtraui. Hac enim ratione facillime effici poſſe iudicaui, vt futurus librorum ſacrorum interpres adſiduo huius libri ſtudio rite gubernetur et in rectam viam deducatur,

catur, quamuis institutio ipsa, qualis ab *Ernestio* profecta est, propter auctas inde a triginta annis subsidiorum criticorum copias, nonnullis laboret incommodis nunc aegerrime remouendis. Multa enim cummaxime in scholis hermeneuticis praecipi possunt debentque de origine librorum N. T., de interpretibus et compositoribus eorum (v. c. in euangeliis Matthaei et Iohannis), de fontibus institutionis Iesu Christi (v. c. in oratione dominica et parabolis), de Christologia et re mythica Iudaeorum (v. c. 1. Petr. III, 19. s.), de gnosi biblica, de plantis et animalibus in N. T. obuiis, aliisque argumentis ab auctore nostro siue plane praetermissis, siue leuissimo tantum penicillo tactis. His autem de rebus quum in obseruationibus a nobis adspersis omnino disputari non potuerit, adiiciemus saltem nonnulla *de idonea narrationum mirabilium in N. T. obuiarum interpretatione*, ne editoris officio omnino defuisse videamur.

Videlicet multa occurrunt in prima religionis Christianae historia, quae a communi rerum ordine recessisse putantur proptereaque in miraculorum numero habentur. Insita

ſita enim eſt animo humano ſummi cupido communesque rerum cauſas praeteruolandi facilitas, quae, vtut a rectis intellectus legibus ſemper improbetur, rationi tamen non vbique aduerſatur, ſed fidem potius interdum alit, qua ſcientia, ceu ſummo fundamento, innititur. Procliue itaque eſt ad intelligendum, homines pios probosque, qui omnia, quae fiunt, ad Deum referre ſoleant, ſi animum ad ſcribendum adpulerint, nouae inprimis religionis initia ita literis conſignaturos eſſe, vt numinis voluntatem, opera, decreta vbique ſibi habeant praeſentiſſima; quod quam vere dictum ſit, omnis N. T. hiſtoria loquitur. Eiusmodi narrationes dum explicandas ſibi ſumit interpres, hoc ſibi imponit ſimul officii, vt non auctoris verba ſolum in ſuam linguam transferat, ſed dicta eius etiam in ſenſum clarum reſoluat, effectus ad cauſas ſuas reuocet, euenta legibus idoneis adliget, hacque nota inſigni traditiones a narrationibus, ſomnia a factis diſtinguat. Non ſufficit, animaduertere ad Matth. III, 17., vocem coelitus emiſſam fuiſſe, qutum Ieſus baptiſmo prolueretur: adde potius e loco parallelo Ioh. XII,

XII, 29., βροντὴν γεγονέναι de liquido, cui ſuam quiuis ſententiam, ceu oraculo diuino, ſubſternere ſolebat. Non ſatis eſt, obſeruare ad Act. IX, 4. ſſ., Paulum verba miſcuiſſe cum Ieſu Chriſto e nubibus eum compellante: interpres enim idoneus prouocabit ad locum ſimilis plane argumenti XXII, 17., quo diſerte ſcribitur, apoſtolum γενόμενον ἐν ἐκςάσει cum Ieſu collocutum eſſe. Hoc enim iuris ſi nobis denegatum eſſet in illuminandis libris ſacris, quorſum eos nobis explicandos ſumeremus; quidni quemuis potius in iis legendis per arbitrium ſapere, vel deſipere pateremur; quare non cuiuis eos figmentis, allegoriis, fanaticisque opinionibus implendos relinqueremus? Magna debetur verecundia animis hominum, concedo; cauendum eſt, ne conſcientiam aegrotam vulneremus, non refugio; quid, quod parcendum eſt etiam ſuperſtitioni, e qua fides haud raro ſubnaſcitur, non contra dico. Videant modo, qui in hac meticuloſitate ſibi placent, haec omnia pertinere magis ad prudentiam, paſtoralem vocant, quam ad prouinciam interpretis, qui de euentu et efficacia ſanae explicationis ſecurus ſenſum auctoris ſui indagat

gat eumque aequalibus suis ita propinat; vt non verbis solum verba adnumeret vel adpingat, sed suum etiam de veritate huius sensus iudicium interponat. Qua in re dum sedulo versatur, summam *primum* adhibebit ἀκρίβειαν grammaticam in serie orationis rite explicanda, ne singulis vocibus, vel loquendi formulis falsum, siue ambiguum sensum substernens miracula fingat a mente et sensu scriptoris plane aliena. Sic Matth. VIII, 3. καθαρίσαι non est purum *reddere*, sed purum *declarare*; Iesu enim tempore non sacerdotibus solum, sed doctoribus etiam virisque sapientibus ius erat, leprae caussas atque indolem explorandi, aegrotosque in societatem, e qua eiecti erant, reducendi. [1]) Alio loco eiusdem euangelistae XIV, 26. περιπατεῖν ἐπὶ τὴν θάλασσαν non est fluctibus *insistere* ceu continenti, vt ipse somniat *Hieronymus*, sed *am-*

1) Mischn. tr. נגעים cap. VII. חכמים משהרים, sapientes leprosum purum *iudicant*. Addit tamen idem tractatus, magnas inter חכמים atque רבים de lepra ortas esse lites; sacerdotes enim aqua et igne saepius interdicebant leprosis, qui a sapientibus puri erant iudicati. Vide, quam bene haec omnia conueniant loco nostro.

*ambulare per vndas* in regione vadoſa, deinde *natare* (v. 29.); Ieſus enim diſcipulis, qui propter venti impotentiam nauim remis adpellere non poterant, cum meando, tum natando obuiam venit, Capernaumum cum illis rediturus. [a]) Eadem ſedulitate *etiam* curabit ſanus interpres, ne, aliorum auctoritate fretus, opinionibus ſeruiat praeiudicatis et errores inueteratos ſuo iudicio confirmet. Notum eſt in vulgus, vel erectiores de plebe offendi daemonibus in gregem porcorum effuſis Matth. VIII, 28. ſſ.: docet autem natura morbi, quam euangeliſta deſcribit, doloribus non a ſpiritu impuro, ſed ab *idea* diaboli oriundis excruciatum fuiſſe aegrotum, qui priſtinam ſanitatem non tam medicis, quam pſychologicis remediis vſus recuperauit. Verba Ioh. XIX, 34. *λόγχη ἔνυξε τὴν πλευρὰν αὐτοῦ* a nonnullis de vulnere

a) *Περιπατεῖν ἐπὶ τῆς θαλάσσης* idem eſt, quod *ἐπιβαίνειν τῆς θαλάσσης* (v. vitam Gregorii Nazianz., opp. Colon. 1690. t. I. p. 5.), *ambulare per vndas*: deinde reſpondet hebraico הלך על פני המים, Gen. VII, 18. Pſ. CIV, 26., quod de nauibus vſurpatur. Sap. Sal. V, 10. *ναῦς διερχομένη κυμαινόμενον ὕδωρ.*

nere pericardii explicantur; confundunt itaque νύσσειν et καταβάλλειν, *ferire* et *traiicere*, senſu a mente euangeliſtae plane alieno. Ad locum Luc. XXIV, 40. videſis obſeruationes interpretum de manibus *pedibusque* Ieſu Chriſti in cruce perforatis; docent tamen ſcriptores fide digni, pedes maleficorum raro clauis, ſaepius reſtibus, interdum etiam manus pedesque eorum ſparto, vel funibus cruci adligatos fuiſſe. [3]) *Eodem* iure autem temperabit ſibi interpres a coniecturis audacibus friuolisque, quibus narrationes auctorum ſacrorum deformantur et in fabulas aniles conuertuntur, quod poſt *Woolſtonium* inprimis a *Bahrdtio* factum eſſe legimus; Lazarum enim Ieſumque ipſum non vere vita defunctos, ſed animi deli-

3) Vide poſt *Lipſium* et *Bynaeum* doctam *Pauli*, viri nobis amiciſſimi, diſſertationem (Memorabil. Lipſ. 1793. Part. IV. p. 36. ſ.). Addimus locum, qui hucuſque interpretum diligentiam effugit, e *Xenophontis* Epheſiacis l. IV. de Abrocoma a praefecto Aegypti in crucem ſublato: *καὶ ἀναστήσαντες τὸν σταυρὸν προσαρτῶσι, σπάρτοις τὰς χεῖρας σφίγξαντες καὶ τοὺς πόδας· τοῦτο γὰρ τῆς ἀνασταυρώσεως ἔθος τοῖς ἐκεῖ.* Edit. *Mitſcherlichii* Biponti 1794. p. 282.

deliquium tantum passos fuisse, deinde Iesum non in coelum, sed in montem oliuarum adscendisse volunt, vt fati iniuriam effugiens in desideratam solitudinem se reciperet. Vereor autem, ne duumuirorum istorum vestigia prementes modesta interpretationis libertate abutamur; quamuis enim de hominibus rediuiuis atque δευτεροπότμοις res satis expedita sit [4]), certum est tamen, Iohannem de Lazari, euangelistas autem omnes de vera Iesu Christi morte non dubitauisse. [5]) Malim itaque in his, tironibus praesertim, commendare tum prudentiam, quae grauissima N. T. miracula a studiis suspicionibusque praeproperis seruet intacta,

4) Nec minore fama, cum occurrisset ignoto funeri, relato homine atque seruato. *Plin.* H. N. XXVI, 8. de Asclepiade. Cf. *Philostratum* vit. Apoll. C. IV, 45. Exemplum longe illustrius memoriae mandauit *Plutarchus* de Thespesio Solensi: κατενεχθεὶς γὰρ ἐξ ὕψους τινὸς εἰς τράχηλον, οὐ γενομένου τραύματος, ἀλλὰ πληγῆς μόνον, ἐξέθανε, καὶ τριταῖος ἤδη π[illegible] τὰς ταφὰς αὐτὰς ἀνήνεγκε, ταχὺ ῥωσθεὶς καὶ παρ' αὐτῷ γενόμενος κ. τ. λ. *De sera numinis vindicta* opp. ed. *Reiskii* t. VIII. p. 230.

5) Vide comment. nostr. *de vera Iesu Christi publice fato functi reuiuiscentia.* Erlangae 1808.

intacta, tum ſapientiam, quae non arbitretur, nos bene ſcire ea, quae neſciamus. In aliam *contra* abimus ſententiam, ſi in ipſa ſcriptoris narratione occurrant nonnulla, quae coniecturae locum faciant nexumque cauſarum naturalem portendant. Noli itaque praetermittere admonitionem Mariae in nuptiis Canenſibus, οἶνον οὐκ ἔχουσι Ioh. II, 3.: probat enim, ſuboluiſſe matri Ieſu Chriſti de liberalitate filii erga nouos coniuges, quam antea iam animo conceperat. Neque verba ἀντλήσατε νῦν v. 8. poteſtate carent ſingulari; non aqua enim, qua hydriae repletae erant, ſed aqua inde in vrceolos hauſta vini naturam induebat, quo non niſi mixto et temperato vti ſolebant conuiuae. Adde locum Ioh. V, 14., quo hominem in thermis Betheſdae ſanatum grauiter admonet Ieſus, ne ad priſtina facinora redeat. Docet autem v. 5., illum iam eo aetatis progreſſum fuiſſe, vt exhortatio de vitanda impuritate venerea locum haberet nullum; ſuſpicari itaque fas eſt, hominem mendicitati, e qua vitae alimenta et quaeſtum petierat, inuitum licet, ereptum et auctoritate Ieſu Chriſti ad meliorem frugem

reuo-

reuocatum esse. [6]) *Neque* alienum est ab interpretis officio, hic illic interserere caussas medias ab auctore sacro praetermissas; constat enim, feruida ingenia ad finem narrationum properare saepiusque omittere ea, e quibus euentus mirabilis proxime pependit. Sic recte obseruatur ad Matth. XIV, 15., non omnem populum caruisse cibo, sed magnam partem eius; prope enim erat Pascha Iudaeorum Ioh. VI, 4., quod Hierosolymis comedere solebant, iter non sine amplo commeatu suscepturi. Absonum igitur non est, statuere, Iesum paucos panes piscesque coenae suae destinatos distribuisse proximis v. 19., vt exemplo suo reliquos ad similem humanitatem excitaret. Diserte enim testatur euangelista, Iesum ipsum fregisse panes plebi aequis portionibus diribendos, quod, nisi nouum finxeris pro-

6) Noli immorari iis, quae *Cyrillus* Hierosolymitanus (homil. in h. l. opp. ed. Paris. 1720. p. 336.), *Hieronymus* (loc. Hebr. opp. ed. Francof. 1684. t. III. p. 181.) et *Chrysostomus* (hom. in h. l.) de piscina probatica, vel pecuali tradunt. Abeunt enim inter se in diuersa, neque conueniunt cum Iohanne, qui de porta huius nominis agit, non de piscina, vel lacu.

prodigium, tam exiguo temporis ſpatio omnino fieri non potuit. Apoſtoli ſaltem de miraculo non cogitauerunt Marc. VI, 52.; neque populus, qui in coenae ſocietatem abierat, Ioh. VI, 30.; quid, quod Ieſus ipſe ſaturitatem plebis opponit τοῖς σημείοις v. 26. in ſanatione aegrotorum conſpicuis v. 2. Multo maioris *adhuc* momenti eſt, poteſtati ſingularum vocum et formularum grammaticae iungere ſenſum hiſtoricum, qui praeter linguae vſum etiam religionem, philoſophiam, ſuperſtitionem, inſtitutionem populi ciuilem et domeſticam habet fontes. Videſis, quam multa commenti ſint interpretes de γλώσσαις καιναῖς καὶ ἑτέραις Marc. XVI, 17. Act. II, 4., quarum notitiam quaſi agmine facto animis apoſtolorum coelitus illapſam eſſe volunt; probauimus autem alio loco, Ieſum euangelii inſtitutionem precesque ſecundum praecepta eius fundendas, non Iudaeorum more linguae hebraicae adligauiſſe, ſed *alias* etiam adeoque *nouas* linguas hunc in vſum admiſiſſe. Quare nouo idiomate vtuntur apoſtoli eorumque diſcipuli non in coetibus Iudaeorum Palaeſtinenſium, ſed in conuenticulis

ticulis mixtis Hierosolymae; Caesareae, Ephesi, Corinthi, quibus praeter Hellenistas etiam Romani aliique exteri interfuerunt. Paulus certe collegas omnes linguarum, hebraicae puta, hierosolymitanae, chaldaicae, syriacae et hellenisticae cognitione longe anteiuit 1. Cor. XIV, 18., lycaonicae tamen siue graeco - barbarae Act. XIV, 11. s. atticaeque puritatis imperitus fuit, ib. XVII, 18. Plane similis est locus Act. II, 3. ὤφθησαν αὐτοῖς γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς, quem de flammulis *quasi* igneis bene interpretantur prouocantes ad Ies. V, 24.: sed docet adhuc historia festi pentecostalis, Iudaeos studio legis vacantes flammas et fulgura igneamque legis coronam animis obversantem habuisse, qua obseruatione narrationi Lucae clarissima lux adfunditur. Neque desunt *etiam* euentus mirabiles e manifesta aegrotorum superstitione, verecundia et meticulositate deriuandi, quales de Vespasiano memoriae tradiderunt Suetonius atque Tacitus. Mulier fluxu sanguinis laborans, quae turba medicorum antea fere perierat, pallii Iesu laciniam tangens se morbo leuatam sensit: induerat enim persua-

suasionem plane singularem, a qua ipse Lucas non longe absfuisse videtur, corpori servatoris inesse vim ἀλεξίκακον, cuius tactu malacia quaeuis continuo pellatur, Luc. VIII, 44. s. Alio tempore Hierosolymis tanta erat Petri auctoritas, vt aegroti vel vmbra apostoli praetereuntis recreati se melius haberent, Act. V, 15.; Philippis ancilla ecstatica, quae Apollinis instinctum mentita erat, obtestatione Pauli liberatur furore suo XVI, 18.; Ephesi autem vel sudariis et semicinctiis apostoli compescuntur morbi daemonesque animis insidentes deturbantur XIX, 12., quae omnia ab ingenti animorum, opinionibus fanaticis excitatorum, commotione originem duxisse videntur. Neque dubitauerim, ipsam Bariesu ἀμαύρωσιν breui transituram a metu Iudaico numinis vehementibusque animi male sibi conscii adfectibus repetendam esse Act. XIII, 12. s. [7]. *Postremum,*

7) Quid timor valeat vel in causa iustissima, docet exemplum Agrippae a Caio increpati (*Philo* de virtut. opp. ed. *Mangey* t. II. p. 585.): ἀμαυραῖς καὶ ἀχλυώδεσι ταῖς ὄψεσι τοὺς ἐν κύκλῳ παρεθεᾶτο. De Theodecte tragico, qui in eo erat, vt librum sacrum Iudaeorum dramate profanaret, Iosephus scribit: τὰς ὄψεις

*mium*, ne aliquid diſſimulemus, etiam rei et narrationis ſubinde diſcrimen ſtatuendum eſſe, argumentis haud ſpernendis contendi poteſt. Apoſtoli enim opinionibus Iudaeorum atque commentis innutriti erant; nonnulli, vt Marcus atque Lucas, in commentariis de vita Ieſu Chriſti aliorum auctoritatem ſequi debebant; actus apoſtolorum certe de triplici fonte manauerunt, traditionibus ἐγχωρίοις, narrationibus Pauli et αὐτοψίας auctoris; mirum itaque non eſt, in nonnullis famam creuiſſe eundo, in aliis autem ornatum orationis facto cuidam memorabili ſpeciem induiſſe σημειώδη. Ieſum ante ingreſſum muneris in varia adductum fuiſſe opinionum diſcrimina, vel ſine euangeliſtarum teſtimonio probabile eſt: Matthaeus autem, qui in diſcipulorum numerum tunc temporis nondum adſcitus erat, ea tentationes adpellat a diabolo excitatas; Lucas contra, qui vbique Matthaeum emendaturus eſt, ordinem earum inuertit; Iohannes denique, rationes temporis ſedulo indicans, iis poſt bapti-

ὄψεις ἐγλαυκώθη, καὶ συνιδὼν τὴν αἰτίαν ἀπηλλάγη τοῦ πάθους, ἐξευμενισάμενος τὸν θεόν. Conf. 2. Maccab. III, 27. et Act. IX, 9. ſ.

baptiſmum Ieſu Chriſti locum relinquit nullum. Patet igitur, niſi omnes hiſtoriae leges migrare malis, multa hac in re expoſitioni et ornatui auctoris tribuenda eſſe. Thermae Betheſdenſes, a Βεζέθα Ioſephi plane diuerſae, in vetere Hieroſolyma non exſtiterunt; hiſtoria adulterae, qualis a Iohanne deſcribitur, a conſuetudine Hebraeorum forenſi abhorret; ſtatuimus itaque, hanc quidem propter argumenta critica genuinam, ſed vtramque compoſitori euangelii, forte Iohanni presbytero, quod ad ornatum et expoſitionem, tribuendam eſſe. [8]) Ananiam in conuentu apoſtolorum metu exanimatum poſt interuallum aliquod ad inferos ſecuta eſt vxor Sapphira [9]); mox ortus eſt rumor ad Eſſenorum notiones compoſitus, vtrumque coniugem terribili apoſtoli iudicio repentinae mortis damnatum eſſe. Monendi tamen ſunt tirones, vt hanc

viam

8) Vide not. 5. De probabili euangelii Iohannei auctore et ordinatore alio tempore differemus.

9) Vt dubitationem, quae forte ſuboriatur, euellas animo, confer ſimilem narrationem in libro: *Die Geſchichte der alten und neuen Herrenhuter*, aus dem Holländiſchen von *Schöll*. Tubing. 1805. p. 179. f.

viam prudenter et haud ſine vrgente neceſſitate ingrediantur; aſpera enim eſt atque ſalebroſa ſcopulorumque plena, ad quos vel cautiſſimus interpres facile offendat.

Sed quominus longius procedamus in tramite ambiguo et ſpinis tribulisque obſito, praefationis anguſtiae prohibent. Sufficit, animos eorum, qui, quid ſibi velint verba poetae, *rerum cognoſcere cauſas*, in comperto habeant, ad eas meditationes erexiſſe, quibus veritas vel in profundo demerſa e latebris ſuis protrahatur. Nolumus enim cum iis concertare, qui diuinam euangelii originem propugnaturi, veritatem hiſtoriae Ieſu Chriſti ſiue negligant, ſiue commentis Iudaicis inuoluant. Non itaque poſſum, quin vel hoc loco honorificentiſſime ſentiam de venerabilis *Auguſtii*, theologi Ienenſis, ὁμονοίᾳ, qua litem de ſyncretiſmo nobis fere inuitis orituram, amicis a me literis compellatus, ea, qua ſolet, humanitate ſuppreſſi[t]; breuis enim vita eſt, ars longa. D. Erla[n]gae, id. Iul. 1809.

Ammon D.

---

PRA

# PRAEFATIO

## EDITIONIS QUARTAE.

Quid in noua huius libelli editione, ex ornatiſſimi redemtoris deſiderio a me curata, praeſtitum omiſſumue ſit, paucis exponi conſilium et res ipſa ſuadent. Iam ex eo tempore, quo ſcholis *Hufnagelii* hermeneuticis intereſſe mihi licuit, virtutes libri Erneſtiani, quem aureolum vocare exteri non dubitauerunt, *) adcuratius inſpexeram. Poſtea, vbi vir egregius et mea laude ſuperior, poteſtate literas ſacras et humaniores docendi mihi publice oblata, ſcientiam hermeneuticam proponendi munus ad me detulit, occaſio ſaltem non deerat, in repetitis praelectionibus, iisque in exterorum gratiam latine etiam habitis, ad arcem cauſae penetrandi. Congerebam igitur, quae ad auctorem illuſtrandum facerent; nonnulla reſcindebam, quae nunc,

*) Vid. *Erneſtii* elogium in Opuſcc. Orat. Nou. Vol. Lipſ. 1791. pag. 268.

nunc, vbi ſcientia tironibus ad notitiam N. T. hiſtoricam et criticam viam ſternens, in molem ſingularem eamque ſatis vaſtam excreuit, in hac felicius et aptius explicari poſſunt; multa addebam a beato *Erneſtio* praetermiſſa, *) potiſſimum ex *Semleri* et *Griesbachii* theſauris criticis; reliqua exemplis illuſtrabam. Quo quidem in labore, licet virium exiguitati attemperando, nunquam tamen praecepti oblitus ſum, boni eſſe viri, non iurare in verba magiſtri et intra limites ſemel praeſcriptos ſubſiſtere, ſed potius veri regnum propagare, ſeueraeque auctoritatis priorum temporum iugum excutere. Quorſum enim inſtitutae eſſent profundae virorum noſtri aeui doctiſſimorum meditationes de librorum ſacrorum origine et argumeuto; quorſum expolita literarum humaniorum ſtudia; quorſum philoſophiae fax accenſa et verae religionis tradendae ratio emendata eſſet, niſi maiorum praeſidiis vti et vlterius progredi liceret? Dabunt igitur veniam magni nominis *Erneſtiani* cultores, inter quos etiam ego referri velim, ſi me hic illic ab auctoris longe eruditiſſimi ſententia modeſte diſceſſiſſe inuene-

*) Qua de re iam monuerunt S. R. *Tellerus* in libello: Des Herrn I. A. Erneſti Verdienſte um die Theologie und Religion. Berlin 1783. p. 9. ſeq. et *Semler* ὁ μακαρίτης, in additamentis ad h. l. Halae 1783. p. 23. ſeqq.

venerint: neque enim mihi propoſitum erat, viro immortali laudibus meis monumentum exſtruere periturum, ſed potius in notis, ſiue largius, vt ab initio, ſiue parcius, vt ſub finem in ſectione argumenti plena, adſperſis, ea perſequi, quae commemoratu digna adhuc videbantur. *) Multa fortaſſe refingi, multa aliter diſponi, quaedam circumſcriptius addi, nonnulla etiam reſcindi poterant, ſine vllo ſcientiae detrimento. Quis enim neſciat in inſtitutione hermeneutica noſtris diebus ſingulares adhuc diſputationes *de interpretatione hiſtorica*, *de criſeos ſacrae theoria*, *de ingenio et charactere ſcriptorum N. T.* deſiderari? Ego quidem lubens fateor, bonum ſcripturae ſacrae interpretem ſine adcurata harum rerum notitia formari vix poſſe. At enimuero praecipua huius diſſertationis momenta vel iam in obſeruationibus, licet ſuſpenſo calamo, tacta ſunt, vel propter ipſam libri *Erneſtiani* rationem exponi non poterant. Non enim hoc mihi iuris datum erat, vt ſtilo et falce in librum optimae frugis plenum graſſarer, ſed vt illum, quoad eius fieri

*) Propterea etiam factum eſt, vt in toto libro Erneſtiano nihil corrigeretur, praeter vitia typographica et prolegomenorum paragraphum vltimum, quo interpretis inſtitutio melius in tres partes deſcribi videbatur.

fieri poterat, noſtris temporibus adcommodarem, quae firma ſibi interpretandi praecepta depoſcunt, tum ad compeſcendam multorum in explicanda S. S. licentiam, tum ad coercendam aliorum inconſtantiam, qui pro ſua literarum humaniorum inſcientia, omnia vaticiniis complent, ex plurimis locis dogmata ſeuera eliciunt atque hac nimia et moleſta ſedulitate optimam et diuinam religionis doctrinam aduerſariorum ſibilis exponunt. Scribebam in literarum vniuerſitate Erlangenſi, ipſis idibus Ianuariis 1792.

---

# LECTORI

## DOCTO ET S. LITERARUM AMANTI

S. D.

Io. Augustus Ernesti.

*Ante multos annos, cum interpretatus essem lectionibus academicis Epistolas Apostolicas, rogatus sum a multis, qui eas lectiones sibi ad bene intelligendum profuisse putarent, vt etiam praecepta interpretandi traderem, quibus ad vsum adiungendis, facilius dirigerentur in indagando sensu et rationibus firmando. Cum iis demonstrarem, interpretationem esse ex eo genere rerum, quae prope totae obseruatione et vsu tenerentur, paucis admonitionibus contentam, quas etiam melius et efficacius inter interpretandum et quasi in ipso actu rerum proponi: interpretandorum scriptorum graecorum et latinorum nullam propriam disciplinam esse, quae praeceptis in certum cor-*

*pus*

*pus redactis conſtaret, ſed in iis interpretandis omnia ad vſum et exercitationem referri, et tamen eorum interpretes omni tempore egregios fuiſſe: procliues eſſe homines, inprimis iuuenes, ad fraudem hanc, vt ſe facere poſſe putarent, cuius faciendi praecepta didiciſſent, remiſſioresque praeceptis diſcendis fierent in exercendo et agendo: tum vero ita illi inſtabant, vt ſibi tamen iucundum fore dicerent, ſi, quicquid eſſet illarum obſeruationum et admonitionum, in certum ordinem redactum cognoſcerent, praeſertim cum non facile in paucorum librorum interpretatione omnium proponendarum facultas et occaſio daretur. Promiſi me facturum, quae vellent, coepique colligere, quae vel memineram mihi in interpretando profuiſſe, vel repereram aliis in videndo vero obfuiſſe. Ea primum breuibus theſibus comprehenſa, et vtcunque digeſta tradidi: poſt auxi paullatim, inter interpretandum et legendum admonitus. Neque enim ſtatim, cum volumus, occurrunt omnia, nec facile eſt, longe lateque diſperſa in vnum locum ita contrahere, vt nihil relinquatur, nihil elabatur, praeſertim in tali genere, quod tam multis, ſaepe*

*paruis*

*paruis obseruationibus constat. Ita natum est modicum corpusculum praeceptorum, quod nunc, vt laborem scribendi studiosis demerem, et tempus, quod dictando in lectionibus absumitur, lucrarer, diligentius structum et excultum, literarum formulis exprimendum tradidi.*

*Cum ipsum opusculum sit ad cognoscendum ita breue, vt ordo rerum et modus tractandi ab vnoquoque facile cognosci possit, superuacuum foret, de eo separatim dicere. Nec meum est, homines docere, quid noui, quid boni insit huic libello, quod noui semper scriptores in praefationibus solent, etiam modestiam praefati, vanissime facere, credulos lectores se nacturos sperantes.*) Hoc scio, et vere dicere possum, me primum cauere voluisse, ne absoluta decreta, quos vulgo etiam Canones vocant, scriberem, deinde laborasse, vt ab veris obseruationibus praecepta ducerem, eaque eiusmodi, quae certam et perspicuam notam et quasi ansam veri tenendi haberent, et vsum certum ac facilem redderent. An consecutus sim, quod*

*) Caeterum, si quis summam libelli et rerum breviter expressam legere cupiat, Bibliothecam nostram theol. adeat Vol. III. p. 3. sqq.

*parte aliqua, argumentum est, magna a nobis suppeditata est. Impudentia est, libros, qui scholis habendis servire debeant, ita scribere, vt omnia mansa lectoribus, vt nutrices pueris infantibus, in os ingeras.*

*De vniuersa interpretatione habebam, quae partim monerem studiosos, partim quererer cum his, qui, per speciem reuerentiae aduersus Scripturam sacram et verba diuina, fanaticam quandam barbariem, et artem somniandi ac ludendi in Scripturis inducere tentant: sed nec temporis angustiae siuerunt eam orationem suscipere; et alio tempore ac loco vtrumque exequi latius dabitur. Itaque finem faciam praefandi, cum verissimo voto, vt per hunc libellum quamplurimis Scripturarum sacrarum recte atque ordine cognoscendarum et scrutandarum studium incendatur, iisque haec qualiscunque opera mea ad bene intelligendum et cognoscendum quam plurimum prosit. Scripsi Lipsiae in mercatu autumnali a. 1761.*

---

ADMO-

# ADMONITIO

## DE EDITIONE SECVNDA.

*In hac altera libelli nostri editione, (nam repetitionem eam, quae nobis insciis facta est in Batauis, Lugduni, non numeramus) acta fere sunt haec.*

*Primum, quoniam libellum bis lectionibus Academicis tractauimus, et, dum explicare studiosis et illustrare tentabamus singula, cum mora considerauimus omnia; animaduertimus, quaedam esse, non ita vel plane, vel accurate, et circumscripte expressa, vt nihil ambiguitatis aut dubitationis relinqueretur, nec lectorem, diligenter et cogitate expendentem omnia, morarentur. Itaque ante omnia hoc egimus, vt talia loca planiora efficeremus et pleniora, conseruata tamen breuitate ea, quae praeceptis est propria. Nam etsi libellum hunc maxime destinauimus lectionibus Academicis, per quas facultas datur magistro explicandi singula, et addendi, quae necessaria ad bene intelligendum videantur: tamen noluimus*

*mus lectionem eius vel moleſtam eſſe vel minus frugiferam iis, qui legendo potius quam audiendo cognoſcere rationem interpretandi a nobis traditam, ſi velint, poſſint.*

*Atque his ipſis comparatum eſt alterum totum, quod vel admoniti, vel rogati fecimus, vt praeceptis exempla adiiceremus iis, quae a nobis nude poſita fuiſſent, exemplorum conquirendorum cura his relicta, qui libello noſtro vti in lectionibus Academicis vellent.*

*Praeter haec duo igitur non multum nouae vel obſeruationis vel praeceptionis acceſſit: nec tamen nihil. Ex quo genere ſunt, ſi quis volet inſpicere, quae acceſſere P. I. S. I. C. I. §. 19. 26. Sect. II. Cap. I. §. 3. Cap. III. §. 8. 10. 13. 14. Cap. VII. §. 8. et alia pluribus locis: quibus ſperamus effectum eſſe, vt quaedam magis vel explicata ſint, vel firmata, vel denique ad vſum facilius et ſecurius transferri poſſint. Scripſi a. 1765.*

---

ADMO-

# ADMONITIO

## DE EDITIONE TERTIA.

*Cum repetendus iterum esset libellus hic noster, diuenditis editionis secundae exemplis, nos ad eum diligenter recognoscendum, et, vbi opus videretur, vel castigandum, vel etiam augendum dedimus. Nec defuit occasio vtriusque generis. Nec id mirum cuiquam videri aut mihi pudori esse potest. Nam nemo ita est acutus ingenio, ita exercitatus ad subtilitatem scribendi, vt nihil sibi relinquat emendandum et limandum, denique etiam addendum, etiam si omnia faciat diligentissime, vt aliquid omni ex parte perfecti et absoluti efficiat. Itaque etiam in hoc libello per nouae recensionis curam reperi, quae vel limanda, vel augenda viderentur. Non possum omnia hic commemorare, in quibus vtroque genere emendationis vsus sum; sunt enim permulta: sed inprimis altero genere saepius vsus sum in Capp. de Versionibus condendis, iisque, quae ad rem Criticam pertinent,*

*tinent, in quibus nouae obſeruationes tum aliorum virorum doctorum libris proditae, tum a nobismet ipſis repertae, augendi copiam ſuppeditauere. In quibus omnibus tamen breuitatem eam ſeruaui, qua in praeceptis tradendis vtendum eſt, cuiusque ipſe ſemper ſtudioſus in ſcribendo ac docendo fui. Gaudebo vehementer, ſi hic libellus noſter porro pluribus ad comparandam recte interpretandi N. Teſt. ſcientiam, facultatemque profuerit. Scripſi d. XVI. Dec. a. 1774.*

Io. Aug. Erneſti.

---

INSTI-

# INSTITVTIO
# INTERPRETIS
# NOVI TESTAMENTI

adumbrata fuiſſet, vltro patet, ad fontes, hoc est, ad libros N. T. eſſe recurrendum. Vid. b. *Doederlinii* chriſtl. Religionsunterricht t. II. ed. 2. p. 1 ſſ. *Mori* Epitomen Theol. Chriſt. §. 30. de ſcriptura ſ. et librum noſtrum: *Ausführlicher Unterricht in der chriſtl. Glaubenslehre.* Norimbergae 1807. t. I. p. 232 ſſ.

b) Adde et hoc. Maior cogitandi et ſcribendi libertas, noſtris praeſertim diebus, inuexit quandam, non ſolum dubitandi, ſed etiam iudicandi licentiam. Huic α) frena iniicere, aliosque meliora docere, deinde β) noſtris ipſorummet dubitationibus conſulere, illasque conuellere, diluere et reprimere vix poterimus, niſi firmis interpretandi praeſidiis inſtructi. Vid. b. *Noeſſelti* Anleitung zur Bildung angehender Theologen, p. 295. ſqq.

Atque haec quidem de *neceſſitate* interpretationis N. T. Sed conſtabit etiam de illius *vtilitate*, ſi conſideremus,

1) Diuinam religionis chriſtianae veritatem, ipſa Ieſu Chriſti doctrina ſuffultam non niſi e ſcriptis diſcipulorum eius defendi poſſe contra adverſariorum inſultus. Theologus literarum diuinarum imperitus, aliorumque vehementia et impetu in anguſtias redactus, inimicum nullis aliis armis arcere conatur, quam libris dogmaticis et ſymbolicis, in quorum verba iurare ſatagit.

2) Certum eſt, doctrinam chriſtianam ab initio fuiſſe puriorem vſque ad sec. VI, poſtea vero corruptam et peruerſis philoſophorum opinionibus commaculatam, propter neglectum interpretandae ſ. ſ. ſtudium. Vbi tempore reformationis reuiuiſcere coeperunt literae ſacrae, emerſit etiam doctrina chri-

christiana et nitori pristino restitui coepit. Eadem ratione ius ciuile literarum Graecarum et Romanarum, medicina Celsi studio, caput extulit. De meritis *Reuchlini*, *Erasmi*, *Melanchthonis*, *Lutheri*, nota res est. Vid. *Ernestii* Opusc. Theol. p. 585. *seqq*. Sic e recentioribus theologis principes semper existimati sunt ii, qui interpretationi studerent.

§ 2.

Cum autem omnis interpretatio sit difficilis, quod plurimum doctrinae, iudicii, diligentiaeque, saepe etiam quandam ingenii felicitatem desiderat, tum vero multo difficilior, multis de caussis, est interpretatio librorum sacrorum, vt viri doctissimi iudicarunt, et mira paucitas bonorum interpretum arguit. v. Huetiana p. 181.[c])

c) Difficultates studii exegetici quamuis ita sint comparatae, vt tironem facile deterrere possint, neutiquam tamen celari, aut dissimulari debent: aperta enim impedimenta facilius superantur. Obseruetur itaque,

1) post insitam laeti ingenii indolem requiri adhuc adsiduitatem et diligentiam, sine qua, licet refugere illam soleant ingenia faceta et mollia, nihil magni in exegesi praestiteris.

2) Multis hac in re opus est subsidiis literariis, praesertim nostris diebus, vbi librorum numerus nimis multiplicatur.

3) Multae oriuntur difficultates ab antiquitate librorum diuinorum, qui lingua prorsus singulari ante multa secula, et ab hominibus scripti sunt,

qui

qui vixerunt in populo, cuius mores, vita et lingua quam maxime a nostris moribus, vita et lingua dissentirent. Viderant hoc inter veteres in *τόμοις* suis *Origenes*, vt et in libro *de principiis*, *Hieronymus*, *Chrysostomus* et *Theodoretus*: inter recentiores *Lutherus* in praefat. comment. in Psalmos, et post alios viros doctos immortalis *Ernestius* in diss. de Difficultatibus N. T. recte interpretandi, recusa in Opusc. Phil. et Crit. p. 198.

4) Multae praeiudicatae opiniones quibusdam in locis adhuc obstant studio exegetico N. T. v. c. non nisi precibus et pia animi simplicitate s. L. explicari debere: omnem eruditionem profanam, h. e. humanam, cane peius et angue fugiendam esse (qua de re commentum satis lepidum exstat in vita *Hieronymi*); contextum N. T. esse plane incorruptum, eiusque libros idiomate graece puro conscriptos. Videatur *Herderus* haec et alia huius farraginis commenta profligans in libro: *Briefe das Studium der Theologie betr.* Br. I.

5) Opus est ingenio auctorum Graeciae Latiique lectione subacto ad vsum in interpretando acquirendum.

6) Difficile est in arte critica suppeditare praecepta firma, iusta et vera, cuius rei caussam in ipsa huius scientiae natura deprehendimus, quippe quae intra probabilitatis leges contineatur. Vid. *Clerici* Ars Critica et *Beckii* Commentatio de interpretatione veterum scriptorum, Lips. 1790. § 2. et 3. Maioribus adhuc difficultatibus laborat scientia critica N. T., quae vel nostris diebus vltra doctae probabilitatis limites haud adsurgit.

7) Multa adhuc obscura sunt in historia temporum, auctorum

auctorum et librorum N. T.; multa in Geographia et Historia naturali, post egregia etiam recentiorum peregrinatorum studia clariorem lucem sibi deposcunt.

8) In interpretatione N. T. praeter verba etiam ad singularem cuiusuis scriptoris characterem respici debet, sine cuius notitia parum videris. Sic in Paulo notanda est eruditio rabbinica et philosophia Iudaica, cum ingenuo animi candore et calore: in Iohanne lactea ingenii vbertas et profunditas cum tenera animi simplicitate: in Matthaeo ingenii ad euenta miraculosa procliuitas, animique bonitas etc. Quaedam hanc in partem hauriri possunt ex *Niemeyeri* libro: Charact. d. B. Vitae *Iesu* Christi, *Iohannis* et *Pauli* acute et ingeniose scriptae, vel post *Langii*, *Witsii*, *Paleyii* aliorumque pericula, adhuc desiderantur.

Omnes istae difficultates studii exegetici metum iniiciant iis tantum animis, qui sunt

*nil magnae laudis egentes:*

erectiores, ad maiorem diligentiam excitabit. Conf. *Doederlinii* Instit. Theol. Christ. t. I. pag. 174. s. ed. 5.

## § 3.

Est autem *interpretatio* facultas docendi, quae cuiusque orationi sententia subiecta sit, seu, efficiendi, vt alter cogitet eadem cum scriptore quoque. d)

d) Interpretatio est vel cursoria, vel stataria: vel vniuersalis, vel historica. Haec in N. T. inprimis commendanda videtur. Conf. b. *Storr.* de sensu historico, Tubing. 1788. *Keil.* de Interpretatione librorum

brorum sacrorum historica. Lipf. 1788. *Bretschneider* historisch-dogmatische Auslegung des N. T. nach ihren Principien, Quellen und Hülfsmitteln. Lipf. 1806. De reliquis interpretandi generibus vid. *Beckii* Commentatio de interpr. v. s. pag. 40. sqq.

§ 4.

Interpretatio igitur omnis duabus rebus continetur, sententiarum (idearum) verbis subiectarum intellectu, earumque idonea explicatione. Vnde in bono interprete esse debet *subtilitas intelligendi*, et *subtilitas explicandi*.

§ 5.

*Subtilitas intelligendi* et ipsa duabus rebus cernitur: quarum altera est, videre, quid intelligas, nec ne, et difficultates intelligendi, earumque caussas, ex arte animaduertere: altera autem, sensum eorum, quae difficilia sunt, rite indagando inuenire.[e])

e) Duplex itaque in interprete esse debet subtilitas, *dialectica* et *grammatica*. Virtus ipsa, quam sagacitatem critici et interpretes vocant, celebratur inprimis in *Salmasio*, *Hemsterhusio*, *Valckenaerio*, *Bentleio*, *Ruhnkenio*, *Eichhornio*, aliisque.

§ 6.

Ac *primum* quidem *genus* existit partim ab ingenii solertia, et εὐφυΐα; quod, vt quisque tardior est ingenio, ita non modo magis temere

temere aſſentitur iis, quae traduntur, ſed etiam intelligere ſibi videtur, quod non intelligit; partim ab diligentia et conſuetudine diſtinguendi ideas rerum ab ideis ſonorum,[f]) cum conſideramus in omnibus verbis, an aliquid praeter verbum cogitemus: *alterum* autem, primum a cognitione iuſta et accurata linguarum et varia doctrina; deinde ab ſcientia praeceptorum de modo interpretandi: non quod ſine eorum ſubtili ſcientia interpretandi facultas contingere non poſſit, ſed quod mediocria ingenia adiuvant, et velut in viam deducunt, ne caſu potius, quam ratione nitantur, ſuppeditantque normam communem iudicandi in controuerſiis; denique ab vſu et exercitatione, ſine qua cetera omnia non multum profuerint.

f) Quamuis vulgare vitium ſit fere in omni literarum ſtudio, vt multa intelligere nobis videamur, quae reuera neutiquam intelligimus, maximam tamen ab illo in interpretationem N. T. perniciem illatam eſſe videmus propter *ideas ſonorum*, quibus non rem, ſed ſuperficiem literae percipimus. Exempla ſunt, Ἀδὰμ ἀρχαῖος, ἁμαρτίαν λούσασθαι αἵματι, δαιμονιζόμενος etc.

## § 7.

Et linguarum quidem ſcientia quae iuſta et accurata ſit, dicetur alio loco commodius: exercitatio autem, acuens ingenium ad videndum ſenſum verum, continetur primum audien-

audiendis bonis interpretibus, deinde etiam legendis ponderandisque eorum ſcriptis; quibus rebus paullatim ingenium ad imitationem conformatur, perſequendis illorum veluti veſtigiis: denique illis ipſis libris, quorum interpretandorum facultatem appetimus, aſſidue et continenter legendis. g)

g) Inter criticos auctorum veterum editores commendandi videntur inprimis *Valckenaer*, *Ruhnken*, *Brunck*, *Schütz*, *Wolf*, etc.; ex interpretibus illorum prae reliquis adeundos eſſe putem *Geſnerum*, *Heynium*, *Morum*, *Beckium* etc. In addiſcenda critice N. T. duces ſibi eligat tiro *Wetſteinium*, *Semlerum*, *Grieſsbachium*, *Matthaeum*, *Hugium*; in interpretatione *Grotium*, *Noeſſeltum*, *Morum*, *Koppium*, *Eichhornium*, *Gablerum* et alios. Antequam iudicium ferat de libris exegeticis, inſpiciat quaeſo *Geſneri* praefationes ad Liuium et ſcriptores ruſticos, *Burmanni* praef. in Phaedrum et *Erneſtii* dedicationem opp. Cicer. In vniuerſum autem notandum eſt, ſcriptorem, quem intelligere cupimus, primum curſorie, deinde lento gradu emetiendum et perlegendum eſſe, quod praecipuum eſt interpretandi artificium.

## § 8.

*Explicandi* autem *ſubtilitas* eſt facultas ſenſum verborum ſcriptorisque, eiusdem linguae aliis facilioribus, aliusue cuiuscunque verbis vel conuertendo exprimendi, vel enarrando demonſtrandi et illuſtrandi: h) ab eaque *interpretes* proprie dicuntur.

h) Quod quidem fit, 1) si sensum verborum illustramus ex vsu loquendi et contextu, vt subiectum ex praedicato et praedicatum ex subiecto explicetur, v. c. σαρξ ἐστιν ἀπώλεια, 2) si interpretamur sensum formularum et propositionum α) partim adferendis exemplis, β) partim locis parallelis, γ) partim resolvenda tota orationis compage, quod v. c. a beato *Koppio* factum videmus in epistolis Paulinis, δ) partim autem rebus ipsis illustrandis.

## § 9.

Ea venit a facultate linguae eius, qua in interpretando vtimur, cerniturque in vertendo quidem, puritate sermonis, quo vtimur, coniuncta cum characteris, quoad fieri potest, conseruatione, ne pereat ratio argumentandi, quae interdum nititur figura verborum; in enarrando autem cum puritate, tum breuitate. Sed haec planius explicabimus in loco de Versionibus et Commentariis.

## § 10.

*Hermeneutice* igitur est scientia, adducens ad subtilitatem tum intelligendi, tum explicandi auctoris cuiusque sententias, siue, tradens rationem sententiae quorumque verborum subtiliter et inueniendae et explicandae. i)

i) Errant itaque, qui hermeneuticen singulis praeceptis, aut canonibus vndique excerptis et congestis constare

constare putant, quorum periculum faciet, qui *Opitii* tabellas inspexerit.

Ad historiam hermeneutices, diuersam ab historia interpretationis infra proponendae, quod attinet, iam primae lineae ductae inueniuntur a *Pfeiffero* (instit. hermeneut. sacr. Erlangae 1771.) pag. 30. sqq., quas qui vlterius sit persecuturus, praeter libros *Toellneri* (Grundriss der Hermeneutik) et *Zachariae* (kurze Einleitung in die Auslegungskunst der heil. Schrift,) inprimis recensebit scripta *Semleri*, viri post fata celebratissimi: Vorbereitung zur theologischen Hermeneutik. Halae 1760. s. Apparatum ad liberalem N. T. interpretationem. Halae 1767. Deff. Neuen Versuch die gemeinnützige Auslegung des N. T. zu befördern. Halae 1786. Zur Revision der kirchlichen Hermeneutik. 1788. etc. Adde *Mori* acroases academicas super Hermeneutica N. T. ed. *Eichstaedt.* Lips. 1797. et insignes *Meyeri*, theologi Altorfini, libros: *Versuch einer Hermeneutik des A. T.* Lübeck 1799. t. I. *Geschichte der Schrifterklärung seit der Wiederherstellung der Wissenschaften.* Göttingen 1802. t. I. p. 33. ff.

## § 11.

*Inuentio*, qua est subiecta praeceptis, habet partes duas: quarum altera est *contemplatiua*, altera *praeceptiua*. Illa continet generales obseruationes de *sensu* et *generibus verborum*, a quibus vel praecepta interpretandi ipsa, vel eorum rationes ducuntur; haec autem praecepta de modo sensus indagandi. Nam nec vniuersae illae obserua-

ſeruationes, de generibus et ſenſu verborum eorumque natura, ſufficiunt ad intelligendum eius, quouis loco, reperiundi modum, nec praecepta de modo ſenſus indagandi aut certa eſſe aut perſpicua poſſunt, niſi natura verborum et ſenſus, huiusque origo cognita ſit.

§ 12.

Atque etiam quaedam eſt veluti materia, quam tractet interpres, in qua verſetur eius ſolertia, qua denique vtatur perſequens ſcriptoris alicuius ſententias. Ea eſt in libris ipſis, quos interpretatur, et in apparatu doctrinae, cuius eſt aliqua in ea re vis. Itaque de hac quoque in hac arte videndum.[1])

1) Poſt praecepta hermeneutica plura adhuc ſunt notatu digna, priusquam ad ipſam N. T. interpretationem nos accingamus: diſquiſitiones nimirum 1) de hiſtoria contextus et auctorum N. T. 2) de Canone N. T. 3) de libris N. T. manuſcriptis et impreſſis, 4) de verſionibus N. T. Iſtae quidem diſputationes noſtris temporibus in tantam vaſtitatem excreuerunt, vt ſingularem formarent diſciplinam, *introductionem in N. T.*, cuius promulſis etiam hic dabitur.

§ 13.

Erit igitur nobis haec interpretis inſtitutio in tres deſcripta partes: quarum *prima* ſit

ſit bipartita, contemplatiua, vt diximus, et praeceptiua: *ſecunda* breuiter agat de verſionibus et commentariis: *tertia* autem de omni apparatu hermeneutico, eiusque legitimo ad interpretandum vſu.

---

PARTIS

# PARTIS PRIMAE

## SECTIO I.

# CONTEMPLATIVA.

### CAP. I.

*De ſenſu verborum.*

§ 1.

Omni verbo reſpondere debet, in ſacris quidem libris ſemper et haud dubie reſpondet, idea, ſeu notio rei, quem *ſenſum* dicimus, [m]) quod eius rei, quae verbo exprimitur, ſenſus audiendo verbo inſtaurari in animo vtcumque debet.

m) Verba ſunt ſigna cogitationum noſtrarum. In ſigno ſunt duo: α) ſignum ipſum, (formale ſigni) β) res, quae ſigno notatur (materiale ſigni). Ergo in quolibet etiam verbo eſſe debet α) ſonus verbi, β) notio, quae ſigno notatur. Vid. *Federi* inſtit. Logic. §. 28.

§ 2. Eum

§ 2.

Eum ſenſum conſuetudo doctorum *literalem* appellauit, quod ita conſuetudine coniunctus eſt cum verbo, vt verbo audiendo in animum primus reuocetur: neque differt apud veteres et bonos ſcriptores a *ſenſu literae*, quem inſcitia recentior aliter et inepte dicere coepit, cum veteres, etiam Eraſmus et aequales, promiſcue dicant. n) Eſt enim *litera* nihil aliud, quam quod Graeci *τὸ γεγραμμένον* vel *τὸ γράμμα* dicunt, *Cicero* et alii bene Latini *ſcriptum:* vnde *ſcriptum ſequi*, et *ſcripti interpretatio.*

n) Vulgo ſenſum *literae* et *literalem* ita diſtinxerunt, vt ille comprehenderet omnes ſignificationes, quas verbum habere poteſt, hic autem illam tantum, quae eſt in contextu. Sed repudiandum eſſe hoc diſcrimen, iam vidit *Morus* in epiſtola de ratione ſ. ſ. interpretandae p. 60. Confer diſſ. b. *Mori* de diſcrimine ſenſus et ſignificationis in interpretando, in opuſc. theol. t. I. p. 61. ſ. Vterque ſenſus nihil aliud eſt, quam primitiua vocabuli ſignificatio, quae verbo pronuntiato ſtatim animum ſubit.

§ 3.

Eum ſenſum verba non habent per ſe: ſunt enim non naturalia, aut neceſſaria rerum ſigna: ſed ab inſtitutione humana et conſuetudine, per quam inter verba et ideas rerum copulatio quaedam inducta eſt. o)

o) Res

o) Res adcuratius illuſtranda eſt ex diſquiſitione de origine linguae, qua de re vid. *Rouſſeau* ſur l'origine des langues. Opp. Tom. XVI. pag. 153. ſqq. ed. Bipont. *Herderi* Preisſchrift über den Urſprung der Sprache. Berol. 1789. *Eiusd.* Ideen zur Philoſophie der Geſch. der Menſchheit, T. II. p. 269. ed. min. *Dorſch* philoſophiſche Geſchichte der Sprache und Schrift. Mainz 1791. Coniunctio, quae inter verbum et notionem intercedit, arbitraria quidem eſt, ita tamen, vt homines primaeui naturam ſibi imitandam et exprimendam ſumerent. Quo antiquior itaque eſt populus, eo ſimplicior erit lingua eius, eo magis referta onomatopoeticis, quod maxime quadrat in linguam Hebraeorum primaeuam. Hoc autem tantum valet de rebus ſenſibus ſubiectis: notiones enim abſtruſiores varia ratione cum rerum natura comparari poſſunt, quapropter etiam illorum ſigna magis ſunt arbitraria et diuerſa: v. c. in vocc. אלהים, *Θεός*, *Gott*.

## § 4.

Sed ea cum eſſet ab initio, et inſtitutione, arbitraria, ſemel conſtituta per conſuetudinem facta eſt neceſſaria. Quod non hanc vim habet, vt vnum verbum vnam tantum ſignificationem habeat vel habere poſſit: aliter enim eſſe, res ipſa docet: ſed vt non liberum ſit, verbo tribuere ſenſum, quem velis, nec in vſurpando, nec in interpretando; nec eodem tempore, vel eodem in loco ac modo loquendi, varius aut multiplex eſſe ſenſus poſſit.

## § 5.

Itaque etſi conſuetudo paullatim plures ſignificationes tribuit eidem verbo, ne verbis in infinitum multiplicandis difficultas linguae diſcendae nimis augeretur: tamen in vtendo, ſingulis in rebus, ſingulisque modis loquendi ac locis, vnam tantum adiungit verbo cuique; omninoque ita rem totam moderatur, vt, quae quoque loco adiuncta ſit, ex vniuerſo loquendi modo, aut vicinis verbis intelligi poſſit. [p]) In quo tamen, fatendum eſt, exiſtere interdum quandam *ambiguitatem*, vel ſcribentium culpa,[q]) cum nec conſtructione verborum, nec adiunctionibus neceſſariis (determinationes Philoſophi vocant) cauetur, ne lector, ſenſum quaerens, incertus erret, ſed perſpicuam anſam habeat, per quam tenere verum ſenſum poſſit: vel ipſius conſuetudinis,[r]) quae, quia non eſt in poteſtate Philoſophorum, nec ab eorum ſubtilitate orta, ſummam *ἀκρίβειαν* non habet. Ex quo etiam intelligi poteſt, quae ambiguitas innoxia, quae in vitio ſit.

p) Vocabula *πολυσήμαντα* plerumque expediri poſſunt conſtructione, v. c. *λόγος*, ratio, *Vernunft*, ratio, *Rechnung*, oratio, Chriſtus. In hac voce ſignificationes figuntur conſtructione: *λόγον ὑπέχειν*, *λόγον ποιεῖσθαι*, *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο*. Alia exempla videſis Matth. XIV, 25. *περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης* et 1. Cor. XV, 29. *βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*; ambiguus

ambiguus praepoſitionum ἐπὶ et ὑπὲρ ſignificatus non niſi a naturali verborum compage conſtituitur.

q) Talis ambiguitas oritur v. c. cum duo accuſatiui iunguntur infinitiuo: Ἰησοῦν εἶναι ἄνθρωπον, *patrem eſſe filium.* Adde locum Epheſ. V, 26. τῷ λουτρῷ τ. ὑ. ἐν ῥήματι, quo loco tertius caſus iterum obuius orationis claritatem offuſcat, niſi ἐν ῥήματι reſoluatur in διὰ τοῦ ῥήματος ex hebraiſmo. In epiſtolis Pauli, cui artis grammaticae imperitiam obiicere propterea non dubitauit *Hieronymus* (ad Coloſſ. II, 23), eiusmodi δυσνόητα (2. Petr. III, 16) ſaepiſſime occurrunt.

r) Conſuetudine, quae non a philoſophis, ſed ab hominibus indoctis orta eſt, a quibus quae proficiſcuntur, ſemper aliquid labis habent. Huius conſuetudinis, quae foecunda eſt mater errorum, veſtigia etiam in N. T. inueniuntur, et in his ambiguitatibus optimi interpretes haerent, v. c. Hebr. IV, 12. ζῶν γὰρ ὁ λόγος Θεοῦ. Rom. VIII, 19. ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως. Act. VIII, 23. σύνδεσμος ἀδικίας, quas quidem voces, non niſi ex Judaeorum conſuetudine illuſtrandas, infra expliciturі ſumus.

## § 6.

Atque in his inſunt cauſſae omnis certitudinis, quae eſſe in interpretando poteſt. Neque enim vllo modo certum eſſe aliquid in interpretando poſſet, niſi primum aliqua neceſſitas [s]) in ſenſus cum verbis copulatione intelligeretur, deinde vnus tantum verbi cuiusque, loco quoque, ſenſus, idemque literalis eſſet.

 s) Non

s) Non abſoluta neceſſitas, ſed hypothetica, quae plerumque fundamenti loco ſubiacet in diſciplinis. Ipſa enim veri natura abſoluitur *neceſſitate* cogitandi, quae, alia in creaturis, alia eſſe debet in creatore.

## § 7.

Quo magis repudiandus eſt error eorum, qui, auctore *Auguſtino*, *Confeſſ.* XII, 30. 31. vnius loci in libris ſacris plures ſenſus, etiam literales, eſſe poſſe, contenderunt, natus ille a varietate interpretationum in locis ambiguis, cum plures probabilitatis aliquam ſpeciem haberent, et reuerentia auctorum probarentur. Efficit enim interpretationem incertam; quo nihil induci perniciofius poteſt. [t])

t) Offendunt itaque in hoc praecepto illi, qui vaticiniis V. T. inprimis autem Pſalmis duplicem ſenſum ineſſe ſtatuunt. Quod quidem non ita accipiendum eſt, vt eundem Pſalmi locum de Dauide et Meſſia ſimul agere poſſe negemus: nobis quidem hac de re perſuaſum eſt; ſed diſtingui debet inter ſenſum primitiuum, et ſenſum ab aevo ſequiore determinatum. Vid. *Erneſti* de interpr. prophet. Meſſ. in Opuſc. Theol. p. 495. Conſtat autem inter melioris notae interpretes, loca V. T. in N. excitata vbique fere duplicem ſenſum fundere, alterum in Hebraicis, alterum in Graecis; quae obſeruatio maximi momenti eſt in doctrina de vaticiniis.

## § 8.

Nec magis probari poteſt opinio, e Iudaeorum

daeorum scholis orta,[u]) et ad Christianos inde propagata, quae tantum significare verba librorum sacrorum vult, quantum possint: a qua facilis transitus est ad libidinem omnia allegoriis, vaticiniis, et mysteriis replendi, vt experientia in Iudaeis, veteris Ecclesiae doctoribus, Scholasticis, et Cocceianis docuit.[uu])

u) A quouis apice S. S. pendent montes sapientiae. Ita Iudaei. In Talmude tract. Sanhedrin fol. 34. col. 1. notatur ad Ierem. XXIII, 29. „Sicuti malleus in multas diuidit scintillas, ita locus S. S. multos habet sensus.“ Tract. Sopherin c. 16. fol. 13. col. 3. docetur: „Deum ita dedisse legem Mosaicam, vt 49 vicibus res pro munda, vel immunda declarari possit. Hoc probari ex Cantic. II, 4. ודגלו quod est 49. numero ad literas computato.“ Alius hoc dictum inficetum amplexus est pro lege hermeneutica, Psiktha rabbtha fol. 23. col. 1. Plures Iudaeorum ineptias in sensu multiplicando recenset *Eisenmenger* in libro: Entdecktes Iudenthum T. I. p. 454. sqq. A Iudaeis insulsum hoc interpretandi genus, מִדְרַשׁ vocant, transiit ad Origenem et Augustinum. Hodienum infirma manu a quibusdam Cocceii adseclis adhuc defenditur. Vid. *Deyling* obseruatt. sacr. (t. III. ed. 2. p. 140 ff.), et qui latius rem tractauit, *Turretinus* de interpretatione s. s. ad h. l.

uu) Adde *Kantianis* et *Fichtianis* (Anweisung zum seligen Leben. Berlin 1806. p. 157. ff.); quorum sententias postquam *Rosenmüllerus*, *Eichhornius*, *Ἐριδαίρων* cet. argumentis idoneis refutauerunt, non est,

quod

quod vulnus istud recrudescere iubeamus. Est enim res longe alia, *interpretari* auctorem et de veritate sensus *philosophari.* Ne tamen, ut Grammatici solent, iusto iniquius hac de re sentiamus, monere iuuat, scriptis antiquitate claris nouum subinde sensum substerni per ignorantiam et superstitionem, quod *Plutarchi* interpretationes et *Heraclidae* allegoriae Homericae docent. Deinde libri, qui pro diuinis habentur, huic inde sensum fundunt tam ieiunum et vero ἀθεόλογον, ut alia simpliciter dici, alia τροπολογικῶς innui facile credamus propter diuinum auctoris, quo actus fuisse creditur, impetum et instinctum. Quapropter *Paulus* post *Philonem* (allegor. l. III. ed. opp. Pfeiffer. t. I. p. 385) interpretationem allegoricam diserte propugnat Gal. IV, 24 ff. Vide *Koppii* commentarium ad h. l. Praeterea historiam et experientiam habemus testes, explicationem allegoricam librorum sacrorum inde ab Origene ad nostra vsque tempora sensis piis et moralibus in animis populi excitandis longe aptiorem fuisse interpretatione simplici et grammatica. Vide *Noesselti* dissert. de sensu morali recusam in exercitatt. h. v. postremis. At enimuero haec omnia magis pertinent ad historiam interpretationis *popularis*, a *Schulero* libro singulari illustratae, quam ad explicationem N. T. stricte et proprie dictam.

## § 9.

Enimuero *allegoriae* ne sensus quidem loco numerandae sunt. Sunt enim potius sensus, qui proprie dicitur, et rerum ad aliquod caput doctrinae illustrandum accommodationes:[v]) quae, si aptae sint et moderatae,

ratae, vsum aliquem, nec illum contemnendum, habere possunt: sin ab hominibus indoctis, et ingenio, literarum disciplinis non subacto, indulgentibus tractentur, plerumque in lusus inanes, saepe etiam ridiculos, abeunt.

v) Allegoria nititur similitudine; quae cum perfecta esse nequeat, patet, comparationem perfectam locum habere non posse. Opus vero est ad allegorias bene tractandas ingenio literis subacto, inprimis arte dicendi, sine qua ab istis allegoriis ad ineptias lususque pueriles facilis est transitus. His artibus ante omnia instructus esse debet idoneus epistolae ad Hebraeos interpres. Vide egregias hanc in rem obseruationes suppeditantes b. *Morum* dissertatt. t. I. p. 370. ff. *Zieglerum* in libro: Einleitung in den Brief an die Hebräer, §. 16. et *Eichhornium* in Allgem. Bibl. d. bibl. Litterat. T. III. p. 740. sq.

## § 10.

Ipse ille *typicus sensus*, quem vocant, proprie non est sensus, quem in arte vocamus. x) Est enim non verborum, sed rerum, quas Deus voluit esse signa rerum futurarum. Nec in eo quaerendo opus est interpretis cura et ingenio. Ipsius enim Spiritus S. indicio ac testimonio patesit; vltra cuius admonitum sapere velle in hoc genere non debemus. Qui consilium modo (intentionem vocant) Spiritus S. commemorant, parum subtiliter faciunt, aperiuntque viam libidini typos

pos vbique comminiſcendi. Nam conſilium Spiritus S. intelligi a nobis, niſi ipſius indicio, non poteſt. Legatur noſter *Lutherus* de Papatu *T. I. Altenb.* p. 461. 462.

x) Ab allegoria ita differt typus, vt illa exhibeat comparationem rei vniuerſalis, hic ſingularis: quapropter typus imaginem ſuppeditat, non ſenſum. Tenenda ſunt tria

1) Typi ſunt comparationes ductae a perſonis et ritibus V. T. antiquitate, doctrina, fatis et religione inſignibus, Iudaeis potiſſimum familiares. Quo magis itaque ſcriptores N. T. Iudaicum ſcribendi genus ſequuntur, vt v. c. Matthaeus et Paulus, eo frequentius cumulant typos: quo magis ab ingenio Iudaico recedunt, eo parciores ſunt in illis adhibendis, v. c. Iohannes.

2) Typi non ſunt multiplicandi, neque pro his agnoſcendi, niſi qui expreſſis verbis in N. T. nominantur, v. c. *Adam*, Rom. V, 14. *Ionas*, Matth. XII, 39. *Melchiſedek*, Hebr. V, 7.

3) Typi vltra fines comparationis non ſunt extendendi, ſed ita explicandi, vt exinde pateat, illos non ad eſſentiam religionis chriſtianae, ſed ad externum illius habitum pertinere. Vid. beat. *Rau* freimüthige Unterſuchung über die Typologie. Erlangae 1784.

## § 11.

Illud vero ſupra, quam dici poteſt, periculoſum eſt, quod quibusdam veteris Eccleſiae doctoribus, ſiue per inſcitiam, ſiue per impru-

imprudentiam, excidit, auctore *Auguſtino Ciu. D.* XV, 27. probatumque eſt quibusdam Eccleſiae Romanae doctoribus, cum nonnullorum locorum, h. e. quos explicare non poſſent, nullum literalem ſenſum eſſe dicerent,[y]) quod nuper quidam *Wittius* de Prouerbiis Salomonis auſus eſt pronunciare: vnde natus eſt *Thom. Woolſtoni* furor, miraculorum Chriſti narrationes ad meras allegorias detorquentis.

y) Notandum tamen eſt, libros V. T. antiquiores praeſertim, continere loca plane allegorica: cuius rei cauſa quaerenda eſt in priſcae linguae ſimplicitate, quae hiſtoricam dicendi exilitatem planumque ſcribendi genus nondum admittere poterat. Vide notam ſecundam §. 8.

## § 12.

Sed quoniam coniunctio, quae inter verba et ideas intercedit, orta eſt ab inſtitutione humana, continetur que conſuetudine: facile intelligitur, ſenſum verborum pendere ab vſu loquendi, et hoc cognito, illum cognoſci.

## § 13.

*Vſus* autem *loquendi* multis rebus definitur, tempore, religione, ſecta et diſciplina, vita communi, reipublicae denique conſtitutione: quae fere efficiunt characterem orationis,

tionis, qua quisque ſcriptor tempore quoque vſus eſt.[z]) Nam ab iis rebus omnibus vel oritur vel variatur modus verborum vſurpandorum: aliterque ſaepe idem verbum in vita communi, aliter in religione, aliter in ſcholis Philoſophorum dicitur, quae et ipſae non conſentiunt ſatis.

z) Exempla rem optime illuſtrant. *Καθαρισμὸς* alium habet ſenſum in vita communi, alium in religione gentili, alium in Iudaica, alium in Chriſtiana, alium in dogmate de iuſtificatione, alium in theologia morali, alium denique in philoſophia Pythagorica (*καθαρισμὸς τῶν ψυχῶν*). Adde ברית, נביא, כהן, *πίστις*, *δαίμων*, *auctoritas* (vid. *Erneſtii* clauis Cicer. ſub h. v.), *libertas* (Attica, Spartana, Romana), *ſacramentum*.

## § 14.

Eius porro obſeruatio propria eſt Grammaticorum, quorum artis maxima et praecipua pars in eo verſatur, vt, quid verbum quodque, tempore quoque, apud ſcriptorem quemque, in diſciplina et forma denique loquendi quaque, ſonuerit, diligenter exquirant.[a]) Vnde ſenſus literalis idem *grammaticus* dicitur; immo verbum *literalis* eſt latina interpretatio *grammatici:* nec minus recte *hiſtoricus* vocatur, quod, vt caetera, quae ſunt in facto, teſtimoniis et auctoritatibus continetur.

a) Quum vſus loquendi ſit res facti, Grammaticus

cus curam ſuam intentam habere debet in hiſtoriam ſignificationum. Sunt nimirum diſtinguendi ſignificatus primitiui, deriuati, poetici, proſaici; quod veteres etiam fecerunt in gloſſis Homericis, Platonicis, tragicis. Eiusmodi autem laborem in lingua emortua eſſe difficillimum, iam exinde poteſt colligi, quod Lexico N. T. omnium deſideriis adcommodato hucvsque caruimus. Conf. *Fiſcheri* proluſiones de vitiis Lexicorum N. T. Lipſ. 1791. proluſ. XVI-XXXI. *Schleusneri* theſaurus linguae Graecae N. T., cuius editio tertia cum maxime prodiit, noſtris demum diebus eruditorum votis ſatisfecit.

§ 15.

Itaque nullus alius verborum ſenſus eſt, niſi grammaticus, eumque Grammatici tradunt. Nam qui alium grammaticum, alium logicum ſenſum faciunt, vim ſenſus grammatici non aſſequuntur; nec ſenſus ab vſu aliquo qualicunque alicuius diſciplinae aut rerum in indagando ſenſu variatur. Foret enim non minus multiplex, quam res ipſae ſunt.

§ 16.

Et quoniam haec omnia communia ſunt libris diuinis et humanis; patet, non alio modo vel quaeri vel reperiri ſenſum verborum in libris ſacris, quoad humana opera intercedit, quam quo in humanis vel ſolet vel debet, nec vllo modo audiendos eſſe Fanaticos,

ticos, qui, contemtis ſtudiis linguarum et doctrinae, omnia ad vim diuinam Spiritus S. referunt:[b]) quamquam non eſt dubitandum, viros pios et veritatis divinae cupidos adiuuari a Spiritu Dei in ſcrutando ſcripturae ſenſu,[c]) in iis quidem rebus, quae proprie ad fidem et mores pertineant.

b) Iam Valdenſes omnia tribuerunt πνεύματι, linguas autem contemſerunt. Simili ratione Fanatici feruidae imaginationis vim ſecuti, quae in religione admodum eſt perniciosa, hoc ſolum interpretandi nituntur praeſidio: ζητεῖτε καὶ εὑρήσετε.

c) Qui verum bona mente indagare ſtudent, adiuuantur certe a S. S., qui eſt πνεῦμα τῆς ἀληθείας Joh. XV, 26. Quapropter neutiquam opus eſt quaeſtione, num diuina inſtitutio interpretis pertineat ad actus gratiae?

§ 17.

Sed his non multum diſſimiles, et fortaſſe magis pernicioſi ſunt ii, qui a pari contemtu et inſcitia linguarum, a qua fere contemtus ille naſcitur, in interpretando rebus potius quam verbis nituntur. Efficitur enim interpretatio incerta, et ad iudicium humanum reuocatur veritas, cum primum a verbis diſceditur, et aliunde ſenſus iudicium, quam a verbis ducitur: nec ea ratio valet vllo modo ad coarguendos adverſarios doctrinae: qui et ipſi e rebus ſe interpretari iactant, hoc eſt, vel e ſuis decretis et opinionibus

nibus ante susceptis, vel e sententiis philosophicis; vnde rationis in interpretandis literis sacris abusus nascitur.

§ 18.

Omnino lubrica et fallacissima est ratio, sensum verborum e rebus colligendi, cum res potius e verbis eorumque sensu, legitima ratione indagato, cognosci debeant.[d]) Potest enim aliquid verum esse, quod tamen non inest verbis: et quid de rebus statuendum sit, e verbis Spiritus sancti intelligi et iudicari debere, in promtu est. *Non potest Scriptura intelligi theologice*, verissimum Melanchthonis dictum est, *nisi ante intellecta sit grammatice:* vereque noster *Lutherus* iudicat, certam sensus intelligentiam esse ab sola scientia verborum. v. Epist. ad Magistratus Germ. de Scholis constit. *T. II. Altenb.* p. 804.

d) Historia docet, conturbato vsu linguae etiam conturbari res et disciplinas. Optime Plutarchus: τοὺς μὴ μανθάνοντας ὀρθῶς ἀκούειν ὀνομάτων, κακῶς χρῆσθαι καὶ τοῖς πράγμασι. Vid. *Tarnquius* exercitt. bibl. p. 258. *Vitringa* in Iesaiam pag. 5. et ante omnes *Ernestii* programma de interpr. librorum sacrorum in Opusc. Phil. p. 219. seqq.

§ 19.

Itaque res et analogia doctrinae, quam dicunt, hactenus modo prodest in interpretan-

tando, vt in verbis vel a multitudine significationis, vel a ſtructura, vel alia qua cauſſa, ambiguis, ducat nos ad definiendam verborum ſignificationem, ſiue ad delectum ſignificationis. [e]) In quo tamen et ipſo cautio eſt, vt res, quibus ad definiendum vtimur, ductae ſint ex verbis planis et perſpicuis et certo cognitis aliorum locorum, nec aduerſentur verba, quorum ſenſum quaerimus. Cum autem aliter, aut per eam ſolam, ſine grammatica ratione, ſenſus quaeritur, nihil aliud efficitur, niſi, vt ſenſus repertus in ſe fortaſſe non abſurdus ſit, non vt in verbis lateat, ſitque menti ſcriptoris conſentaneus.

e) Analogia doctrinae conſulenda eſt 1) in conſtructionibus ambiguis, v. c. Ioh. III, 15. 2) in verbis ex ingenio vniuerſae Ieſu Chriſti doctrinae illuſtrandis, v. c. σωτηρία, ἀπώλεια, βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ζωή. Vid. *Morus* de notionibus vniuerſis in theologia, Opp. tom. I. p. 248. ſqq. Analogia rei interpretem adiuuat in locis N. T. ex hiſtoria et moribus illius temporis illuſtrandis, v. c. Act. XXVII. tot. 1. Cor. IX, 24. βραβεῖον, Act. XXVIII, 16. στρατοπεδάρχης.

§ 20.

Quae cum ita ſint, illud quoque intelligitur, rationem ſenſus verborum in libris ſacris indagandi non magis eſſe arbitrariam, quam in caeteris libris, ſed pariter adſtrictam certis a natura linguarum ductis legibus;

gibus; eaque de cauſſa perabſurde facere, qui librorum diuinorum interpretationem, deque ſenſu verborum diuinorum iudicium, humano, vt pontificis Romani, iudicio ſubiiciant [f]).

f) Etiam libri Symbolici ingenuam interpretationis libertatem coercere nequeunt. Vid. *Doederleinii* obſeruationes morales de LL. SS. Ienae 1789. 5. In longe alia abit *Boſſuet*, magnum olim Galliae decus, in libro: *Hiſtoire des variations des egliſes Proteſtantes* l. V. ch. 23. ſ.

§ 21.

Qui ſenſus igitur clare per grammaticas leges tribuendus eſt verbis, non debet reiici propter rationes a rebus ductas: fieret enim interpretatio incerta: ſed in libris humanis, ſi res et ratio manifeſta repugnat, agnoſcitur vel vitium ſcripturae, vel error ſcriptoris: in libris diuinis, ſi non conſentit vulgatis hominum notionibus, ingenii humani et rationis imbecillitas: ſin hiſtoriae clare aduerſatur, conciliatio quaerenda, nec facile, ſine bonis libris, correctio tentanda. In quo admirandum eſt, plus reuerentiae tribui libris humanis, quam diuinis. Nam in illis, de antiquis loquimur, cum aliquid eiusmodi incidit, correctio aut conciliatio quaeritur, velut ἀναμάρτητοι fuerint: in his occaſio arripitur carpendi aut peruertendi vel ſcriptores, vel doctrinam ipſam.

§ 22.

§ 22.

Atque etiam comparatio rationum debet esse eiusmodi, vt maior vis tribuatur grammaticis, quam dogmaticis: propterea, quod aliquid potest esse verum, ac veritati maxime consentaneum, quod tamen non inest verbis: suntque in libris Theologorum multae tales interpretationes, quae plane consentiunt doctrinae christianae, nec tamen a verbis ductae sunt, verae dogmatice, sed non grammatice et ἐξηγητικῶς.[g])

g) Illa itaque N. T. loca, quae tractant non praecepta, sed subtiliora dogmata religionis, hac ratione sunt explicanda, vt plane nihil de tuo admisceas, sed puram S. S. doctrinam sequaris: quod quidem hucusque non semper factum est, neque etiam fieri poterat. Hic omnes ingenii sui vires intendat interpres, hic vltro videat et profiteatur circumscriptos eius limites. Vid. *Ernesti* de vanitate philosophantium in N. T. Opp. Phil. p. 233.

§ 23.

Quoniam autem libri sacri scripti sunt a viris θεοπνεύστοις, facile intelligitur, veram dictorum repugnantiam in iis esse non posse. Neque enim Deus aut non videt, quid sit consequens aut consentaneum cuique, aut ita obliuiscitur sui, vt non satis memor sit eorum, quae ante dixerit.[h]) Itaque si talis repugnantiae species offeratur, conciliatio-

nis

nis aptae ratio indaganda eſt: de cuius modo locus proprius erit praecipiendi.

h) Malit fortaſſe aliquis, ita ſcriptum fuiſſe ab auctore: *Neque enim viri a prouidentia diuina electi ita labi poterant, vt non ſatis memores eſſent eorum, quae ante dixerant.* Iohannes enim a Luca, Paulus a Petro (Gal. II, 11. 2. Petr. III. 16), et uterque a primo ſcriptore ſatis longe diſcedunt. Θεοπνευστίας notio itaque non antecedere debet rectam firmamque S. S. interpretationem, ſed ſenſus potius inde eliciti riteque probati veritatem.

§ 24

Eandemque ob cauſſam omnis interpretatio, vt in libris humanis, ſic multo magis in diuinis, debebit conſentire conſilio ſcribentis, et orationi reliquae, contextum vocant. Nam homines poſſunt negligentia aut inſcitia ponere, quae conſilio non conueniant: Spiritus ſanctus nullo modo. Atque hinc pendet certitudo interpretationis e conſilio orationis et ſerie, quae tamen non vnam cautionem habet: quas ſuo loco trademus.

---

## CAP. II.

### *De Verborum generibus et vario vſu.*

§ 1.

Sed ad reperiendum ſenſum plurimum valet, etiam noſſe diſcrimina verborum, quae ſenſum adficiunt, et eorum vim vel mutant, vel augent.

§ 2.

Prima autem diſtributio, quae maximum momentum facit in interpretatione ſacrorum inprimis librorum, eſt in *propria* et *tropica* vocabula.[i])

i) Interdum notari vix poteſt propriae ſignificationis tranſitus ad tropicam, v. c. in רוח, אור.

§ 3.

Et prima quidem inſtitutione, dubitari vix poteſt, verba propria fuiſſe omnia, et ad certas res indieandas facta et excogitata,[l]) vt per eas diſcerni facile et ſine ambiguitate poſſent. Et tamen ſufficiebant non ita multa verba, propterea, quod in illa priſca vitae ſimplicitate paucae res in ſermonem cadebant.

l) Vt et maximam partem monoſyllaba. Vid. b. *Haſſe* ebr. Sprachlehre t. I. p. 2.

§ 4.

Sed mox orta eſt primum neceſſitas verborum varie vſurpandorum, aucta rerum copia, de quibus conferre ſermones cuperent homines: cum partim de rebus iis cogitare et loqui coepiſſent, quas olim non curaſſent, vel cogitatione complecti, vel ſermonibus celebrare: partim nouae res inuentae eſſent, ad quas appellandas opus eſſet certis verbis. In quo duplex erat ratio huic neceſſitati ſerviendi. Nam aut noua vocabula excogitanda erant, aut vetera erant cum pluribus rebus communicanda. Et in linguis quidem iis, quae aut vſurparentur a populis ingenioſioribus, et ſtudiis doctrinarum deditis, aut ſua natura vel arte eſſent flexibiles, et nouis verbis effingendis aptiores, in iis igitur, noua verba plurima reperta et in vſum inuecta ſunt.[m]) Et tamen ne in his quidem rebus omnibus noua verba impoſita ſunt, ne numerus verborum in infinitum augeretur. In caeteris maior neceſſitas fuit verborum eorundem cum pluribus rebus communicandorum. Vnde fit, vt quo quaeque lingua et vniuerſa, et in quibusdam partibus orationis, pauperior ſit, et numero verborum tenuior, ita frequentior eſſe debeat verbis,

quae ſint pluribus rebus communia.[n]) Dignus eſt in hanc rem, qui legatur, locus Ciceronis pro Caecina c. 18. item c. 20. init.

m) V. c. in graeca et latina, quarum vtraque vnius vocabuli plures habet formas, v. c. *φάω*, *φαίνω*, *φαίνομαι*, *φανερόω*: *facio*, *faceſſo*, *factito*: *edo*, *eſito*, *eſurio*. Vid. *Varro* de lingua lat. l. VI — VIII. *Scheidii* prolegomena ad *Lennepii* etymol. linguae graecae. Traiecti ad Rhen. 1790.

n) Plurima exempla ſuppeditare poteſt lingua hebraica, v. c. הלך. Vid. *Herder* Geiſt d. Hebr. Poëſie. T. I. p. 17.

§ 5.

Sed horum verborum diuerſa et multiplex ratio eſt. Nam primum in quibusdam illa prima, et, ſubtiliter accepto verbo, propria ſignificatio obſoleuit, et a multo tempore deſiit vſurpari. In quibus planum eſt, alteram, quae olim tropica videri potuit, propriam factam eſſe: quod maxime locum habet in nominibus rerum: multaque adeo ſunt vocabula, quae propriam ſignificationem, i. e. eam, quam ab initio habuere aut per etymologiam habere debuere, nunquam habent; vnde eam, quam ſecundum illam obtinuerunt vim, propriam dicere nemo dubitet.[o])

o) Exempla ſunt ברך genua flectere, *benedicere* (vid.

(vid. *Michaelis* ſuppl. ad h. v.), אף, *διάβολος*, *ὀρθοτομεῖν*, *καινοτομεῖν*, *hoſtis*, *refutare* (vocabulum olim in culina vſitatum, ſi aqua feruens et ebulliens aqua frigida, ex vaſe, *futum* dicto, effuſa reprimebatur. Vid. *Voſſii* Etymol. ad h. v.). Conſule *Lennepii* etymologicon paulo ante excitatum.

§ 6.

Deinde, quod illi ſimillimum eſt, verborum quorundam tropicus ſenſus ita vſu tritus eſt, vt magis vulgo etiam notus ſit vſurpeturque, quam proprius. Quod genus verborum quin proprium recte dicatur, etiamſi, ſi ad viuum rem reſeces, tropicum ſit, dubitari nullo modo poteſt. Neque enim, qui in teſtamento alicui bibliothecam legauit, vt hoc vtamur, tropice ſcripſiſſe exiſtimatur, quamquam, ſi ſubtiliter rem exſequamur, metonymia eſt in bibliothecae verbo.

§ 7.

Atque etiam, cum verba transferuntur ad res, quae proprium verbum non habent, ea propriis paria ſunt, et proprie de iis dicuntur: vt cum *luxuriem* de ſegete dicimus. Nam etſi per translationem de ſegete dicitur, tamen propter eam, quam diximus cauſſam, proprium de ſegete verbum eſt. Eademque ratio eſt v. c. *perceptionis* et *libertatis* de mente et animo humano, et aliorum.[p])

p) V.

p) V. c. praetor, a praeeundo, de magiſtratu: gemma vitis, ſitiunt ſegetes. Vid. *Ariſtotel.* rhetor. l. III. c. 4 — 10. *Quinctiliani* Inſtit. Orat. L. VIII. c. 6. tot.

## § 8.

Verum translatio verborum etiam facta ſaepe eſt, nulla neceſſitate iubente, quam rei nouitas attuliſſet. Neque enim neceſſitati tantum in rebus humanis ſeruitur, ſed etiam, et multo adeo magis, ſuauitati et delectationi, et pro ingenii aut morum indole magis minusue. Itaque tropi quaeſiti ſunt primum, vt variari poſſet oratio, ne ſaepe aut ſemper eodem verbo eſſet vtendum, ex quo genere ſunt metonymiae, ſynecdochae, et tenuiores metaphorae: quod in omni re varietas deſideratur, et ſine ea celeriter taedium venit, nec quisquam eleganter et ſuauiter dicendi ſtudioſus non in varianda oratione magnam partem bene dicendi ponit.[q])

q) Etiam in S. S. ponuntur tropi, vt orationi color adfundatur, v. c. מול, ערלה pro gentilibus: אכל Mal. III, 3. de locuſta: *κόσμος* orbis Iudaicus pro vniuerſo et v. v., *αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ*, pro paſſione et morte Ieſu. Exemplorum nubem dabit *Glaſſius* philolog. ſacra l. V. tot. edit. *Dath.*

## § 9.

Sed tropica verba etiam ad ornandam orationem collata ſunt, praeſertim metaphorae.

phorae. Nam quod in his, quae maxime ſunt frequentes, ineſt ſimilitudo ad vnius verbi anguſtias redacta, animus iis delectatur, propterea, quod natura ſimilitudinibus et imaginibus capitur, praeſertim iis, quae a rebus ducantur, aliquid ſplendoris aut ſuauitatis ſenſibilis habentibus.[r])

r) Vetus eſt praeceptum: vſurpatur metaphora 1) ſi vacantem locum occupare poteſt, 2) ſi venit in alienum et plus valet expulſo. Vid. *Dionyſius* Halicarnaſſ. de compoſitione verborum ſect. 21—23. ed. Schaeferi Lipſ. 1808. p. 287. ff.

§ 10.

Itaque vt quisque magis eſt ſtudioſus ornandae orationis, ita eſt tropis frequentior, vt poëtarum et oratorum conſuetudine patet; quibus vel hanc ipſam ob cauſſam maxime conceditur frequentior troporum vſus, quod iis maxime ornata oratio efficitur.

§ 11.

Quamquam in eo etiam ingenium et res ipſa, de qua dicendum eſt, valet plurimum.[s]) Nam ingenia calidiora et viuidiora frequentant magis tropos, et quidem audaciores, atque, vt aliis videtur, duriores,[t]) quod facilius ſimilitudines coniungunt atque intelligunt, et natura ſua ad eas comparandas feruntur: vnde fit, vt etiam leui et qualicunque

que similitudine contenti sint. Res autem ipsae sua magnitudine in vtroque genere incitant animos, vt ad tropos in dicendo, eosque illustriores, ferantur.

s) Quilibet coeli tractus, quilibet populus tropos habet singulares, inprimis comparationes. Hanc ob rem orientis scriptores amant visiones, parabolas, paroemias, gnomas. Exempla sunt: לבש, פרש כנף, זרע, λῦσαι ὑποδήματα.

t) V. c. poetae Arabum (vid. Hamasa) et tragici graeci, inprimis Aeschylus. Vt hi conferantur ad literaturam orientalem, iam Alb. *Schultensius* auctor est. Magnopere tamen cauendum est, ne tropi unius linguae temere misceantur cum imaginibus idiomatis longe diuersi. Poterat v. c. *Michaelis* in supplementis ad lexica Hebraica v. רדם, cui *pungendi* notionem inesse voluit, adferre locum Hamasae, quo *somnus* dicitur *oculos compungere*. Sed abuti non debebat vir olim doctissimus ad explicandum locum Rom. XI, 8. πνεῦμα κατανύξεως. Κατάνυξις enim non descendit a νύσσω, pungo, sed a νυστάζω, dormito, quod a νύω, nuto, repetendum est. Vide *Lennepii* etymolog. ed. Scheid. p. 620.

§ 12.

Ex quibus intelligitur id, quod est in omni, tum inprimis librorum sacrorum interpretatione maxime tenendum, longe aliam esse rationem transferendi verbi propter necessitatem, quam propter caeteras caussas. Nam illa fit, vt res aliqua habeat certum nomen, quo appellari possit, haec delectationis

nis et ornatus caussa. Itaque illa est grammatica modo, haec autem rhetorica. In illa, transferendi caussa est in analogia naturarum, in hac, in qualicunque sensibili similitudine. Et quoniam vnaquaeque res debet habere nomen, siue suum, siue commune, idque ei grammatice proprium est, sequitur, grammatica translatione non tolli proprietatem verborum, sed modo rhetorica. [u])

u) De hoc discrimine circumscriptius agendum est. Si inter duas res, quarum vtraque iam habet verbum proprium, intercedit similitudo quaedam specialis, vel arbitraria, illarumque nomina delectationis causa inter se commutantur; tunc hoc fit per translationem rhetoricam, v. c. *generare epistolam*. Sin autem inter duas res intercedit naturae quaedam similitudo generalis, potest ab vna re, quae nomen habet proprium, verbum ad alteram, quae id non habet, transferri per translationem grammaticam. Hanc denominationem propriam esse voluerunt interpretes in υἱὸς Θεοῦ et γεννᾷν, de modo essentiae, quam Iesus habet a patre: in ἐξέρχεσθαι de S. S. Qua tamen in re monendi sunt interpretes, בני אלהים et τέκνα Θεοῦ (I. Ioh. III, 2.) dici de hominibus (vid. b. *Koppii* Exc. II. in Epist. ad Galat. Ed. 2. *quo sensu* υἱὸς Θεοῦ *apud Paulum dicatur*): homines pios vocari γεγεννημένους ἐκ τοῦ Θεοῦ (I. Ioh. III, 9.): ἐξέρχεσθαι παρὰ πατρὸς (Ioh. XVII. 8.) dici de procliuitate discipulorum Jesu Christi ad veritatem religionis diuinae et de Iesu ipso (conf. b. *Doederleinii* diss. de vi et vsu formulae: *Christum de coelo venisse*, in Opusc. Theol. p. 59. sqq.). Haec omnia docent, caute tractandum esse discrimen translationis

tionis grammaticae et rhetoricae, inprimis in iis doctrinis, quae allegoriarum vmbris propter communem ingenii humani imbecillitatem vix carere poſſunt.

§ 13.

Caeterum, quoniam vis verborum tropicorum omnium, id quod facile intelligitur ex iis, quae diximus, vt propriorum, ducitur ab inſtituto eorum et arbitrio, qui ea certis rebus ſignificandis accommodauere, idque ipſum obſeruatione conſtat, hunc quoque ſenſum grammaticum et literalem eſſe apparet, vehementerque erraſſe, qui ſecus cum *Hieronymo* aliisque (ap. Amamam pag. 161.) ſtatuerent. Nec alia eſt interpretatio tropicorum, quam propriorum. v)

v) Omnes tropi ad ſenſum literalem reduci debent, quod facilius fit in iis, qui ex translatione grammatica oriuntur, v. c. רוח הכמה Eſ. XI, 2. *profunda ſapientia, μυστήριον, ſublimis religionis doctrina.* Difficilius expediuntur tropi ex translatione rhetorica orti, v. c. διάβολος, ܐܟܠ ܩܪ̈ܨܐ, comedens carnem.

§ 14.

Atque ab hoc maxime fonte fluunt verba *ſynonyma*, in quibus ipſis diligentia quaedam interpretis deſideratur, ne diuerſitatem ſententiae exquirat alieno loco: quod fit non raro. Nam proprie, in vna eademque ſaltem linguae eiusdem dialecto, aut eadem gente, eademque aetate, non ſunt ſynonyma verborum

rum propriorum x); ſed ſi talia ſunt in lingua aliqua, vt ſunt profecto, velut in graeca inprimis, ea ſunt diuerſarum vel dialectorum vel aetatum. Maximus autem numerus eſt e tropica ratione, quae vel ornandi vel variandi cauſſa easdem ſententias cum pluribus verbis communicat y).

x) V. c. *rex:* apud Graecos *βασιλεύς*. Reliqua vocabula, *τύραννος*, *κοίρανος*, *κρείων*, ſunt dialectorum: Atticus certe *ἄναξ* non adhibebit, niſi in carmine. Adde *πορεύεσθαι* et *βαδίζειν*, *ληστής* et *ποριστής*: *ῥοδοδάκτυλος*, *φοινικοδάκτυλος* et *ἐρυθροδάκτυλος*, quae poſtremae voces tropicae ſunt et tamen poteſtate differunt: vide *Ariſtoteles* rhetoric. l. III. c. 2. et Grammaticorum principes, v. c. *Ammonium*, *Pollucem*, *Harpocrationem*, *Thomam M.* Neque negligendae ſunt *Girardi* et *Eberhardi* obſeruatt. in libris ſatis illuſtribus de Synonymis linguae Gallicae et Teutonicae.

y) Atque his optimi ſcriptores vtuntur: profani, v. c. Cicero Off. L. I, c. 6. *inquiſitio et indagatio veri:* ſacri, v. c. Dauid Pſ. CXIX. מצוה, תורה, עדות, חק, pro lege diuina: Ieſ. c. I. חטאה, פשע, עון pro peccato: Paulus, *ζωή*, *δόξα*, *τιμή* pro felicitate. Synonymia occurrens in phraſibus adpellatur èxergaſia, et apud ſcriptores V. T. poeticos parallelismus, cuius leges cognoſcere debet hymnorum Lucae et Apocalypſeos interpres. Vid. *Schleuſner* diſſ. de parallelismo membrorum egregio interpretationis ſubſidio. Lipſ. 1781. 4.

§ 15.

§ 15.

Interdum autem ad ordinariam verbi ſignificationem accedit aliquod, vt ita dicam, auctarium. Id eſt duplex. Alterum pertinet ad verbi dignitatem, alterum ad ſignificationis amplitudinem et grauitatem. In illo genere verbum accipit quandam vel honeſtatem vel turpitudinem vſu et opinione hominum, vnde εὔφημα alia, alia δύσφημα ſunt: quo de genere in hac interpretis inſtitutione dicere nihil attinet [z]): in hoc autem eam, quam *emphaſin* appellamus. Eſt ergo emphaſis quaedam ad ſolitam verbi ſignificationem acceſſio, augendi vim habens in vtramque partem [a]).

z) Notandum tamen eſſe videtur, εὔφημα eſſe vocabula, quae ab hominibus honeſtis vſurpantur: δύσφημα, quae ſine offenſione audiri nequeunt, et quibus nullae, niſi dignae et nobiles notiones ſubſternuntur. Nullum autem vocabulum natura ſua honeſtum et turpe eſt, ſed ex opinione hominum. Quod itaque in S. S. obſcenum videri poſſet, v. c. Ezech. c. XVI. tot. 1 Cor. VII, 18. ἐπισπᾶσθαι, illis temporibus neutiquam erat turpe. Quo cultior enim eſt lingua, eo plures habebit ambiguitates: qua de re iam conqueritur Cicero ep. IX, 22.

a) Emphaſis, ab ἐμφαίνειν, eſt, qua plus ſignificatur, quam dicitur. Quod enim in vultu eſt nutus, emphaſis eſt in oratione, v. c. *virum te eſſe oportet: demiſſum lapſi per funem.*

§ 16.

## § 16.

Ex quo primum illud intelligitur, quod maxime in hoc loco eſt tenendum, nullum verbum habere emphaſin per ſe: propterea, quod vnumquodque verbum habet per ſe certam vim, indicatque certam quandam ideam rei, per ſe vel paruae vel magnae, in qua emphaſis eſſe non poteſt; nec quia verbum aliquod rem valde magnam aut valde paruam ſignificat, propterea ei ſtatim emphaſis ineſt, aut ineſſe putatur [b]). Conſequeretur enim, vt nomina *Deï*, *mundi*, *ſolis*, *regis* eſſent valde emphatica; quod nemini in mentem venit, aut venire poteſt.

b) Sic v. c. Matth. VI, 31. μεριμνᾷν vix de curae magnitudine explicari poteſt, vti putauerunt nonnulli.

## § 17.

Sunt autem emphaſes vel *temporariae*, vel *conſtantes*. Temporarias dicimus, quae certo loco ac tempore verbis accedunt. Eae ſolent naſci, vel ex affectu dicentis, vel e grauitate rei, quam verbum ſupra vſum ordinarium exprimit. Conſtantes autem ſunt, cum verbum accipit a conſuetudine ſignificationem maiorem, quam per ſe habebat, eamque in certis modis loquendi ſemper obtinet [c]).

c) Pro-

c) Proprie omnes emphases sunt temporariae, magis tamen minusue. Priores oriuntur α) vel ex adfectu, vt v. c. in Medea apud poetam, quae in vltimas angustias redacta, quum interrogaretur, quid tibi restat? respondit, ego. Sic Sulpicius Ep. ad Diu. IV, 5. dicit: *noli oblinisci, te Ciceronem esse.* β) vel ex magnitudine et grauitate rei, v. c. Ioh. II, 11. πιστεύειν indicat firmitatem fidei. Posteriores oriuntur ex vsu linguae, v. c. שאול, ᾅδης, *incedere*, *βαδίζειν*, de Deo, Deaue: *schlummern*, *schauen*.

## § 18.

Eae quomodo agnoscantur, ex ipsis definitionibus clarum est. Temporarias enim contextus orationis indicat et rei natura: constantes vsus loquendi.

## § 19.

Est etiam alia emphasium apud magistros artis partitio in *verbales* et *reales*. *Reales* esse aiunt in rerum magnitudine et sublimitate, eiusque generis aiunt esse illud *Gen.* I, 3. a *Longino* celebratum; *verbales* autem ponunt in verbis ad exprimendam rei magnitudinem aptis. Sed illa distributio inanis et vitiosa est. Emphasis enim est verborum modo, non rerum: quarum est sublimitas, ὕψος, magnitudo, δεινότης, non ἔμφασις: nec, vt verbum quodque exprimit rem magnam, id quod antea diximus, aut aptum est rei magnitudini exprimendae, ita statim empha-

emphaſin habet: niſi vero et in illo Nepotis emphaſis eſt: *milites flagrabant cupiditate pugnandi:* quod nemini perito vnquam in mentem venit exiſtimare.

Vid. *Dionyſius* Halicarnaſſenſis de verborum compoſ. ſ. XVI. ed. *Schaeferi* p. 191. ſſ.

§ 20.

Itaque etiam hi errant, et imperitiam artis produnt, qui quodlibet verbum tropicum, inprimis metaphoricum, etiam emphaticum faciunt [d]). Nam, in tropis neceſſariis, aut variandae tantum orationis cauſſa poſitis, emphaſin non eſſe, per ſe clarum eſt: in iis autem, quae ornant orationem, nihil aliud eſt, quam ſimilitudo, ſeruiens adiungendae ſententiis orationis ſuauitati: nec *flagrare cupiditate* plus eſt, quam *vehementer cupere:* nec quisquam plus cogitat. Itaque ſi in hoc nulla eſt emphaſis, nemo autem eſſe dixerit, nec in illo eſſe poteſt. Sed error eſt hic, quod putant, *flagrare cupiditate* poſitum eſſe pro *cupere* ſimpliciter. Ex quo fit, vt tropicorum verborum emphaſis non aliter iudicetur, quam propriorum.

d) Emphaſis itaque non eſt tropus, (tropum emphaticum tamen forte inuenias Matth. XXIV, 28. vbi

reſpici

respici poteſt ad aquilas Romanas) ſed figura. Permutatio troporum cum emphaſibus compendia dogmatica quidem olim ditauit, ſanae autem interpretationi nocuit, v. c. in *βασιλεὺς*, *προφήτης*, *ἀρχιερεὺς* de Ieſu Chriſto. Vid. *Erneſti* de officio Chriſti triplici in Opp. Theol. p. 413. ſqq. Conf. adhuc *Fiſcheri* proluſiones de vitiis Lexicorum N. T. proluſ. V. IX.

## § 21.

Illa quoque vt nota, ita magna et inprimis neceſſaria obſeruatio eſt, omnem linguam habere verba et loquendi genera, quibus nullum in alia lingua, aut, ſaltem ea, qua in interpretando vtimur, ſatis reſpondeat [e]): cuius generis plura ſunt in hebraico et graeco, etiam proprio Noui Teſtamenti ſermone. Eius rei cauſſa eſt non modo in rebus: quod natio quaeque habet quaedam ſibi propria in diſciplina religionis, in legibus, vitaeque quotidianae conſuetudine, aliisque: ſed etiam in ipſa ingeniorum varietate, quae non eodem modo a rebus afficiuntur, in arbitraria denique conformatione idearum in iis, quae non ad ſubſtantias aut eſſentiam rerum pertineant. add. Lock. de intell. hum. III, 5. 6. Clericus Art. Crit. P. II. S. I. c. 2.

e) Cicero de Orat. L. II. init. dicit, Graecos non vno vocabulo exprimere poſſe, quid ſit Latinorum *ineptus*, cui certe Caſauboni *ἀπειρόκαλος* non plane

plane reſpondet. Idem de Leg. I, 1. ait, Graecos non poſſe exprimere Lat. *vultus*, quod *πρόσωπον* ſaltem non adſequitur. Addimus: מטה לחם, יהוה, ערב, *ὁδηγεύειν* Iob. XIV, 13. *οἱ περὶ Παῦλον* Act. XIII, 15. *φεύγειν*, *διώκειν*.

§ 22.

Vt denique notiones ſunt vel *disiunctorum*, vel *generis* et *formarum*, ſic verba pariter diſtribuuntur. Quare, vt, in notionibus repugnantibus, vna cognita, intelligitur altera, ſic, vt, quod altera ponit, idem tollat altera: ita etiam in verbis disiunctorum, ſiue ſubiecti ſiue praedicati locum teneant, haec lex debet valere, vt vnius interpretatio ad ſenſum alterius recte vel ex vſu loquendi, vel, vbi ille varius eſt, e contextu cognitum, accurate dirigatur f). Vt cum *multi* et *pauci* in eadem ſententia occurrant, conſtetque *multos* eſſe *omnes*, iubente contextu et natura rei, conſequetur, vt *pauci* non ſint, quos vulgo conſuetudo loquendi appellet, ſed *non omnes*, ſine reſpectu aliquo ad eam, quae proprie dicitur, paucitatem ff). Ex eodemque genere ſunt *σάρξ* et *πνεῦμα*, item *γράμμα* et *πνεῦμα*, in quibus alterius ad alterum accommodanda eſt interpretatio.

f) Oppoſita enim iuxta ſe poſita magis illuceſcunt.

Exempla sunt חי et מות, Χριςὸς et Βελίαλ, σώζεσθαι et κατακρίνεσθαι.

ff) *Multos* pro *omnibus* in N. T. saepius poni, communis est interpretum sententia, qui prouocant ad Matth. XX, 16. 26. XXVI, 28. Videsis tamen, ne aliquid licentiae insit huic praecepto, collaturus Rom. V, 15. 16. 19. cum v. 18.

## § 23.

Nec illa negligenda est interpreti verborum distributio, quae alia *abstracta*, alia *concreta*, appellat g). Nam in his linguae omnes, praesertim veteres, hoc commune habent, vt abstractis vtantur pro concretis, omninoque libenter frequentent abstracta, sed non eadem aut omnes aut vbique de caussa.

g) Nimirum ex ratione veterum, qua verba *concreta* sunt, quae indicant subiectum cum attributis: *abstracta*, quae indicant, quod in subiecto certe reperitur. Conf. *Glassii* philol. s. ed. recent. l. V. tr. de met. et synecd.

## § 24.

Habetur autem in eo vel necessitatis ratio, vel perspicuitatis et ornatus. *Necessitas* est in linguis iis, in quibus est penuria concretorum, (adiectivorum inprimis) velut in lingua hebraica similibusque; in quibus propterea saepe abstracta coguntur vicem subire con-

concretorum: vnde orta rei conſuetudine, idem fit etiam, vbi nulla neceſſitas cogebat.

## § 25.

At *perſpicuitati* ſeruiunt, cum pro ſubiecto cum pronomine aut ſubiecto ipſo ponuntur: quod dirigunt mentem ad videndum id, propter quod ei praedicatum attribuitur. In quo eſſe aliquam efficaciam dicendi, nemo abnuerit. v. Initia rhetor. § 299. *Ornatum* autem ſiue *ſuauitatem* fere efficiunt, non modo illa ipſa perſpicuitate, ſed etiam magnitudine ſua et orto inde ſono grandiori.

## § 26.

Sunt denique alia verba communia et veluti publica, alia priuata, ſaepe non tam literis et ſono, quam ſenſu, aliterque idem verbum populo dicitur de rebus communibus loquenti, aliter doctis et in explicanda diſciplina ſua; [h]) nec modo ſic, vt aliud ſignificent in vita communi, aliud in arte, ſed etiam vt craſſius in illa, in hac ſubtilius et ἀκριβεστέρως dicantur: quae qui in interpretando confundunt, res ipſas peruertunt. conf. P. II. c. 10. § 31.

h) Sic παχυλῶς ex vſu publico explicandum eſt, ἀδύνατον, vix, Ebr. VI, 4. πάντα, multa, Ioh. IV, 29. δαί-

29. δαίμων, δαιμονιζόμενος. Vsum priuatum contra habent πίστις, de religione theoretica et practica (conf. b. Koppe Exc. VI. Ep. ad Galat.): *percipere*, proprie capere, apud Ciceronem est, *sibi repraesentare*, apud Stoicos, *de aliqua re certum esse*.

PARTIS

## PARTIS PRIMAE
## SECTIO II.
# PRAECEPTIVA.

### *De ſenſu recte quaerendo*

### ſ.

### *De Regulis interpretandi*

§ 1.

Explicatis ſenſus verborumque generibus atque natura, de regulis interpretandi deinceps eſt agendum. Sunt autem *regulae interpretandi* propriae formulae, exprimentes ac definientes modum ſenſus verborum in ſcriptore et contextu quoque, et recte reperiendi et perſpicue declarandi.

§ 2.

Eae ducuntur et firmantur ex decretis de natura ſenſus, verborum et interpretationis, ſed

ſed ductis illis ex obſeruationibus, non e dialecticis argutiis.

§ 3.

Neque modo ſeruiunt inueniendo ſenſui, ſed etiam iudicando, verus falſusue repertus ſit: nec modo per eas intelligi debet, quare alienus repertus ſit, ſed etiam, quare verus reperiri nequeat.

§ 4.

Quia autem ſenſus verborum, vt ſupra vidimus, pendet ab vſu loquendi; regulae de ſenſu vel reperiendo vel iudicando, maxime debent definire modum reperiendi vſum loquendi, et ad quemque locum intelligendum conferendi.

§ 5.

Vſus loquendi porro eſt vel certae linguae vniuerſe, vel certi ſcriptoris proprie. Nam ad communem linguae cuiusque vſum fere addit aliquid ſcriptoris cuiusque ingenium; vnde oriuntur ea, quae idiomata ſcriptorum dicuntur. i) Praecipiendum igitur videtur, primum vniuerſe de reperiendo vſu loquendi in linguis mortuis, deinde de certi ſcriptoris, tali lingua vſi, conſuetudine cognoſcenda, et ad interpretandum conferenda,

da, inprimisque Noui Testamenti, de cuius interpretatione nobis proprie institutum est praecipere.

i) H. e. modi vsurpandorum verborum et phrasium, quae vnicuiuis scriptori propriae sunt: vnde v. c. Dionysius Halicarn. scripsit de idiomatibus Thucydidis. Eiusmodi characteristica philologica singulorum N. T. auctorum vtinam aliquando ditemur.

CAP.

## CAP. I.

### *De Vſu loquendi reperiundo in linguis mortuis et ſcriptore quolibet vniuerſe.*

§ 1.

Vſus loquendi, quia eſt arbitrarius, et in facto poſitus, in linguis mortuis cognoſcitur teſtimoniis eorum, qui vixere tum, cum eae adhuc viuae eſſent verſarenturque in vſu communi, et eas ſatis cognitas habuere.[l]) Ea autem ſunt, vel quae proprie dicuntur et *directa*, vel improprie et *indirecta*: quibus hic non vtimur.

l) Significationes verborum itaque non per ratiocinationes, vti olim factum eſſe miramur, theologicas, ſed per teſtimonia reperiri debent.

§ 2.

*Directa* petuntur primum e ſcriptoribus, quibus lingua quaeque tempore quoque vernacula fuit, inprimis illis ipſis, quorum in interpretatione verſamur, aut aequalibus:[m]) tum ex his, quibus ea lingua vernacula quidem non fuit, ſed qui tamen tempore linguae adhuc

adhuc viuae vixere, eamque bene didicerant:[n]) e Scholiaſtis porro, Gloſſographis, verſionibus denique, quas lingua adhuc viua a peritis eius factas conſtet.[o]) De quibus omnibus breuiter praecipiendum videtur.

m) Sic v. c. conſuetudo loquendi Paulina poteſt cognoſci comparandis Euangeliſtarum, Iohannis, Petri, ſcriptis.

n) V. c. in cognoſcenda lingua latina poſſumus conferre Polybium, Dionyſium Halic., et alios, qui etſi natione non fuerint Latini, linguae tamen fuerunt peritiſſimi. Sic in lingua graeca vti poſſumus teſtimoniis Ciceronis, Varronis, ex quorum libris multa verba graeca, inprimis in philoſophia poſſunt intelligi.

o) V. c. ex Heſychio in N. T., ex Didymo et Euſtathio in Homerum. Hi enim diligenter et ex vſu ſcholae didicerant linguam.

§ 3.

Principatum haud dubie tenent *ſcriptores* primi generis, eorumque teſtimonia maxime ſunt idonea. Sed hi teſtimonium edunt fere tripliciter: primum *verbis* ipſis *definiendis:* deinde *exemplis et rebus:* denique *locis parallelis.*

§ 4.

Et in *definitionibus* quidem, *rebus et exem-*

*exemplis*, vnde ſignificationes verborum duci poſſunt, nulla difficultas eſt; p) niſi quod in exemplis quaedam facultas requiritur in ſingularibus videndi notiones generum et formarum, quae exercitationem aliquam deſiderat: at in locorum ſimilium (parallelorum) comparatione ad indagandam ſententiam multiplex cautio eſt, et in ipſis accurate iudicandis, et inter ſe ad reperiendam obſcurioris loci ſententiam comparandis: quae niſi teneatur, res ipſa bene procedere non poteſt. Quo etiam diligentius haec ratio debet cognoſci: praeſertim cum conſentiant, quicunque aliquid in hoc genere intelligunt, hanc rationem inueſtigandi ſenſus latiſſime patere, nec modo in libris ſacris, quorum clauem eſſe ait *Danhauerus* in collatione (in Hermen. S. pag. 342.), ſed etiam in caeteris omnibus pariter.

p) *Definitionis* exemplum habes Ebr. XI, 1. de fide. Sic Liuius definit v. c. quid ſit interregnum, formula, patres, auctores etc. Cicero explicat, quid ſit maieſtas: Tacitus, quid ſit tribunitia poteſtas ſub imperatoribus. *Exemplis* et *rebus* teſtimonia profe- runt auctores, v. c. Paulus Rom. IV, 1—8. vbi δικαιοσύνην illuſtrat Abrahami exemplo: Iohannes XIV, 6. vbi v. παράκλητος illuſtratur. Sic in Cic. Orat. pro Muraena oritur quaeſtio, quid ſint *notae*? Ex iis, quae ſequuntur, exemplis patet, eſſe formulas iuris, quibus vſi ſunt in cauſis agendis. Vid. *Erneſtii* Clau. ad h. v.

§ 5.

§ 5.

Sed locorum talium duo maxime genera ſunt. Primum eſt, cum verba, quorum in aliquo loco ſenſus liquido perſpici non poteſt, propter ambiguitatem aliquam, cuius tollendae nullam anſam dat res et contextus, occurrunt vel *ipſa*, vel eorum *coniugata*, ſimili intexta orationi (contextui) cum attributis iis, ex quibus definiri ſententia poteſt, aut cum adiunctione ſynonymi, vel exergaſiae perſpicuae,[q]) vt *συνείδησις*, 1 *Cor.* 10, 20. *coll.* 29. 2 *Cor.* 4, 11. *Act.* 9, 31. *coll.* 20, 12.

q) Quodſi itaque vocabulum *πολυσήμαντον* ſine determinatione ponitur, explicandum eſt ex contextu locorum parallelorum, v. c. *ἐν γνώσει* 2 Cor. VI, 6. illuſtratur alio loco 2 Petr. I, 6. vbi *γνῶσις* eſt modeſtia et moderatio cupiditatum. Act. IX, 31. *παράκλησις ἁγ. πν.* illuſtratur Act. XX, 12. vbi eſt confirmatio in fide. Apud Cic. Oratore I, 7. *enucleate* et eleganter. Confer de Fin. IV, 3. vbi ita: qui grandia *ornate* velint, *enucleate* minora dicere. His teſtimoniis etiam falſi ſignificatus alicui vocabulo tributi refelli poſſunt, v. c. in v. negotiator. Vid. *Erneſtii* diſſ. de negotiatoribus in Opp. Phil. p. 3.

§ 6.

Alterum genus eſt, cum eadem res et ſententia aliis magis perſpicuis aut plenioribus et pluribus verbis exprimitur, et de quorum

vi

vi ambigi non poteſt:[r]) cuius generis maxime promtum illud eſt, cum poſt parentheſin intextam praecedens ſententia cum variatione aliqua verborum repetitur, vt *Rom.* 1, 17. *coll.* 3, 22.

r) Sic 2 Cor. V, 21. illuſtrat ſignificationem v. *δικαιοῦσθαι* in N. T. (conf. b. *Koppii* Exc. IV. Ep. ad Galat.). Xenoph. Mem. Socr. I, 1. in v. *ἐπιψηφίζειν* locum non habet recepta ſignificatio, *calculos addere*, ſed conferendus eſt L. IV, 4, 2. vbi *ψηφίσασθαι* in eodem contextu aptiorem poteſtatem monſtrat: *populum in ſuffragium mittere.* Vid. *Erneſti* et *Zenne* ad h. l.

## § 7.

Oportet igitur bonum interpretem, in legendo ſcriptore, cuius interpres eſſe cupit, attendere ad loca ſimilia iis, in quorum ſenſu reperiendo, ob ambiguitatem verborum, haeret. In quo erit felicior, ſi eum ſaepe legat vno tenore, aut breuibus interpoſitis interuallis [s]). Nam ita facilitas dabitur deprehendendi ſimilia, recentibus in animo veſtigiis locorum, in quibus laborarit, vel quibuscum comparari praeſentia poſſint [ss]).

s) Requiritur itaque ad bonum interpretem, 1) obſeruatio accurata, per quam videamus loca ſimilia, 2) iudicium ſimilitudinis, 3) collatio locorum ſimilium.

ss) Haeres

ss) Haeres v. c. in ἀποκόψονται Gal. V, 12. Succurrit locus Phil. III, 2. κατατομή, qui apoſtolum de mutilatione genitalium verba facere ſatis clare teſtatur. Dubia videtur ſententia v. 3. in 1. ep. ad Cor. c. XIII. ἵνα καυθήσωμαι. Sed mentem ſubit locus parallelus Gal. VI, 17. ςίγματα Ἰησοῦ βαςάζειν ἐν σώματι, qui docet, apoſtolum verba facere de notis Thraciis, quae ſervis inurebantur fronte literatis. Vide *Wetſtein* ad 1. Cor. XIII, 3.

## § 8.

Vbi animum tetigit aliqua talis ſimilitudo, proximum erit, conſiderare, an vera ſimilitudo ſit, ſatisque ſimilia ſint loca, h. e. an ſit in vtroque eadem res, non modo verbum idem, vt iudicium tuto fieri poſſit: tum conſtituendum, vter ſit clarior altero, vt ad eum accommodari alterius interpretatio poſſit; quod ſaepe ſua ſponte incurrit in oculos [t]).

t) Tenendum itaque, 1) ſimilitudinem rei, non verbi, parere parallelismum. Sic λόγος Ioh. I, 1. male conferretur cum 1. Petr. I, 19. 2) Locus obſcurus ex perſpicuo eſt interpretandus. Sic v. c. in hiſtoria paſſionis dominicae Marc. XV, 16. occurrit πραιτώριον, de quo magna diſputatio fuit inter *Huberum* et *Perizonium*. Fruſtra hic confertur Phil. I, 13. quia praetorium Romanum, in quo erat Paulus, differt a praetoriis in prouinciis. Melius comparatur Cicero in Verrem IV, 24. vbi de praetorio Siciliano loquitur: quo ex loco patet, praetorium fuiſſe domum praetoris. Quemadmodum Syracuſis praetorium fuerat

fuerat regia Hieronis, ſic Hieroſolymis erat domus Pilati. Eadem ratione illuſtrandus eſt locus Iac. II, 24. ex Gal. V, 5.

§ 9.

Haec igitur et talia circumſpicienda et agenda ſunt, conſuetudoque exercitatione capienda, vt facile animaduertere ſimilia, eaque recte inter ſe comparare et iudicare poſſimus. In quo proderit futuro interpreti, conſulere bonos interpretes, non modo ſacrorum, ſed etiam humanorum librorum [u]), et vbi hoc artificio vtuntur, praeſertim, vbi ita, vt eo recte vti in promtu ſit, attendere, vt videat viam, qua progrediantur, vt ad intellectum obſcurorum et ambiguorum perueniant, et ſaepe videndo et conſiderando ad imitandi facultatem acuatur.

u) V. c. *Geſnerum*, *Erneſtium*, *Heynium*. In N. T. commendari poſſunt *Kypkius*, *Krebſius* et *Loesnerus*, qui loca parallela diligenter collegerunt in libris obſeruationum; deinde *Wetſtenius* et *Koppius* in commentariis.

§ 10.

Nec vnus ſemper locus ad comparandum cum fructu ſuffecerit, nec in hoc, nec in ſuperiori genere, quod poteſtates verborum ab exemplis et rebus petit, praeſertim cum notio-

notiones verborum complexas et pluribus partibus conflatas quaerimus v), sed plura sunt notanda et comparanda, donec plene ac perfecte, quod quaerimus, repertum sentiamus.

v) V. c. quid sit πνεῦμα αἰώνιον. In hoc vocabulo illustrando diligentiae et delectus specimen in excitandis locis parallelis dedit *Noesselt* in Opusc. Fasc. I. Ed. 2. pag. 333. sqq. Notandum est contra vulgare interpretum vitium, qui incredibili diligentia vndique exempla congerunt, quibus auctores non illustrantur, sed obruuntur et obscurantur. Videsis Praef. nostr. ad Hecubam et *Beckii* Comment. de interpr. p. 24. s.

§ 11.

*Scholiastarum* testimonium vel suum est, vel alienum: vtrumque tanto locupletius, quanto minus vel ipsi, vel ii, e quibus sua hausere, ab aetate scriptoris abfuere, cuius se interpretes professi sunt, aut quanto magis, calluisse linguam, idoneis indiciis constat: quod est sane iudicis docti et exercitati, sed tamen non nimis difficile x).

x) Scholiastarum in auctores Graecos optimi existimantur in Homerum, Aristophanem, Apollonium Rhodium, Thucydidem, Sophoclem: Scholiastarum in N. T. praecipui, Origenes, Damascenus, Theodoretus, de quibus infra.

§ 12. Nec

§ 12.

Nec multo aliter iudicanda eſt auctoritas *Gloſſographorum* veterum graecorum, quorum vſum in interpretando et teſtimonium nemo facile repudiat. Nam et aetate nititur, et multo magis doctrina vel ſua, vel eorum, quorum teſtimoniis vtuntur y).

y) Gloſſae, vel verborum inſolentium per clariora explicationes, colligi primum coeperunt in ſingulos auctores, v. c. *Timaei* gloſſae Platonicae; deinde in vniuerſum, vti fecerunt *Heſychius*, *Cyrillus*, *Philoxenus*, *Pollux*, *Photius*, *Suidas*, qui medium tenet inter ſcholia et gloſſas. *Heſychii*, *Suidae* et *Phauorini* gloſſas ſacras nunc ſeparatim edidit Ioh. Chr. Gottlieb *Erneſti* Lipſ. 1785. et 1786. 8. cum praepoſitis diſſertatiunculis, quas vide. Adde gloſſaria ab *Albertio* et *Matthaeo* congeſta, cum *Photii* et *Zonarae* theſauris nuperrime (1809) in lucem editis. Simili ratione vtinam et reliquae ἐν διασπορᾷ gloſſae ſ. mox colligantur!

§ 13.

Sed in his magna cautio eſt, ne Gloſſaria graeca Lexicis noſtris ſimilia putemus, ſed exiſtimemus, ea in interpretandis verbis fere ad certa certorum ſcriptorum loca reſpicere, praeſertim vbi nomina non in caſu recto, aut verba non in praeſentis prima perſona aut infinitiuo reperiuntur. Cuius rei vel ignoratio, vel negligentia, ridiculis ſaepe

ſaepe erroribus locum fecit. v. Proluſ. noſtra de *Vſu gloſſar. in interpretatione* [z]).

z) Recuſa ante *Heſychium* Ed. Albert. quae gloſſariorum vſum egregiis canonibus regit, v. c. 1) gloſſae ſacrae ſaepe ad vnum ſcriptoris locum reſpiciunt: τετραχηλισμένα, φανερά. *Heſ.* Vid. Ebr. IV, 13. 2) nomen per attributum et verſa vice, genus per ſpeciem et v. v. illuſtrant: ἄμητος, καιρός.

## § 14.

*Verſionum* teſtimonium aeſtimatur pariter aetate, et multo magis vtriusque linguae ſcientia, quae quanta fuerit, comparandis verſionibus cum archetypo in locis, de quorum ſenſu non ambigitur, intelligi debet. In quo tamen diligenter cauendum, ne illius ipſius linguae, qua interpres vſus eſt, inſcitia labamur, quod multis et in graeca Alexandrina, et in verſione N. T. vulgata, accidiſſe ſatis conſtat, eamque aut a vero ſenſu aberraſſe temere iudicemus, aut verba ipſius exquiſitius dicta e vulgaribus et minutis Vocabulariis intelligamus: in quo etiam doctos labi poſſe, Eraſmi et Bezae exemplo docet Boiſius [a]), vt alios mittamus.

a) In libro: *Collatio verſionis antiquae latinae N. T. cum verſione Bezae et aliorum recentiorum.* Conf. *Reinhardi* opuſc. acad. Vol. I. Lipſ. 1808. p. 1. ſſ. *de verſ. Alex. auctoritate* etc.

 § 15. His

§ 15.

His ſimiles ſunt hi, ſimiliterque iudicantur, qui vel obiter alterius linguae verba et genera dicendi obſcuriora, praeſertim iis, quibus ipſi ſcriberent, explicarunt, vt Cicero graeca multa, Dionyſius Halic. latina, vel ſua ex alterius linguae ſcriptoribus ſumſere, vt poetae et hiſtorici latini e graecis, vt ſcriptores N. T. e textu V. T. hebraico.

§ 16.

Et haec fere ſunt communia ſcriptorum omnium. Propria autem quaedam ſunt certis ſcriptoribus, certae vel aetatis [h]), vel nationis, vel diſciplinae [c]). Singulorum igitur vel ipſis, vel aetati, vel ſectae etc. ſuae propria conſuetudo loquendi cognoſcitur, primum, ſuo cuiusque teſtimonio vel diſerto vel implicito, vt in ſuperiori genere: deinde e more et decretis ſectae, ſiue philoſophicae ſiue religioſae, cui addictum fuiſſe conſtet; quae cognoſcuntur teſtimonio eorum, qui eidem addicti ſectae fuere, aut eius opiniones explicant: porro e ritibus aetatis cuiusque et moribus, ad quae alluſio fit: in quo pariter res redit ad teſtimonia eorum, qui de his rebus tradidere: denique omnino e ſcriptoribus eiusdem aetatis ac generis.

b) Ob-

b) Obſeruatum eſt v. c. Platonem multa innovaſſe in verbis, quae quidem apud alios ſcriptores etiam occurrunt, ſed alio ſenſu. Vide *Plutarchi* quaeſt. Platon. (opp. ed. Reiske vol. X. p. 159 ſſ.).

c) Sic v. c. Stoici apud Ciceronem dicuntur innouatores verborum, quia in philoſophia vtebantur verbis longe alio ſenſu, quam olim eſſent vſurpata, et ſaepius inepte, quod etiam Epicureis accidit. Exempla ſunt ὀρϑὸς λόγος, κατόρϑωμα, καϑῆκον, μέσον, quae verba alium ſenſum fundunt in praeceptis *Zenonis* (apud Diog. Laert.), alium in *Stobaeo*, *Antonino* et *Plutarcho* de Stoic. repugn. (l. c. p. 275 ſſ.).

## § 17.

Ac de aetate quidem res expedita eſt: genus autem iudicatur argumento (nam alius character eſt hiſtoricorum, alius poetarum, oratorum etc.) et charactere maxime orationis, quem vocare ſolemus: qui eſt vel certae aetati aut genti [d]) communis, aut a certi ſcriptoris imitatione [e]) ortus: quod in latinis et graecis frequens eſt.

d) Sic v. c. Ionici et Macedonici ſcriptores longe aliter loquuntur, quam Attici et caeteri Graeci.

e) Sic *Aelianus* in V. H. veteres hiſtoricos feliciter eſt imitatus: *Chryſoſtomus* Xenophontem, *Philo* Demoſthenem et Platonem. Sed omnes iſtae obſeruationes magis ſpectant ad auctores profanos, quam N. T.

## CAP. II.

### *De ſenſus reperiendi rationibus vſus ſubſidiariis.*

§ 1.

Vſus loquendi non poteſt ſemper iis, quibus diximus, viis reperiri, ſaltem non ſatis certo, propter defectum teſtimoniorum idoneorum, [f]) vſus loquendi eadem aetate, eodemque in ſcriptore, inconſtantiam ſeu varietatem, [g]) verborum et formarum dicendi ambiguitatem, rerum obſcuritatem, aut nouitatem, et vſus loquendi negligentiam, [h]) quae interdum etiam diligentiſſimo ſcriptori obrepit. Itaque aſſumendae et quaſi in ſubſidium vocandae ſunt aliae quaedam rationes, per quas elici verus verborum ſenſus, ſine vſu, per teſtimonia cognito, poſſit. De quibus nunc eſt praecipiendum.

f) Praecipue in ἅπαξ λεγομένοις, v. c. ἐπιούσιος. Quam multi perierunt libri vel in triſtiſſimo bibliothecae Alexandrinae incendio, ex quibus multae idiomatis graeci lacunae expleri poſſent. Vid. *Herder* in libro: Ideen zur Philoſ. der G. d. M. Tom. III. p. 244. ed. min.

g) V.

g) V. c. in ἀνάπιςος, ἄξυλος, *infucatus.*

h) Inprimis apud Helleniſtas, vt v. c. ὅς ponatur pro ὁ, vt in Iohanne, qui in vniuerſum grata orationis negligentia vſus eſt. Vid. *Erneſti* de grata negligentia orationis. Lipſ. 1743.

## § 2.

Prima eſt, quae *orationis contextum* adhibet ad indagandum verborum ſenſum, idque facit multipliciter. Primum comparando orationis vniuerſae conſilio, quem vulgo *ſcopum* dicunt; quod ſcriptorem bonum et prudentem non credibile eſt aliter dixiſſe, quam conſilium dicendi pateretur. In quo tamen non ſemper ea eſt euidentia, quae certam interpretationem efficiat; quod interdum plures interpretationes conſilio orationis ſatis conſentaneae reperiri poſſunt: vnde ſaepe hinc tantum probabilitas aliqua, interdum ne haec quidem exiſtit. [i])

i) Aurea quidem eſt regula, ſenſum loci ex toto ſcriptoris conſilio elici. Ex hoc v. c. illuſtrandus eſt Iohannes V, 39. I, 1. Paulus Rom. VIII, 1. quo loco conſuli debet ſcopus auctoris, qui ſeptem capitibus antecedentibus de iuſtificatione hominis agit. Adde Gal. VI, 11. quo loco ſeries orationis docet, v. πηλίκοις γράμμασιν non ad ductum et magnitudinem literarum, quas vocant quadratas, ſed ad longitudinem epiſtolae referendum eſſe ab apoſtolo manu ſua ſcriptae. Notandum eſt tamen, hoc ſubſidio ſenſum vniuerſalem, non ſpecialem et determinatum

inveniri

## CAP. II.

### *De ſenſus reperiendi rationibus vſus ſubſidiariis.*

§ 1.

Vſus loquendi non poteſt ſemper iis, quibus diximus, viis reperiri, ſaltem non ſatis certo, propter defectum teſtimoniorum idoneorum, [f]) vſus loquendi eadem aetate, eodemque in ſcriptore, inconſtantiam ſeu varietatem, [g]) verborum et formarum dicendi ambiguitatem, rerum obſcuritatem, aut nouitatem, et vſus loquendi negligentiam, [h]) quae interdum etiam diligentiſſimo ſcriptori obrepit. Itaque aſſumendae et quaſi in ſubſidium vocandae ſunt aliae quaedam rationes, per quas elici verus verborum ſenſus, ſine vſu, per teſtimonia cognito, poſſit. De quibus nunc eſt praecipiendum.

f) Praecipue in *ἅπαξ λεγομένοις*, v. c. *ἐπιούσιος*. Quam multi perierunt libri vel in triſtiſſimo bibliothecae Alexandrinae incendio, ex quibus multae idiomatis graeci lacunae expleri poſſent. Vid. *Herder* in libro: Ideen zur Philoſ. der G. d. M. Tom. III. p. 244. ed. min.

g) V.

g) V. c. in ἀνάπιστος, ἄξυλος, *infucatus.*

h) Inprimis apud Helleniſtas, vt v. c. ὅς ponatur pro ὅ, vt in Iohanne, qui in vniuerſum grata orationis negligentia vſus eſt. Vid. *Erneſti* de grata negligentia orationis. Lipſ. 1743.

§ 2.

Prima eſt, quae *orationis contextum* adhibet ad indagandum verborum ſenſum, idque facit multipliciter. Primum comparando orationis vniuerſae conſilio, quem vulgo *ſcopum* dicunt; quod ſcriptorem bonum et prudentem non credibile eſt aliter dixiſſe, quam conſilium dicendi pateretur. In quo tamen non ſemper ea eſt euidentia, quae certam interpretationem efficiat; quod interdum plures interpretationes conſilio orationis ſatis conſentaneae reperiri poſſunt: vnde ſaepe hinc tantum probabilitas aliqua, interdum ne haec quidem exiſtit.[i])

i) Aurea quidem eſt regula, ſenſum loci ex toto ſcriptoris conſilio elici. Ex hoc v. c. illuſtrandus eſt Iohannes V, 39. I, 1. Paulus Rom. VIII, 1. quo loco conſuli debet ſcopus auctoris, qui ſeptem capitibus antecedentibus de iuſtificatione hominis agit. Adde Gal. VI, 11. quo loco ſeries orationis docet, v. πηλίκοις γράμμασιν non ad ductum et magnitudinem literarum, quas vocant quadratas, ſed ad longitudinem epiſtolae referendum eſſe ab apoſtolo manu ſua ſcriptae. Notandum eſt tamen, hoc ſubſidio ſenſum vniuerſalem, non ſpecialem et determinatum inveniri

inveniri poſſe, v. c. Matth. XVI, 19. vbi ex contextu quidem patet, Ieſum dediſſe Petro poteſtatem, ſed non qualem, num coercendi? docendi? caſtigandi?

## § 3.

Habet ergo ratio ea cautionem primam hanc, vt ei non nimis, aut ſoli confidamus, et qualicunque cum conſilio conuenientia contenti ſimus: quod ſolent facere ii, qui linguarum non ſatis ſunt periti; vnde inanes ſaepe coniecturae exiſtunt;[l]) ſed vt ſit euidens et neceſſaria cum conſilio orationis coniunctio: alteram, vt ſenſum e conſilio orationis repertum comparemus cum vſu loquendi, videamusque, an cum eo in concordiam redigi poſſit, vel ſic, vt verba per conſuetudinem loquendi hunc ſenſum habere poſſint, quod fit inprimis in πολυσήμοις, vel ſic ſaltem, vt ei non repugnent.[m]) Et interdum ille ipſe ſenſus, per conſilium orationis repertus, deducit in viam reperiendi conſenſum cum vſu loquendi. E ſolo autem conſilio illo, ſine auxilio et conſenſu verborum, aut etiam repugnante vſu dicendi, interpretari, id vero eſt temere coniicientis potius, quam certa ratione interpretantis. Itaque ea non vtemur, niſi vel in ambiguis, vel in iis, quae ἅπαξ λεγόμενα dicuntur, omninoque in quibus vſum loquendi idoneis teſtimoniis ſatis cognoſcere non datur, aut ille non ſufficit ad ſenſum definiendum.[mm])

l) Va-

l) Vanitate philoſophandi (vid. *Erneſtii* Diſſ. p. 241.) ſaepe in transuerſum abrepti ſunt interpretes, v. c. Theophylactus, qui 1. Cor. VII, 31. *σχῆμα τοῦ κόσμου* refert ad ſpeciem inanem huius mundi, quum tamen paraphraſis ſit *τοῦ κόσμου* (conf. Ven. *Schulz* ad h. l.). Sic Ebr. XI, 11. in formula, *καταβολὴ σπέρματος* (muliebris), male argutati ſunt interpretes antiquiores.

m) Torſit e. c. interpretes locus Ciceronis de Nat. Deor. I, 1. vbi quaeritur, quid ſit *inſcientia?* Indagandum eſt conſilium auctoris, qui docet, incertos eſſe philoſophos: Academici enim dicebant, omnia eſſe incerta. Hoc Academicorum principium dicitur inſcientia, vt patet ex Cic. libr. Acad. Vid. Erneſtii Clau. Cic. v. *inſcientia.*

mm) Sic v. c. male habuit interpretes, inprimis *I. D. Michaelem*, v. *πλεονεξία* Epheſ. IV, 19., quam *Venerem immoderatam*, vel *ἁμαρτίαν ἀκατάπαυστον* eſſe putat, conferens 2. Petr. II, 14. Neque negari poteſt, huic ſententiae fauere antecedentem *ἀκαθαρσίαν*. At enimuero meliora docent Epheſ. V, 3. 5. et Col. III, 5., quibus locis aperte docetur, alludi ad rapacitatem lenonum, meretricum et catamitorum, qui amatores quaeſtu inuerecundo et ſordido emungebant.

## § 4.

Anguſtius, ſed paullo euidentius eſt genus alterum, quod antecedentia aut conſequentia conſulit, ſi poſſit ex iis, qui ſenſus eſſe debeat, perſpicue colligi. Quod fit dupliciter: vel, vt e pluribus, ab vſu loquendi non abhorrentibus, delectus fiat,[n]) vel, vt verbum

verbum insolens, nec vsu satis cognitum, quid significare debeat, reperiatur.[o]) In quo tamen interdum vltra verisimilitudinem progredi non licet: habetque easdem, quas genus superius, cautiones.[oo])

n) V. c. Act. III, 21. qui coelum debuit occupare? vel quem coelum debet recipere?

o) Rom. VI, 5. quaeritur, quid sit σύμφυτος? Vulgata: *complantandus*. Comparatis antecedentibus reperimus, sensum esse: quia cum Christo similitudine aliqua in morte sumus coniuncti, debemus etiam cum eo coniuncti esse similitudine in resurrectione. Hic sensus non solum per analogiam elicitur, sed etiam confirmatur ab vsu loquendi. Aristoteles enim de animalibus vocem σύμφυτος tribuit iis, quae similitudinem aliquam et communionem naturarum habent.

oo) E. c. Matth. XVI, 13. τὸν υἱὸν ἀνθρώπου, quae verba per appositionem iunguntur antec. με. Antecedentia et consequentia probant, sermonem misceri de vate, siue legato diuino. Certus autem sensus h. v. e sola oratione contexta finiri non potest.

§ 5.

Eandem vim ad sensum vel ambiguorum definiendum, vel obscurorum reperiendum, habet comparatio subiectorum et attributorum,[p]) substantiuorum et adiectiuorum, casus recti et obliqui,[q]) verborum et adiectarum determinationum,[r]) quae vel in aduerbiis sunt, vel in nominibus, quae per praeposi-

positionem verbo adiunguntur, suntque fere aduerbiorum περιφράσεις, denique etiam disiunctorum.

p) V. c. 2. Petr. I, 10. κλῆσις καὶ ἐκλογὴ est felicitas, ad quam per religionem Christianam inuitamur et ex qua excidere possumus (vid. *Pott* ad h. l.).

q) V. c. Ephes. I, 23. vbi πλήρωμα illustrat sequens πληρουμένου.

r) V. c. in λόγῳ προφητικῷ 2. Petr. I, 19.

## § 6.

Et in his quidem disiunctorum comparatio habet hanc vim, vt semper certam interpretationem gignat, vt primum alterutrum perspicue intellectum est.[s]) In caeteris saepe est euidentia non minor, sed interdum tamen tantum species veri existit, propterea, quod earum, veluti subiecti et attributi, substantiui et adiectiui coniunctio non semper habet eam necessitatem, vt necessaria, h. e. certa concludendi ratio detur. Caeterum in his omnibus admonitio supra §. 3. posita, de vsu loquendi comparando vel indagando, teneri debet, ne, quae per ingenii acumen et felicitatem hoc modo reperta sint, minus valeant: idque saepe in interpretibus non contemnendis desideratur.

s) V. c. Hebr. XII, 11. καρπὸς εἰρηνικὸς est fructus laetus, quia opponitur λύπῃ, moerori. Ephes. IV,

IV, 9. κατώτερα μέρη τῆς γῆς ſunt inferna (vid. *Koppe* ὁ μακαρίτης ad h. l.), non terra, ſiue vterus matris, de quo b. Tellerus cogitauit: non enim ſermo eſt de κάτω regionibus oppoſitis coelo ſimpliciter; ſed de domicilio inferorum, תחתיות הארץ, per antitheſin perfectam.

§ 7.

Plurimum etiam prodeſſe poteſt ad intelligendum et iudicandum ea, quae dicitur *Analogia linguarum.* t) Sed ea eſt non eiusdem generis. Primum eſt linguarum ſingularum, quae continetur praeceptis Grammaticorum de vſu recte loquendi, quo hic non valde vtimur. Nam haec analogia eſt capitis ſuperioris, praebetque perſpicua de vſu loquendi teſtimonia.

t) Nimirum cognatio et conuenientia linguarum vniuerſalis. Sic v. c. Apocal. XV, 2. νικᾷν ἐκ τοῦ θηρίου non poteſt ſignificare: *vincere ex animali,* h. e. vincere animal, quia haec conſtructio omnium linguarum analogiae repugnat. Eſt potius, *purum eſſe ab animali*, vt patet e verſione Syriaca, ܕܙܟܘ ܡܢ ܚܝܘܬܐ ܗܘ et ex LXX. ad Pſ. LI, 6.

§ 8.

Eſt tamen, vbi haec quoque in dubiis et obſcuris lucem aliquam praefert: vt, cum in verbo aliquo de genere ſignificationis conſtat, comparandis aliis eiusdem generis verbis, et modo ei linguae proprio de talibus rebus

rebus loquendi, iudicamus de vera verbi ſimilis vi. Si v. c. quid ſit ἐγκομβώσασθαι, (1. Petr. V, 5.) quaeratur, in quo magnam emphaſin quaerit vulgus interpretum, comparabimus caeteras formas loquendi graecas, quae veſtiendi vim habeant. Ita videbimus, in iis praepoſitiones περὶ, ἀμφὶ, ἐν vſurpari, ſine acceſſione aliqua ſententiae ad ſimplicem veſtiendi ſignificationem, idque adeo verbum nil aliud aut plus eſſe, quam ἐνδύσασθαι, quod verbum cum eo permutat *Clemens R. Ep. 1. p. m. 39.* Itaque bonus interpres diligenter debet videre, vt hanc analogiam recte teneat, et in promtu habeat.

## § 9.

Alia analogia eſt linguarum ſimilium, et vel a communi veluti ſtirpe natarum, vt Hebraicae, Syriacae, Chaldaicae, Arabicae, vel ab ſe inuicem procreatarum, vt Graecae et Latinae: quam commendauit, et in priori genere inprimis frequentauit *Schultenſius* in *Originibus linguae Hebraicae*, et in Commentariis aliis.[u])

u) In Iobum et Prouerbia, quorum praefationes vide. Conf. etiam *Reiskii* oratio ſtudium Arabicae linguae commendans, poſt coniect. in Iobum. Lipſ. 1779.

§ 10.

§ 10.

Haec analogia prodest interpreti non modo hactenus, vt radices verborum, quae in aliqua lingua, vel Dialecto, periere, ex altera reperire possit, et sic aditum sibi ad significationem verborum patefaciat, sed etiam, et prope plus, vt illustrandarum significationum, vtcunque per contextum orationis cognitarum, et firmandarum facultas fiat. v)

v) Imo etiam, vt totae formulae N. T. exinde illustrentur. Quod quidem subsidium quum a multis N. T. interpretibus neglectum videamus (conf. tamen *Schulz*, Erinnerungen und Zweifel gegen Michaelis Uebersetzung des N. T. 1. 2. Stück), excerpta quaedam Arabica et Syriaca dare licebit. In Elmacini historia Saracenica (Ed. Erpenii, Lugd. Bat. 1625. fol.) exstat pag. 277. egregius locus: جدي ببني وانا فابي, *anus meus in filio est, et ego in patre.* Hoc iam vsus est ad illustrandum v. 11. cap. XIV. Ioh. *Hufnagel*, in libro: Handbuch der bibl. Theologie p. II. pag. 77. Perfidum amicum ad iusiurandum prouocat Chalifa p. 109. his verbis: احلف براسي, *iura per caput meum:* quo loco lucem adfundas Matth. V, 36. Pag. 193. salutat Muctadir fratrem Cahirum, قبل جبهته, *osculatus frontem eius*, quod explicat καταφιλεῖν Matth. XXVI, 49. et ἀσπάζεσθαι in N. T. Pag. 135. legas Almamonis colloquium de μετανοίᾳ. Pag. 236. et 256. adlatum videas caput decollati in disco, quod notari potest Matth. XIV, 11. Claudant agmen bina

Bar-

*Barhebraei* loca *Kirschii* diligentiae debita. Matth. VIII, 20. legitur: οὐκ ἔχει, ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ. Ad hunc locum *Rosenmüller*: „adeo se remotum a diuitiore fortuna Christus ostendit, vt ne domum quidem habeat propriam.“ Maiorem lucem commodabit loco *Barhebraeus* p. 406. l. §. vbi Saladin, prouocatis ad expugnationem Tyri militibus, ita:

ܘܐܡܪ ܕܠܐ ܫܒܩܘ ܠܦܪ̈ܢܓܝܐ ܐܬܪܐ ܕܢܣܡܟܘܢ ܪܫܐ
ܒܣܦܪ ܝܡܐ ܝܬܝܪ ܐܠܐ ܨܘܪ:

*Francis in litore maris nullum amplius locum restitisse, vbi caput ponerent, quam Tyrum.* Pag. 591. l. 6. narratur, Arabes vrbem Accam expugnauisse,

ܘܠܐ ܫܒܩܘ ܠܦܪ̈ܢܓܝܐ ܒܣܦܪ ܝܡܐ ܗܢܐ ܪܒܐ ܐܬܪܐ
ܕܢܣܡܟܘܢ ܪܫܐ:

*neque Francis in litore magni huius maris reliquisse, vbi caput ponerent.* Ex vtroque loco patet, sensum Matthaei esse, Iesum nuspiam tutum fixumque domicilii locum habuisse.

§ 11.

Nam inconstantia loquendi, quae in omnibus linguis dominatur, facit, vt significationes verborum facile ac saepe mutentur; in omnique lingua non admodum multa sunt verba, quae primam radicis vim retineant. Itaque magna diligentia est adhibenda, ne ea ratione abutamur in interpretando, et etymologias tales temere sequamur, quibus

quibus nihil est in sensu quaerendo fallacius, exiſtimandumque, radicibus talibus indagandis magis historiae verborum consuli, quam interpretationem adiuuari, saltem raro plus, quam tenuem aliquam veri speciem teneri [s]).

s) Vid. *Ernestii* Antimuratorius p. 25. sqq. *Valckenarii* opuscula ed. Lips. Vol. I. 1808. p. 103. ss. diss. de *Byrsa*, nomine Phoenicio arcis Carthaginiensium, quocum βύρσις et בירה non satis feliciter comparantur.

§ 12.

Maxime autem vtilis ad interpretandum est analogia ea, quae inest in comparatione non modo similium vocum et phrasium, vt altera lucem accipiat ab altera, sed etiam modorum loquendi, quae dissimilitudinem habent, verba spectantibus ex etymologia, caeterum manifeste de eadem re dicuntur; propter quam caussam alter per alterum explicari potest. Ex illo genere est, si πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, *Rom.* 7, 14. et ὡς διὰ πυρὸς, 1. *Cor.* 3, 15. compares cum *addictus* et *ambustus*, cum tropice dicuntur [t]): ex hoc, si מבן־רגלים cum Graeco ἐκποδῶν. Nam, quia clarum est, quibus locis Graeci dicant ἐκποδῶν, iis Latinos eodem sensu dicere, *e medio*: ἐκποδῶν porro et מבן־רגלים ita sunt similia, vt graecum

ex

ex hebraico factum videatur; inde fit, vt nihil videamus aliud esse מבן־רגלים quam *e medio* [u]).

t) *πεπραμένος*, Cicero: vino *vendita* fides, h. e. addicta, ὡς διὰ πυρὸς, Liu. XXXII, 36. et 40. *ambustus*, *seminustus* euasit h. e. cum summo vitae periculo euasit.

u) Copiosius hoc exposuit *Ernestius* Opp. Phil. p. 173. seqq. et 277. Quae contra monuit S. V. *Teller* (Ernesti's Verdienste. Berl. 1783. p. 53.), Gen. XLIX, 10. cum Samaritano legendum esse מדגליו *e vexillis eius*, dubitatione nondum carere videntur.

## § 13.

Nemo profecto dubitare potest, quin homines iisdem rebus eodem fere modo adficiantur, praesertim iis, quae in sensus incurrant. Vnde fit, vt, qui de iisdem rebus, eodem modo spectatis aut perceptis, dicant, etsi modis loquendi, qua etymologias verborum, valde dissimilibus, vtantur, tamen idem sensisse iudicentur, eamque ob caussam alterum ex altero rite intelligatur.

## § 14.

Omnino latissime patet haec ratio, valetque ad bene interpretandum, ad troporum vim iudicandam, ad emphases fictas cauendas, plurimum. Itaque etiam subinde eam a doctioribus interpretibus cum

fructu

fructu vſurpatam reperimus. Sed deſiderat plurium linguarum accuratam et copioſam ſcientiam: vnde non mirum eſt, eius vſum eſſe minus inter interpretes frequentem uu).

uu) Adeant quaeſo tirones ſcripta *Scaligeri*, *Cauſauboni*, *Salmaſii*, *Bocharti*, *Celſii*, *Aurivillii*, vt vim eorum percipiant, quae b. *Erneſti* praecepit. Addere iuuat *Schultenſii* et *Menagii* origines linguarum Arabicae, Italicae et Gallicae, quas adſidua manu verſauiſſe nunquam poenitebit.

§ 15.

Eſt etiam interdum conſulenda communis rerum natura v) et analogia doctrinae x), de qua ſcriptor quisque tradit, vt verum verborum ſenſum reperiamus, nec plus minusue in verbis videamus, quam ipſe voluit. Nam quia eam vel ſua ſponte, vel e diſciplina ſuperiori, notam eſſe omnibus putabat, vt in ea error intercedere non poſſet, propterea fieri potuit, vt vteretur interdum formis loquendi minus accuratis, ſi ad ἀκρίβειαν dialecticam ſubtiliter exigas verba: cuius generis ſunt catachreſes, hyperbolae, hypallagae, item, quae vniuerſe et ſimpliciter pronunciant, quod de parte aut certo genere valet: quas, cum aliis ſimilibus, etiam vſus loquendi vulgaris in omnibus linguis, praeſertim orientalibus, et ſcri-

ſcribendi genere poetico et oratorio, frequentauit, vt nulla eſſet cauſſa vitandi.

v) Quae docet, non omnia κατὰ τὸ ῥηθὲν eſſe intelligenda, v. c. in formulis: *Deum naſci*, *Deum obduraniſſe animum Pharaonis.* Quodſi Cicero ait; *Romanis inſitam fuiſſe fortitudinem*, hoc non ita eſt intelligendum, vt illos nunquam ignauos fuiſſe credamus, quod vel Marius refutaret.

x) V. c. Col. I, 15. ſ. πρωτότοκος πάσης κτίσεως non de *principe* rerum creatarum explicari debet; ſed περὶ τοῦ πρῶτον κτισθέντος conuenienter locis 1. Cor. III, 23. XI, 3. Phil. II, 6. ſ. Iterum ἐξουσίαι, δυνάμεις et κυριότητες Epheſ. I, 21. non ad magiſtratus politicos transferendae ſunt; certum enim eſt, eos in epiſtolis Paulinis ubique (VI, 12.) habere ſignificatum *dignitatum angelicarum*, quod alio loco probabimus.

## § 16.

Itaque neceſſarium eſt, in his interpretationem referre ad rerum naturam, notitias inſitas, ſenſumque communem, et elementa doctrinae perſpicua, cauendumque, ne verba nimis teneamus et per etymologias ſ. etymologicum ſenſum torqueamus, aut etiam vitioſam orationem iudicemus; cum linguae conſtent vſu et conſuetudine, quae in iis dominatur, nec poſſit iure vitioſum in dicendo putari, quod conſtans vſus etiam peritorum bene dicendi probauit. Itaque etiam anomaliae Grammaticae, quae ſunt

 for-

formae recedentes ab lege dicendi, non modo in vitio non habentur, sed etiam ita necessario, propter consuetudinem, vsurpantur, vt qui ab iis in dicendo aberret, peccasse iudicetur.

§ 17.

Patet autem hoc vitium, quod in etymologia premenda esse diximus, latius, quam vulgo existimant. Neque enim ii modo sunt in hoc vitio, qui interpretationem accommodant ad notationem, siue primam originem verbi; quo nihil est vulgatius, (§. 11.) sed etiam, qui ordinariam verbi vim et grammaticam ἀκρίβειαν nimis tenent [y]), vnde cum aliae prauae interpretationes, tum emphases commentitiae existunt. Sed de hoc capite proximo distinctius, et ad N. T. interpretationem accommodate praecipiemus.

y) V. c. in ἐπισκιάζειν Luc. I, 35. σπείρειν εἰς τὴν σάρκα Gal. VI, 8. quem locum illustrauit *Morus* in Opp. Theol. t. I. p. 150.

§ 18.

His igitur vniuerse de ratione inueniendi sensus traditis, sequitur, vt proprie ad Noui Test. interpretationem de inueniendo sensu verborum dicamus.

CAP.

## CAP. III.

### *De reperiendo vſu loquendi N. T.*

§ 1.

Primum autem videndum eſt de genere orationis vniuerſo, quo ſcriptores Noui Teſtamenti vſi ſunt, quod in eo permagnum ſaepenumero momentum eſt ad inueniendum et iudicandum, vt res ipſa declarabit.

§ 2.

Redit autem res vniuerſa ad quaeſtionem, a multis ſaepe agitatam, purene graeca ſit oratio et in verbis phraſibusque ſingulis, et in forma vniuerſa, an ad hebraicae linguae rationem facta: illud probantibus ac defendentibus *Pſochenio*, *Stolbergio*, *Eraſmo Schmidio*, *Blakwallo*, *Georgio*,[z]) et paucis aliis, non admodum claris literarum graecarum ſcientia, hoc *Eraſmo*, *Luthero*, *Melanchthone*, *Camerario*, *Beza*, *Druſio*, *Caſaubono*, *Glaſſio*, *Gatakero*, *Solano*, *Oleario*, *Vorſtio*,[a]) aliisque permultis, literarum graecarum et hebraicarum doctiſſimis: a quorum partibus etiam inter Veteres ſtant

*Origenes* Philoc. I, 4. 15. et *Chryfoftomus* ad 1. Cor. 1, 17.

z) In Hierocritico N. T. Vitemb. 1733. 4. Confer *Rhenferdi* fyntagma difputationum Theolog. Philol. de ftilo N. T. Leouardiae 1702. 4. et *Honert* Syntagma Differtat. de ftilo N. T. Amftelod. 1703. 4.

a) Adde *Leufdenium* de Hebraifmis N. T. *Maldonatum* in Commentario in IV Euangelia et *Hemfterhufium* ad Lucianum T. II. p. 361. Ed. Bip. qui ita: *eorum, qui orationem N. F. graecam effe caftigatiffimam contendunt, opinio mihi femper ridicula fuit vifa.* Praeter Vorftium cum Solano princeps eft inter viros modo nominatos *Gatakerus*, qui Pfochenium per fingulas partes refutauit.

§ 3.

Ea quaeftio vt recte intelligatur et iudicari poffit, tenendum eft ante omnia, non quaeri, an quaedam pro non bene graecis, fed hebraifmis habita fint a nonnullis, aut etiamnum habeantur, quae fint in bene graecis numeranda: quod facile concedimus. Potuit enim in hoc errari, et erratum interdum eft: et funt quaedam etiam genera dicendi omnibus linguis communia.

§ 4.

Nec fic hanc quaeftionem intelligi volumus, vt quaeramus, an ipfae voces et phra-

fes

ſes graecae N. T. apud bene Graecos occurrant, quod ipſum conceditur ab omnibus plerisque, aut an phraſis aliqua, hebraicam conſuetudinem referens, apud poetam aliquem, inprimis ſublimiorem, tragicum, vt *Aeschylum* et *Sophoclem*, eodem ſenſu occurrat, nec ne: veluti *ξηρά* de terra continente.[b]) Nam poetae, inprimis hi, et Lyrici, quaedam inſolentius dicunt, non illa in exemplum trahenda: et iis licet etiam peregrina vſurpare: denique quaedam e priſco orientis ſermone traxere: qualia multa in Aeſchylo notauit Stanleius, et in Pindaro vidit Zwinglius, cuius praefatio in Pindarum videnda eſt, denique etiam apud Sophoclem reperimus.

b) Quae quidem loca ſingula nihil probant pro N. T. puritate; v. c. סור מבין רגלים, Platoni eſt *ἐκ τῶν ποδῶν διαχωρεῖν*, Ciceroni, *e medio diſcedere.* In vniuerſum ambiguus labor eſt, argumenta pro ſimilitudine ſermonis ex poetis deſumere.

## § 5.

Nec illud obeſſe puritati ſermonis concedimus, quod verba quaedam reperiuntur, quae res exprimunt Graecis ignotas, alioque adeo, quam graeca conſuetudo fert, ſenſu dicuntur, etſi ex hebraico more loquendi ducta ſunt: ex quo genere ſunt *πίστις*, *μετάνοια*, et alia.[c])

c) Neque

c) Itaque nec ſingula verba barbara in N. T. probare poſſunt hebraizantem illius dictionem. Occurrunt enim etiam voces latinae in N. T. v. c. *μάκελλον*, *κουστωδία*, neque tamen propterea eius dictionem latinizantem dicas.

§ 6.

Sed quaeritur de verbis et phraſibus, res exprimentibus eas, de quibus etiam Graeci vulgo locuti ſunt, et an, primum, verba illa ſingula dicantur ſenſu eodem, quo Graeci dixerunt, deinde phraſes non modo habeant *σύνταξιν* Graecorum, ſed etiam ſenſum, quem iis graeca conſuetudo attribuit: nam haec ſunt ad puritatem neceſſaria. Veluti cum *δικαιοσύνη* de liberalitate, *εὐλογίαι* de copia, *κοινὸν* de profano dicuntur, et *δίκαιος ἐνώπιον Θεῦ*, *ἄρτον φαγεῖν*, de conuiuio, *παραστῆναι ἐνώπιόν τινος*, etc.

§ 7.

Atque etiam de ſcriptoribus, quorum auctoritate puritas verborum et phraſium defenditur, videndum eſt, vt ipſi ſatis ſint puri, h. e. antiquiores, et proſaici, nec traxerint aliquid vel e verſione graeca V. T., vel ex ipſo N. T., vtque hiſtorici cum hiſtoricis, dogmatici cum dogmaticis conferantur. Comicis quoque locus eſſe poteſt, praeterquam in Choris. d)

d) Vin-

d) Vindicanda itaque erat puritas N. T. comparandis 1) verbis ſingulis et 2) phraſibus cum auctoribus graecis, 3) adferendis ſcriptoribus N. T. antiquioribus, 4) comparando v. c. Matthaeum cum Xenophonte, Paulum cum Platone, Apocalypſin cum Pindaro et Aeſchylo, hymnos N. T. cum choris Tragicorum.

## § 8.

Atque ita conſtituta ac definita quaeſtione, negamus ſine dubitatione, dictionem N. T. eſſe pure graecam, hebraicamque conſuetudinem imitari defendimus, nec modo in ſingulis verbis ac phraſibus et figuris dicendi, ſed etiam vniuerſa forma orationis, idque exemplis perſpicuis conſtare, quorum numerus etiam maior ſit, quam vulgo credant illi ipſi, qui a nobis non diſſentiunt, vt bene monet *Werenfelſius* (de Stilo N. T.), cum etiam Lucas, qui magis purus caeteris putatur, innumerabilia habeat hebraica, ſitque initium Euangelii, c. 1. poſt praefatiunculam pure graecam, v. 5. 6. 7. ita hebraicum, vt ad verbum ex hebraico verſum videri poſſit. e)

e) Eruditiores etiam inter Iudaeos non ſine ſummo labore mediocritatem orationis graecae adſecuti ſunt, vt Ioſephus et Philo. Scriptores N. T. lingua hebraizante vti debebant, 1) quia multa deſumebantur ex V. T. graeco, 2) quia Iudaei, qui Ioſephum propter puritatis graecae ſtudium odio Vatiniano perſecuti ſunt.

terſam

tersam linguam vix capturi fuissent, 3) quia N. T. in locum veteris graeci succedere debebat.

§ 9.

Haec omnia exemplis proferendis docere, superuacuum fortasse sit, eaque e libris *Olearii*, *Leusdenii*, *Vorstii*, *Glassii*, aliorumque peti, et proferri a doctoribus possunt. Illud admonendum videtur, phrases quasdam, etsi eodem sensu in Graecis reperiantur, tamen hebraicas esse posse; [f]) quod casu accidere potest, vt, quae quis e vernacula in aliam linguam ad verbum transtulit, in aliquo bono illius linguae scriptore reperiantur: quae est scita *Gatakeri* (c. Pfochen. p. 61. etc.) *Hemsterhusio*, *Raphelio*, et aliis merito probata obseruatio.

f) V. c. χαρὰν χαίρειν, *metum metuere*, quod bene graecum est et latinum. Ex hebraismo tamen prius occurrit Matth. II, 10.

§ 10.

Argumentum autem non leue ducitur primum ex eo, quod multa graeca in N. T. non modo in nullam linguam facilius ad verbum verti possunt, quam in hebraicam, vt ipse *Erasmus Schmidius*, magnus alias puritatis defensor, fatetur (ad Matth. 4, 4. 21, 42. etc.), sed ne explicari quidem bene, nisi ex hebraicis possunt: quippe etiam, in multis,

multis, ſi quis e conſuetudine bene graece loquentium interpretari velit, ſententiae falſae, mirabiles et ridiculae exiſtunt, vt exemplis patet iis, quae a *Werenfelſio* prolata ſunt l. c. p. 358. et a nobis de Difficult. Interpr. Gramm. N. T. §. 12. quibus alia facile addi poſſunt, vid. v. c. *Eunomii* Apolog. c. 24. Multis profecto erroribus caruiſſet omni tempore Theologia, carerentque etiam nunc libri multorum, ſi non hebraica graece explicata eſſent: [g]) vt paſſim etiam noſter *Melanchthon* in Commentariis monet.

g) Senſum plane falſum e. c. dedit formula ἀδελφὴ γυνὴ 1. Cor. IX, 5. graece explicita, (v. c. ἀδελφὴν καὶ γυναῖκα *Plutarchi* Alexandro c. 30. Darii ſororem *et* uxorem) quum ex Hebraiſmo ſimpliciter ſit vxor Chriſtiana. Graeci autem ex ſuo ſenſu linguae *ſororis* nomine abuſi ſunt ad libidines ſuas tegendas in conſuetudine συνεισάκτων, quam Chryſoſtomus adhuc grauiter reprehendit et cui repetita conciliorum decreta mederi vix potuerunt. Vid. Clem. Alexandr. Strom. III. p. 448. et *Erneſtii* Op. Phil. p. 171. ſqq.

§ 11.

Nec illud non magnum argumentum eſt, quod interpretes N. T. graeci et latini, qui quidem hebraiſmi imperiti fuerunt, et in interpretando graecum ſenſum ſecuti ſunt, in multis miſere torquentur et plane ineptiunt, vt in συνδέσμῳ τελειότητος, (Coloſſ. III, 14.)

monente

monente *Melanchthone*, (in *Comm. T. IV. Opp. p. 330.*) quod nunc etiam accidit parum peritis: cum ex hebraica consuetudine verba aestimantibus in iisdem locis plana sint omnia. [h]) Hoc enim fieri nullo modo posset, si pure graeca esset Apostolorum oratio. v. *Erasmus* ad 2. Cor. 11, 6.

h) Quam multi errores orti sunt in ecclesia ex linguae hebraicae ignorantia! Doctrina de purgatorio, poenitentia, fide, bonis operibus et aliae ex Augustino et versione vulgata proferri quidem, sed adseri et defendi non possunt contra interpretem linguae hebraicae gnarum.

§ 12.

Haec porro res cum propterea nihil ad dignitatem librorum diuinorum incommodi habet, quod a veritate nihil incommodi proficisci ad res diuinas potest, tum quod multa commemorari possunt, propter quae tale genus orationis in libris sacris adhiberi consentaneum ac necessarium fuit.

§ 13.

Nam primo scriptores N. T. sua sponte non poterant bene graece scribere, nati et educati inter Hebraeos, nec graece ad scholae legem docti, nec adsueti lectioni librorum graecorum,[i]) quod et de Paullo, quamquam Tarsi nato, dicendum videtur. Neque

que enim conſequens eſt, vt qui Tarſi natus ſit, vbi ſcholae Rhetorum et Philoſophorum eſſent, iis etiam magiſtris vſus ſit, aut legerit ſcriptores eos, e quibus verſiculum aliquem vſurpat. A phariſaicae quidem ſectae homine ἑλληνισμὸς tum plane alienus fuit.

i) Hanc potius ſapientiam ſummo odio proſequebantur, ipſe Paulus I. Cor. I, 17.

## § 14.

Nec vero conſentaneum erat, ſpiritum ſ. inſpirare Apoſtolis orationem pure graecam. Nam vt omittam, neminem eos pro auctoribus illorum librorum habiturum fuiſſe, ipſi non intellexiſſent eam orationem, niſi alia inſpiratione [l]), multo minus plebeii e Iudaeis, quibus maxime ſcribebatur, qui ne probaturi quidem erant hoc genus dicendi, odio Graecorum, et eloquentiae graecanicae, cum eſſent contra hebraizanti dictioni e lectione vel ipſius hebraei Codicis, vel verſionis graecae Alexandrinae adſueti [m]). Denique cum doctrina N. T. niteretur fundamentis V. T. phraſin eius quoque ſeruari conueniebat.

l) Quum Paulus fuiſſet Athenis, ibique Act. XVII, 17. concionaretur coram Stoicis et Epicureis, σπερμολόγον illum vocabant, propter linguae diuer-

diuerſitatem: nam oratio ipſa erat egregia et plane diuina.

m) Adde et hoc: non ſcribebant philoſophis et grammaticis graecis, ſed maximam partem Iudaeis. Quae ad Chriſtianos e gentibus ſcripta ſunt, meliorem graecitatem ſpirare videntur.

§ 15.

Neque porro hoc dicendi genus officit perſpicuitati ei, quae a ſcriptore poſtulari poteſt. Nam ſcriptor quisque ſua maxime tempora et eos, quibus proxime ſcribit, ſpectare debet, non tempora futura, cum neglectu ſuorum. Et obſcuritas, quae hinc ſubinde nata eſt, non eſt neceſſaria, ſed a temporibus orta, quae eſt communis omnibus quamuis bonis ſcriptoribus, et cauſſa eius eſt in lectoribus, non in ſcriptoribus.

§ 16.

Ex quibus ſit, vt *Stilus N. T.* recte dicatur *hebraeo-graecus.* Qui *helleniſticum* malit appellare cum *Scaligero* (*Animadu.* ad *Euſeb.* p. 134.) *Druſio*que, a quo primo hanc appellationem vſurpatam putabat *Salmaſius* (Oſſileg. L. H. p. 387.), caueat, ne cum *Dan. Heinſio* peculiarem Dialectum intelligat (Diſſ. de Helleniſtis et L. Helleniſtica, et praef. ad Nonn. et Exercit. in N. T.) quam exploſit idoneis argumentis *Sal-*

*Salmaſius* multis locis et libris [n]). Nec *Dialectum Alexandrinam* cum nonnullis appellem (v. praef. ad Biblia Grab. T. II. c. 1. §. 40.), cum et aliis locis ſimiliter locutos Iudaeos conſtet [o]): nam illa Dialectus Alexandrina, de qua *Irenaei*, Grammatici Alexandrini, libellus extitit, pertinuit ad ea, quae ſermo Alexandrinorum, quamquam pure graecus, habuit propria et diuerſa a ſermone aliorum Graecorum: qualia et alii Graeci, vt Attici, habuere. Sunt et, qui *dialectum Macedonicam* memorent, quod in N. T. eſſe videantur plura Macedonibus propria, cum eius oratio magis cum Polybii [p]), Diodori, etc. quam aliorum antiquiorum dictione conſentiat.

n) Primum enim vniuerſa antiquitas ſequentes tantum agnoſcit dialectos cum *Gregorio* p. 3. Ed. Koen.: Ἰὰς, Ἀτθὶς, Δωρὶς, Αἰολὶς, κοινή: deinde dialectus non quaerenda eſt in phraſibus, ſed in flexione verborum.

o) V. c. Antiochiae, Caeſareae et alibi. Sed de hac et ſequenti egregie expoſuit *Sturz* de dialecto Alexandrina. Lipſ. 1786. 4. ed. 2da 1809. 8.

p) Vnde aliquis dixit, Spiritum S. admirabiliter delectatum fuiſſe dictione Polybiana. Rationem ſimilitudinis oſtendit *Erneſti* Opp. Phil. pag. 212. ſqq. De dialecto Macedonica notum eſt, illam per totam Aſiam inualuiſſe. Videantur in vniuerſum adhuc *Fabricius* Bibl. Gr. Vol. III. L. IV. §. 22. b. *Michaelis*

Introd.

Introd. in N. T. §. 18. ſqq. *Leuſdenius* de dialectis N. T. Ed. Fiſcher. Lipſ. 1753.

§ 17.

Nec tamen omnia, quae non bene graeca eſſe conſtat, ſunt eadem ex hebraiſmo ducta: ſed inſunt quaedam etiam latina, e conſuetudine cum Latinis inuecta, quae facile deprehendi a quolibet poſſunt, et alia: item Syriaca, Chaldaica et Rabbinica: quorum exempla dabunt *Olearius* de Stilo N. T. Sect. didact. membr. II. III. et alii, vt Wetſtenius ad N. T. v. c. Act. XIII, 48.

§ 18.

His conſtitutis de vniuerſo genere orationis, de vſu loquendi cognoſcendo, et ſingulis locis indagando, et ad interpretationem conferendo, procliue erit perſpicue praecipere.

§ 19.

Primum igitur oportet interpretem bene peritum eſſe graecae et hebraicae conſuetudinis loquendi, vt bene graeca agnoſcere, et ab modis loquendi ex alia lingua ductis diſcernere, et vtrumque genus recte explicare poſſit pp). In graeca autem cognoſcenda ſtudium maxime referri debet ad ſcriptores non modo populari oratione vſos, ſed

ſed etiam aetatis non remotioris, qui quidem non dedita opera imitati ſint veterem Atticorum dictionem. In quo genere *Polybium* inprimis poſuerim, *Diodorum* etiam *Siculum* et *Artemidorum* q): in quibus ſunt plura cum N. T. communia, veteribus Graecis aut omnino non, aut alio ſenſu vſurpata.

pp) Quam egregie haec praecipiantur, b. *Erneſti* ſuomet ipſius exemplo comprobauit, praeſertim in praelectionibus de epiſtola ad Hebraeos nunc a *Dindorſio* editis, quibus graeca maximam partem bene explicantur, graeca hebraico colore tincta non aeque. Neque veremur eandem fere ſententiam pronuntiare de *Mori*, viri immortalis nobisque inprimis cari, commentariis, hic illic quidem auditorum ſocordia deprauatis, ceterum Hebraiſmi ἀπειρίᾳ non raro laborantibus. Quae non niſi propterea monemus, vt tempori parcant tirones et ſummorum virorum exemplis diſcant, quanta eruditionis farragine opus ſit interpreti N. T. idoneo et omnibus numeris abſoluto.

q) Cum Arriano. Vocabula βασίλισσα, γενέσια non ſunt bene graeca: tamen vtrumque habet Polybius.

## §. 20.

Deinde omnibus in locis diligentiam adhibebit hanc, vt decernat, bene graece dictum aliquid ſit nec ne: in quo eſt difficultas maior, quam quis credat r). (v. nos de *difficult. interpret. Gr. N. T.* §. 13.) Vbi

Vbi a graeca ratione abhorrere verba senserit, proximum erit, auxilium petere ab hebraico sermone. Id vt rectius possit, non modo ipsum, indolem inprimis eius, in formis verborum, temporibus, construendorum verborum et copulandorum membrorum modo, tenere debet, quod sane saepe solum suffecerit, sed etiam quibus verbis graecis hebraica exprimere consueuerint Iudaei, graece de rebus sacris, sed vulgariter, non ad elegantiam graecam, vt *Philo* et *Iosephus*, dicentes ac scribentes, vt hebraicis recte comparandis sensum verum reperire possit [rr]).

r) V. c. *κόσμος*, *εἰρήνη*, *φόβος*, *σάρξ*, *πνεῦμα*, *ἐκλογή*.

rr) Quaeritur v. c. quid sit *ἐξουσία ἐν τῇ κεφαλῇ* 1. Cor. XI, 10. De imperio non agi, res ipsa docet; *τριχώματος ἐξουσία* occurrit quidem in auctore profano (*Callistrati* expos. stat. in opp. Philostrati. Paris. 1608. t. I. p. 871.) *capillorum velamen* indicans, et in ipsis Digestis (l. XXIII. tit. 10.) *imperium* continet notionem supellectilis et quidem *προσκεφαλαίου*. Legunt tamen codd. nonn. *impilia*: et in Callistrato etiam sermo esse potest de *capillitii licentia*. Confugimus itaque ad linguae vsum Hebraicum: Ps. LX, 9. מעוז Alexandrinis est *κραταίωσις*: verba כסות et רדיד, quorum radicibus protegendi et dominandi notiones insunt, apud eosdem interpretes habent potestatem *περιβολαίου* Gen. XX, 6. et Cant. V, 2. Verbum *ἐξουσία* itaque non solum continet signi-

ſignificationem *poteſtatis*, ſed etiam *velaminis* et *capitalis*. Hoc autem Pauli praecepto nititur decretum concilii Gangrenſis (a. 324.), *ſi qua mulier tondeat comam, anathema eſto*: apud *Manſ.* t. II, 1103.

§ 21.

Igitur interdum nihil melius fuerit, quam graeca ad verbum hebraice vertere, quod ſaepe mediocriter hebraice doctis procliue eſt, cum in verbis ſingulis, tum in formulis verborum. Verum id non ſemper ſua ſponte quis fecerit commode, vt in iis, quae rariora ſunt, aut duriora, et etymologia diſpari. Itaque conſulenda eſt verſio graeca V. T. Alexandrina; quae etiam ita cognita et interpreti N. T. tractata eſſe debet, vt rationes hebraicorum graece vertendorum teneat, habeatque in promptu. Nam profecto, cum prima origo de ſacris graece dicendi ac ſcribendi ex ea verſione ducta ſit, facile apparet, *in ea verſione eſſe baſin illius ſermonis hebraeo-graeci bene cognoſcendi*. Sed de hac re nobis proprius deſtinatus eſt locus praecipiendi in Parte altera et capite *de vſu verſionum V. T. graecarum*. Profuerit etiam cognouiſſe ſcriptores de hebraiſmis cum vniuerſis, tum N. T. proprie, *Vorſtium* inprimis, *Leusdenium* *), et erudítiſſimum omnium *Gatakerum*.

*) Vtrumque nunc ex Ed. *Fiſcheri*, cuius ſupple-

 menta

menta adhuc recentiſſima exſtant. Adde *Sturzii* librum de dialecto Alexandrina paulo ante excitatum, quo de recto et idoneo interpretum Alexandrinorum vſu multa egregie praecipiuntur.

§ 22.

Nec ad id conſilium inutile fuerit, cognoſcere reliquias *Aquilae*, qui ſimili genere interpretandi eſt vſus, nec longe abfuit ab aetate Apoſtolorum, habetque nonnulla etiam ad vſum hunc noſtrum praecipua: itemque *Symmachi*, qui hebraica pure graece exprimendo fecit etiam hebraicorum intelligentiam faciliorem [s]). Sed de his quoque, et eorum in hoc genere vſu, ſuo loco plura dicemus.

s) Ex omnibus V. T. verſionibus graecis, iis inprimis, quae archetypo ſunt propiores, multum diſcere poterit idoneus interpres N. T., nimirum qua ratione res hebraice cogitatae graece exprimi ſoleant. Hunc in vſum erectioribus forſan adhuc commendari poſſet *noua verſio graeca* V. T. *Veneta* a *Villoiſono* et nobis edita Argentor. et Erlangae 1784 - 1791.

§ 23.

Eſt hoc etiam praeceptum valde vtile, vt, cum idem verbum et genus dicendi hebraicum eſt, et bene graecum, exiſtitque ex vtroque ſenſus non incommodus, hebraicum potius ſenſum in interpretando ſequa-

quamur. Probabilius enim est, homines hebraei generis illo vsos esse, quam hoc; praesertim si in graeco sit rarior et exquisitior. Veluti καταβολὴν σπέρματος (Hebr. XI, 11.) malim ex hebraico *Gen.* 4, 25. quam e graeco, itemque ἀποθνήσκειν ἐν ἁμαρτίαις [t]) explicare.

t) Ioh. VIII, 24. Quae quidem formula graece explicita hunc dabit sensum: *vos ad finem vitae perseverabitis in peccando:* hebraice: *vos damnabimini propter peccata vestra.* Adde ἁμαρτίαν πρὸς θάνατον 1 Ioh. V, 16. non nisi e diuisione peccatorum hebraica explicandam.

§ 24.

Vniuerse autem hoc tenere debet interpres, vt semper graeca, praesertim, cum de dogmatibus religioni, inprimis Christianae propriis, sermo erit, referat ad hebraica, quod in his maxime verba duci debuerunt e libris sacris V. T. [u]) In quo cum etiam admonere poterit analogia doctrinae, quae debet esse in promtu, ne in alienum a mente sanctorum virorum et summa religionis sensum verba trahantur.

u) Falluntur v. c. qui in v. προφήτης semper de vate futuri temporis gnaro cogitant. Hebraicum נביא monstrat, προφήτην esse doctorem, magistrum. Vid. b. *Koppe* Excurs. III. in Ep. ad Ephes.

§ 25.

Nec hoc modo, quamquam maxime, debet intelligi de significatione vocabulorum singulorum, generumque dicendi, sed etiam de formis verborum et temporibus, itemque de numeris verborum et nominum, in quibus non raro sermo N. T. aberrat a graeca ratione, et hebraicam sequitur [v]): quo non animaduerso, in magnas difficultates impeditur interpres, aut ad mirabiles ac paene ridiculas interpretationes delabitur.

v) Sic tempora futura N. T. maximam partem sunt aorista ex consuetudine hebraica. Adde οὐρανοὶ שמים, ו καὶ, θριαμβεύειν, facere, vt aliquis triumphare possit, ex Hebr. Hiphil. Vid. *Ernestii* Opp. Phil. p. 175. sqq.

§ 26.

Vbi hebraismus nos in indagando sensu destituit, adeundae sunt caeterae linguae, inprimis Syriaca [x]), Chaldaica et Rabbinica. Ac de Syriaca et Chaldaica cum omnes concedant, tamen non omnes recte intelligunt, vt facile intelligi potest ex iis, qui Syriaca, inprimis de versione N. T. ad illuminanda Graeca conferre tentarunt [y]), de quibus suo loco dicemus. Est autem res ita tenenda, vt, quemadmodum ante dixi, a graeca et hebraica deserti, demum ad illa auxilii quaerendi caussa veniamus. Quod si genus

genus id dicendi e Syriaca v. c. lingua petitum reperimus, tum vero, quando conſtiterit, quo id ſenſu Syri dicant [z]), poterit nobis etiam de ſenſu graecorum conſtare. Quod erit hoc magis in promtu, ſi ea lingua eſt adhuc viua; cuius generis cognoſcendi facillima ratio eſt: quamquam de eo video dubitari. Similiterque de Chaldaicis et Rabbinicis erit intelligendum. Qui plus quaerit aut ſperat, fruſtra quaerit et ſperat, facileque aut inutiliter laborauit, congerendis, quae nihil proprie proſint, aut etiam in deteriorem partem ſubſidio alias non contemnendo abutetur: certe nihil aliud conſequetur, quam vt intelligat, recte verterit v. c. Syrus, nec ne. Sed de vſu librorum inprimis Iudaicorum vniuerſo proprius nobis locus eſt deſcriptus.

x) V. c. *ῥακὰ* Matth. V, 22. *Μαρὰν ἀθὰ* 1. Cor. XVI, 22. ſunt vocabula Syriaca, ܪܩܐ ܡܪܢ ܐܬܐ, et ex hoc idiomate illuſtranda.

y) Ludouicus *de Dieu* et *Boyſen*. Optandum eſt autem, vt aliquis non ſolum ex verſionibus ſyriacis, ſed ex aliis etiam auctoribus ſyriacis, v. c. ex Barhebraeo obſeruationes in N. T. conſcribat.

z) Quaeritur, num lingua ſyriaca etiamnum vigeat, nec ne? *Albert. Schultenſius* quidem inter linguas mortuas illam referre non dubitat. Forte in coenobiis Maronitarum adhuc floret, dum vulgus arabice loquitur. Vid. b. *Michaelis* Bibl. Orient. Tom. XV. p. 130. ſ.

§ 27.

§ 27.

Atque ita nobis deſcripta eſt ratio legitima cognoſcendi, et in ſingulis locis indagandi et reperiendi vſus loquendi in ſcriptoribus N. T. per teſtimonia, quae maxime directa diximus. Sed etiamſi ea ratio latiſſime patet, tamen ſola non ſufficit, nec ſufficere poteſt. Sunt enim non pauca in his libris noue dicta propter nouitatem rerum: non quo noua religio tradatur, ſed quod vetera magis perſpicue, et proprie, et diſtincte traduntur, remotis figurarum et allegoriarum vmbris: propter quae etiam nouis verbis et formis dicendi opus erat, in quibus ſunt plura propter ſimilitudinem aliquam accommodata rebus tradendis: quae, vt hoc obiter addamus, non profecto ab ipſis Apoſtolis inuenta ſunt, aut inueniri potuerunt: maioris ingenii et ſcholae artibus ſubacti hoc eſt: ſed ab ipſo ſpiritu ſ. iis ſuppeditata ſunt. In quo eſt permagnum verborum diuinitus inſpiratorum argumentum. Ex eo genere ſunt, *τέρας*, *δαιμονίζεσθαι*, *τάρταρος*, *ᾅδης*, *ἀναγεννᾶν*, et alia [a]).

a) Veremur, vt immortalis *Erneſti* hac in opinione multos ſibi habeat conſentientes. Quod enim attinet ad voc. *δαιμονίζεσθαι*, notum eſt, Iudaeorum doctrinam de angelis poſt reditum ex captiuitate exornatam fuiſſe ſapientia Chaldaica, quae omnia mala, morbos

morbos inprimis vehementiores, ab angelis malis vel daemonibus repetebat. Deinde vocc. τάρταρος, ᾅδης, manifeſte notio hebraici שאול ſubſtrata videtur. Vocabula, σημεῖον, אות, et magis graecum τέρας, procliuitas et propenſio illius aeui ad euenta miraculoſa facile peperit et arripuit. Sed tota lis redit ad meliorem θεοπνευστίας adumbrationem, quam alio loco ſatis aptam dedit b. *Erneſti*, melioremque etiam b. *Morus* in epitome et praelectionibus dogmaticis ab *Hempelio* editis.

§ 28.

Haec igitur non poſſunt intelligi et explicari ex priſco loquendi vſu, ſed habent interpretationem propriam, nec tamen ſuperiori illa minus certam; quod et ipſa directis ipſorum ſcriptorum teſtimoniis nititur. Ea maxime ineſt in collatione locorum ſimilium, de cuius vera ratione et cautionibus ſupra praecepimus. C. I. §. 4. ſ.

§ 29.

Nec tamen contemnenda ſunt teſtimonia veterum Eccleſiae graecae ſcriptorum de talibus inprimis loquendi formis, nec modo interpretum, ſed etiam caeterorum. Et in interpretibus quidem qui delectus habendus, quid ſpectandum ſit, poſtea dicemus in Parte tertia: hic vero illud modo teneri volumus, in ſcriptis Graecorum, proprie non pertinentibus ad ſacrarum litera-

rum

rum interpretationem, subinde occurrere loca, in quibus formae loquendi N. T. in eo contextu sint, aut eas adiunctiones habeant, vt perspicue intelligatur, quo sensu illa aetas acceperit: qualia nos haud pauca apud *Clementem Romanum*, *Ignatium*, *Hippolytum*, *Cyrillum Hieros.* et alios obseruauimus [b]). Exempla infra posuimus P. III. c. 5. §. 23. Itaque oportet futurum interpretem in his legendis attentum esse ad talia obseruanda.

b) Scriptores enim N. T. multos habuerunt discipulos, quos ipsi literis diuinis imbuebant, v. c. Iohannes, Petrus, Paulus. Hi vsum loquendi apostolicum rursus cum suae disciplinae alumnis communicauerunt, quorum scripta exstant. Sic v. c. *Cyrillus* Catech. XXX. ἐρευνᾶν 1. Cor. II, 10. quo loco mirifice argutati sunt interpretes, explicat per γινώσκειν.

§ 30.

In his possunt esse, quae hausta sunt e prima disciplina Apostolica et ad posteros propagata. Certe, si bene consentiant contextui et analogiae doctrinae, non sunt repudianda. Sed erunt hoc probanda magis, quo magis habebunt characterem proprium sermoni apostolico, ad hebraei figuram et indolem formato et composito. [bb])

bb) V. c. ἓν εἶναι μετὰ τοῦ πατρὸς Ioh. XVII, 21. cf. *Clementis* Rom. ep. 2. p. 27. ed. syr. post *Wetsteinii* N. T. Lugd. Batau. 1752.

§ 31.

§ 31.

Vſurpari etiam, praeſertim in talibus, poterunt *Gloſſae* veteres *Heſychii*, in quibus, ſatis conſtat, multas eſſe ad certa N. T. loca pertinentes et ex antiquiſſimis N. T. interpretibus ductas, minimeque contemnendas, item *Suidae*, quae ſunt tamen pauciores, et *Photianae*, ex Onomaſtico inedito, c) quod ei tribui ſolet: verum cum cautione ea, vt e forma verbi iudicemus, ad quem locum, ſiue an ad locum eum, in quo laboratur, pertineant. Et in his quoque iudicium adhibendum eſt non paruum, vt bona a pravis et inutilibus diſcernamus, quod fiet fere eodem, quo in ſuperiori genere diximus, modo.

c) Cuius particulas iam decerpſerat *Albertius* ad Heſychium: nunc integrum habemus opera *Tittmanni* et *Hermanni*. Vid. *Iohannis Zonarae* et *Photii* lexica ex codd. manuſcr. nunc primum edita, obſeruatt. et indicc. inſtructa. III tom. Lipſ. 1808. Neque gloſſae Scholiaſtarum auctorum Graecorum ſunt negligendae. Ioh. V, 13. ἐξένευσεν egregie illuſtratur ab Euripidis Schol. ad Phoeniſſ. v. 921. qui habet ἐκνεύει, ἀναχωρεῖ. Interpres Venetus Deut. XXXI, 18. פנה vertit, ἐξένευσεν.

§ 32.

Atque etiam gloſſae, quae in textum interdum pro vera lectione irrepſere in codicibus

cibus nonnullis, possunt vel aditum facere ad intelligendum, vel copiam illustrandi et firmandi veras interpretationes; vt *Io.* 7, 52. vbi apud *Chrysost. hom.* 51. pro ἐρεύνησον est ἐρώτησον, vbi *Chrysostomus:* μάθε, τοῦτο γάρ ἐστιν ἐρώτησον.[cc]) Eae possunt e Scholiis antiquis in N. T. ab *Origene* ortis fluxisse: quamquam et ex aliis Commentariis, etiam latinis.

cc) *Chrysostomus* ceterum in glossis rebus magis inhaeret, quam verbis, propterea que sedulitate interpretandi longe inferior est Hieronymo. Exempli loco esse potest τὸ σῶμά μου, ἵνα καυθήσωμαι 1. Cor. XIII, 3. Chrys. addit, τ. ἔ. ζῶντα κατακαῆναι, quod longe abest a sententia Pauli.

§ 33.

In his omnibus vbi nihil aut non satis auxilii reperiri potest, in consilium adhibebimus contextum, et rerum ipsarum ante cognitam indolem. Itaque etiam analogia scripturae et doctrinae Christianae in scripturis traditae semper esse debebit ante oculos, vt ad eam dirigatur interpretatio: hoc est sic, vt primum nulla interpretatio probetur, quae sensum efficiat ei contrarium,[d]) deinde, vt in phrasibus durioribus, quaeque ei videantur repugnare, ad illam accommodemus interpretationem.

d) Exem-

d) Exemplum illuſtre exſtat Matth. XII, 32. *εἰπεῖν κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου*, quae verba proprie ſumta peccatum indicare videntur nunquam remittendum. Plane autem aduerſatur haec ſententia doctrinae N. T. de peccatorum remiſſione, inprimis locis Act. XIII, 38 ſ. 1. Ioh. II, 2. Nil itaque praecipere videtur I. C. praeter hoc: conſectaria peccati, quo ipſa notio Dei in animo profligatur et repellitur, hominem vel poſt fata ſequi. Vide eandem fere ſententiam in *Maimonidis* tract. de poenitentia. Oxonii 1705. p. 93.

## § 34.

Nec id praeceptum Theologorum mirum debebat videri cuiquam, etſi non eſſet traditum in ipſis libris ſacris (nam *Rom.* 12, 6. quidem longe aliud ſonat *κατ' ἀναλογίαν πίστεως*, vt alio loco docuimus) [e]) cum id ſenſus ipſe communis ſanxerit, ſitque commune etiam humanorum librorum interpretationi; qui omnes interpretandi ſunt non modo vniuerſi, ſed etiam in ſingulis locis, ad *ἀναλογίαν* eius doctrinae, ad quam pertinent,

e) Non: *pro ratione fidei;* ſed: *pro menſura et magnitudine fidei.* Vid. b. *Koppe*, *Roſenmüller* ad h. l. et Summa noſtra theolog. Chriſt. ed. 2. Erlangae 1808. §. 26. *de regula fidei.*

## § 35.

Eſt autem *Analogia doctrinae* ſ. *fidei*, quae nec accurate ſatis nec conſtanter vulgo defini-

definitur, non in ipſa doctrina vniuerſa, coetui alicui probata, vt vel iniqui vel imperiti calumniantur: foret enim multiplex: nec in eius nexu: ſicut nec Iuris analogia eſt in ipſo iure, aut legibus, aut earum nexu, nec Analogia Grammatica in ipſis verbis: ſed, ſicut Analogia Grammatica eſt lex dicendi et forma lege conſtituta, cui ἀνωμαλία opponitur, quae eſt in conſuetudine aberrante a legitima forma: ſic doctrinae ſacrae et fidei analogia eſt in ſumma religionis formula et lege, euidenter in ſcripturis tradita, vnde Latinae Eccleſiae doctoribus *Regula fidei* dicitur; ad quam omnia referenda ſunt, ne cum ea pugnet quidquam, ſed cum ea conſentiant omnia; quod cum ſit, analogia dicitur eſſe ſervata. f) Nec Scripturae, quoad credenda et agenda tradit, Analogia ab doctrinae Analogia differt. Exempla Analogiae, et iudicii ſecundum analogiam ſunt *Gal.* 6, 15. 16. et 1. *Cor.* 15, 3. 4-11. ſqq. vbi illam Analogiam cum Graecis aliis τὰ πρῶτα vocat; quae in omnibus diſciplinis habent vim normae et in iudicando, et in interpretando.

f) Neque veritas ipſa, neque nexus dogmatum, vti *Baumgarten* voluerat, eſt analogia fidei. Analogia iurisſcientiae eſt ingenium legum: ſic analogia fidei eſt ingenium religionis reuelatae: *Geiſt und Ebenmaaſs der chriſtlichen Lehre.* Haec analogia interpretem ſaepius liberat iugo, quo premitur. Sic v. c. quaeſtio, num

gentiles

gentiles poſt mortem damnentur? merito negatur ex analogia doctrinae et dicti Ioh. III, 16. Cf. Diſſ. an ratio et Script. S. gentiles probos damnent ad ſupplicia aeterna? auct. *Ioh. Godofr. Gurlitt.* Lipſ. 1775. 4. Interim negari nequit, aliam eſſe analogiam fidei exegeticam, aliam dogmaticam. Illa diuerſa et multiplex eſt pro ingeniis auctorum N. T. ſingulorum, qui v. c. doctrinas de Chriſto, de iuſtificatione et reſurrectione mortuorum πολυτρόπως illuſtrant. Haec vna eaque firma eſſe *debet*, notionibus euangeliis vniuerſis, quae ab ideis proxime abſunt, inſiſtens. Dubium autem eſſe non videtur, quin analógia exegetica rite ſemel ab interpretibus conſtituta viam *aliquando* ſternere poſſit ad analogiam *vere* dogmaticam, cuius autem cummaxime nonniſi vmbra conſpicitur in corpuſculis theologicis.

## § 36.

Sed maxime ad eam rationem confugere oportet in locis iis, qui ſonant aliquid abhorrens ab veritate perſpicue tradita alibi, atque a ſenſu adeo communi de rebus diuinis et humanis. Commune autem eſt hoc omnium ſcriptorum etiam humanorum, quamuis diſertorum et acute ſubtiliterque et ſentientium et ſcribentium, vt, cum non compendium doctrinae ipſius et elementa componant, nec agant ex inſtituto de aliquo capite doctrinae, notitias communes, et elementa doctrinae nota e diſciplina et inſtitutione ſumant, nec ita ſemper de rebus loquantur, vt ſubtilis inſtitutionis elementaris et ſcholaſticae ratio requirit; voluntque modos

dos loquendi crassiores et populares ad illam exigi atque intelligi.[g]) Itaque idem etiam concedendum est scriptoribus diuinis, qui in omnibus humano more loqui et voluerunt et debuerunt, ita moderante spiritu sancto, vt quam minime a naturae ingeniique humani indole innoxia recederet. Et est hoc minus mirandum, si saepius talibus et durioribus sunt vsi, cum id orientalis ingenii et sermonis indoles maxime ferret.

g) V. c. ἀπελθεῖν εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων Matth. VIII, 31. Vid. *Doederlein* de redemtione a potestate diaboli, in Opusc. Theol. p. 96. sqq.

## § 37.

Erit autem tironis, ad facultatem hanc interpretandi adspirantis, notatas et percursas habere formas ipsas loquendi sacrorum scriptorum duriores, hoc est, ab indole nostrae linguae abhorrentes, nec satis accommodatas ad simplicitatem et subtilitatem doctrinae, earumque intelligendarum rationem tenere, ne ab iis se impediri aut perturbari sinat: velvti, multa dici vniuerse aut simpliciter, quae sint accipienda particulariter et πρὸς τὶ, praesertim in rebus moralibus:[h]) actiua verba non semper propriam actionem aut efficientiam indicare, et similia, quae etiam ab aliis notata reperiet, v. c. apud *Glassium* in Gramm. S. quaedam etiam apud *Calouium*, de

de Perſona Chriſti v. c. pag. 527. *Turretinum*, de Interpretatione S. liter.[i]) et alios.

h) V. c. πάντα Ioh. I, 9. 1. Cor. X, 23. Idem praeceptum tenendum eſt in interpretanda oratione montana. Vid. *Pottii* Diſſ. de natura et indole orationis montanae. Helmſt. 1788. 4. b. *Rau* in libello: *Ueber die Bergpredigt.* Erl. 1806.

i) Nunc ex Ed. *Telleri* Francof. 1776. 8.

## § 38.

In his proderit etiam attendere in ſcriptis humanis ad tales formas dicendi. Neque enim vlla fere eſt in diuinis, cui non ſimilia exempla reperiantur in humanis. Nec dubitari poteſt, quin minus difficultatis in talibus intelligendis ac iudicandis habituri fuerint interpretes, ſi illorum lectione ſatis triti ad interpretationem diuinorum acceſſiſſent. Atque etiam, quae ſunt in forma et ſtructura orationis, praeſertim Paullinae, duriora et impeditiora, minus mirabitur aut offenſionis aliquid habere putabit, qui a lectione *Thucydidis* ad interpretandum acceſſerit, aut tanquam vitia, abhorrentia a dignitate et ſanctitate librorum ſacrorum, transpoſitiones, ἀνακολȣθίαν conſtructionis, enallagas, et ſimilia timebit, vt quibusdam viris bonis, ſed non ſatis peritis linguarum accidit: in quo eſt potius indocta ſuperſtitio, quam ſapiens verbi diuini reuerentia. Vidit hoc et bene monuit

monuit noster *Melanchthon* in Dedic. Dispos. Epist. ad Roman. extr.

§ 39.

Ita explicata ratione vniuersa reperiendi sensus per vsum loquendi, aut alia artificia subsidiaria, de quibusdam capitibus separatim dicemus, in quibus se non satis vulgo, nec in praeceptis, nec in vsu, expediunt. Sunt autem inprimis tria: primum de tropis, alterum de emphasibus, tertium de ἐναντιοφανείαις iudicandis.

---

CAP.

## CAP. IV.

### *De Dictione tropica iudicanda et interpretanda.*

§ 1.

In tropico genere verborum duplex eſt interpretis officium: primum, vt tropos agnoſcere et recte iudicare poſſit, ne aut propria putet quae tropica ſunt, vt olim diſcipuli Chriſti et Iudaei interdum fecere, in ſermonibus eius,[1]) aut proprietatem verborum tropica interpretatione peruertat; alterum, vt tropos recte interpretetur, et eorum verum ſenſum tradat. Saepe enim accidit, vt homines putent, ſe tropicum ſenſum tenere, quia ſenſum verbi proprium tenent, ludanturque inani imagine, aut tropum etymologica interpretatione peruertant. Haec igitur vitia vt vitari poſſint, praecepta de vtroque genere e natura tropicae dictionis, ſupra ex obſeruationibus et vſu declarata, ducenda ſunt, quibus interpres in iudicando et interpretando dirigatur.

1) Notum eſt, diſcipulos I. C., quae de regno ſuo, de βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ, τῶν οὐρανῶν, praeceperat, proprie ſemper intellexiſſe, et Ioh. III. ipſe Nicodemus,

mus, Theologus Iudaicus, Iesu institutionem tropicam de regeneratione non capit. Idem accidit multis interpretibus v. c. in Χριστὸν ἐνδύσασθαι, aliisque in formulis.

§ 2.

Et de iudicio quidem, tropica dictio sit an propria, vulgare est praeceptum, quod iubet *non facile discedere a proprietate significationis.* Sed id nec simpliciter verum, nec ad vsum aptum, nec perspicuum est. m)

m) In vniuersum canonibus male res absoluitur. Melior tamen haec est regula: *a sensu proprio non recedendum est, nisi existat frigidus, ridiculus, aut contradictorius.* Sic 1. Cor. XV, 29. ὑπὲρ τῶν νεκρῶν est εἰς χάριν νεκρῶν, quemadmodum Rom. V, 8. ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε, mortuus est in *gratiam* nostram. Nolito itaque ab hac sententia discedere propter rationes dogmaticas, vel indiuiduas; vides enim, apostolum ipsum huic argumento non immorari, videlicet ne superstitionem auctoritate sua confirmare videatur.

§ 3.

Nam illud *non facile*, si bene latine intelligas, i. e. *prope nunquam*, aut *rarissime*, falsum est: sunt enim frequentes in sacris libris tropi, n) quibus etiam satis magnum librum replere potuit *Glassius:* saltem ambiguum est, nec dat certam notam aut perspicuum characterem, per quem agnosci tropus

pus ac diſtingui a proprietate poſſit, aut iudicetur, quando ergo diſcedendum ſit: quod eſt vitium in regulis maximum.

n) Quia ſcribendi genus Iudaicum plenum eſt imaginibus, floribus, allegoriis, gnomis, ſimilitudinibus: quapropter multi inueniuntur tropi, cum in libris N. T. hiſtoricis, tum dogmaticis.

§ 4.

Paullo diſtinctius praecipere videntur, qui *non ſine euidenti cauſſa aut neceſſitate* proprietatem deſerendam dicunt, vt *Danhauerus*, *Tarnouius*, *Calouius* et alii: ſed nec definiunt illam neceſſitatem, nec quae ſit euidens cauſſa docent. Atqui nemo eſt, quin ſe propter neceſſariam et euidentem cauſſam a proprietate verborum diſcedere putet. Nec vero neceſſitas ea, quam *Danhauerus* (in Idea boni Interpr. pag. 91.) explicat, quae ſit in manifeſta vel rerum vel factorum repugnantia, ſemper neceſſaria eſt: vt in verbo πυρὸς, *1. Cor. 3, 13.* Caeterum planum eſt, in eo praecepto ſenſum proprium, qui tropico opponitur, confundi cum literali ſ. hiſtorico, qui opponitur allegorico, a veteribusque pariter proprius dicitur; de quo verum eſt et notum praeceptum, itemque de vſitato verborum ſignificatu, a quo recte praecipiunt, non ſine graui et idonea cauſſa diſcedendum eſſe; ſed diſcedi tamen poteſt, cum ſcriptores ipſos ab eo interdum

diſceſſiſſe, extra dubitationem ſit. Enimvero et tropicus ſenſus ſuum vſum habet eſtque vſitatus appellandus.

§ 5.

Proprie an tropice aliquid dictum ſit, vulgo cognoſcimus, re ad ſenſum vel internum vel externum reuocanda, h. e. repetenda eius vel interna vel externa perceptione; o) quod vbi fieri poteſt, facile eſt iudicium; eaque cauſſa eſt, quare in ſcriptis humanis, aut rariſſime, aut nunquam dubitatio talis incidat, tropice aliquid an proprie dictum ſit, quod res ab iis traditae, quia ſunt humanae, et ſenſibus vel internis vel externis ſubiectae, vtcunque revocari ad ſenſum humanum poſſunt.

o) H. e. ſi perceptionem externam et internam ſubiecti et praedicati comparamus et videmus, num vtraque perceptio in hac phraſi locum habeat, v. c. in formulis: θώραξ δικαιοσύνης, *florere ingenio*, facile videmus, propriam vim in vv. *florere* et θώραξ teneri non poſſe.

§ 6.

In ſacris autem libris dubitationi locum fecit rerum ſenſibus humanis plane ſubtractarum natura, quales ſunt diuina natura ipſa, operationesque diuinae, vt interdum quaereretur, proprie an improprie aliquid diceretur:

tur: vnde magnae et acres controuerſiae ortae, quae et nunc durant: per quas etiam de tropica dictione vniuerſe quaedam ab vtraque parte diſputata ſunt, quae tamen plus metaphyſicae aut dialecticae ſubtilitatis habent, quam veritatis. [p]) Eius generis quaedam, niſi fallimur, ſunt apud *Calouium* de Perſona Chriſti, p. 547. et *Petr. Martyrem* in *Locis*, de *Sacr. Euchar.*

p) Cognitio humana de Dei natura interna non niſi vocabulis tropicis prodi poteſt, v. c. in Ἰησοῦς Θεοῦ υἱὸς, ὀργὴ Θεοῦ, אלהים מלא שמים וארץ. Proprie Deus non niſi a ſe ipſo cognoſci et manifeſtari poteſt. Dei autem natura externa, vel opera eius, quia ſenſibus ſubiacent, proprie per adſpectum cognoſci queunt.

## § 7.

Ac primo in tropicorum numero non eſſe habenda verba, quae propriam ſignificationem amiſerunt, aut quae ita dicuntur de rebus iis, ad quas ab aliis traducta ſunt, vt ſola de iis dicantur, nec aliud proprium extet atque vſurpetur, ſupra demonſtratum eſt. Itaque etſi v. c. *generandi* verbum ab humanis ad diuina translatum eſt, tamen, quia actui diuinae naturae exprimendo deſtinatum vnum eſt, vt alia quaedam verba, quae ab humanis ad diuina traducta ſunt, velut amor, miſericordia, decretum etc. proprie de filio Dei, vt hoc ipſum *filii* nomen, dicitur.

tur. Nec eorum verborum de diuinis vſurpandorum cauſſa tam aliqua ſimilitudo externa eſt aut remotior, quae in rhetoricis metaphorae locum facit, ſed analogia quaedam ipſius naturae rerum: vt in eo, quod exempli cauſſa poſuimus, actus communicandae eiusdem naturae; qui quia in diuinis et humanis genere vniuerſo idem eſt, etſi ſpecie et modo differt, tamen eodem verbo recte exprimitur, et generandi verbum non minus proprie in diuinis quam humanis dicitur: quod in dogmaticis diligentius ediſſeri debet. q)

q) In doctrina de filio Dei, Arii praeſertim et Aetii ſagacitate dudum agitata, quaeſtio de iis, quae proprie vel improprie intelligenda ſint, obſcuritate quadam ſemper laborabit: vide Summam noſtr. theol. Chriſt. §. 52 ſ. ed. 2. Verba enim קנה, חלל, ילד, *κτίζειν*, *γεννᾶν*, quae de ſublimiori I. C. natura in ſ. ſ. vſurpantur, allegorici quid trahere, negari vix poterit, coll. ll. Ioh. III, 3 ſ. et I. Ioh. V, I. Tantas autem componere lites, interpretis non eſt, ſed theologi, cui hoc datum eſt muneris, *ἵνα φιλοσοφῇ περὶ τοῦ θείου*, vt cum Iuſtino M. loquamur.

## § 8.

Illud autem dubitationem non habet, tropum eſſe agnoſcendum in enunciatis iis, quorum ſubiecta et praedicata ſunt heterogenea; cuius generis ſunt disiuncta omnia, corporeum et incorporeum, animatum et non animatum,

matum, rationale et expers rationis et fimilia, item fpecies eiusdem generis diuerfae.[r]) Nam quae in eodem fubiecto elle non poffunt, propter naturalem repugnantiam, cuius generis funt ea, quae diximus, ea de fe dialectice, adeoque proprie praedicari non poffunt: quod dialectica veritas eft fundamentum proprietatis. Itaque fi praedicantur tamen; fequitur id fieri improprie.

r) V. c. ἀπελούσασθε ἐν πνεύματι τοῦ Θεοῦ I. Cor. VI, 11. quod more fuo h. e. egregie explicuit *Griesbachius* Progr. ad h. l. Ienae 1783. Adde κέρας σωτηρίας Luc. I, 69. quod illuftratum voluit b. *Noeffeltus* Opufc. Fafc. I. p. 31. fqq. ratione tamen nobis haud probanda. Hic notauiffe fufficiet, κέρας σωτηρίας nihil aliud effe, quam κραταιὸν σωτῆρα.

## § 9.

Huic autem regulae non magis fubiiciuntur enunciata N. T. in quibus fubiecto Iefu tribuuntur diuina et infinita, quam ea, in quibus homini tribuuntur praedicata mentis humanae. Nam vt in his attributa mentis et corporis proprie attribuuntur homini, propter coniunctionem vtriusque in vnam perfonam; fic in illis attributa diuina Iefu Meffiae, propter vnitatem perfonae ex vtraque natura, pariter proprie tribuantur, neceffe eft.[s])

s) Noli mifcere, quae hic per faturam offeruntur, alia

alia enim hac de re docentur in N. T. alia in compendiis theoreticis. Vnde *Summam theol. Chriſt.* §. 96. ſ.

§ 10.

Atque vt id vſus loquendi linguarum omnium firmat; ſic pariter hoc docet, legislatores in edictis ſuis, hiſtoricos in narrationibus factorum, in quibus nihil ſpectatur, niſi vt, quid actum ſit, appareat (ſunt enim etiam narrationes ornatae, in quibus delectatio legentium et laus ingenii quaeritur) denique doctores alicuius diſciplinae in tradendis ad intelligendum dogmatis, h. e. cum agunt hoc, vt doceant, vt explicent aliquid, non obiter et aliud agentes attingunt modo, propria dictione vti ſolere, nec tropis, niſi qui propriorum naturam vſu induerint, atque omnium minime durioribus, vti ſolere. Vnde fit, vt in talibus non ſit agnoſcendus tropus, niſi clare doceri poteſt, eum vſu vel omnium, vel ſcriptoris certe illius, ei rei exprimendae paene proprium factum eſſe: cuius generis quaedam eſſe in libris ſacris, vt illuminandi, regenerandi verba, dubio caret. [t]) In hac autem obſeruatione conſentientes habemus etiam eos, qui in tali diſputatione in ſingulis cauſſis aliter, vt fit, ſentiunt, vt *Bochart*. Hieroz. 2, 56. *Placaeum* T. II. Opp. p. 255. *Periz*. Orig. B. p. 300. Itaque, ſicut *Matth*. 28, 19. capimus βαπτίζειν proprie, cum et dicatur tropice;

ita

ita pariter 26, 27. 28. *edere corpus Christi et bibere sanguinem eius* accipiendum erit proprie,[u]) cum *Io.* 6. sit translate.

t) Quae hic praecepta sunt, valent quidem in lingua perpolita et exculta, in hellenistica autem N. T. plures admittunt exceptiones, et quidem in libris historicis, v. c. in narratione tentationis Iesu (vid. Ill. *Eichhornii* Bibl. Lit. Bibl. Vniu. T. III. p. 283. s.) et in historia vitae Iesu priuatae: in libris dogmaticis iis, quorum auctores philosophiae Iudaicae commentorum et imaginum plenissimae dediti fuerunt, v. c. auctor anonymus epistolae ad Hebraeos.

u) Quae tamen adsertio argumentis nititur, non hermeneuticis, sed dogmaticis. Quod enim I. c. Matthaeo est σῶμα et αἷμα, Paulus appellat ἄρτον et ποτήριον 1. Cor. XI, 26. sqq. Neque adsunt argumenta satis firma, quibus probari queat, Matthaeum aliam praeire doctrinam de corpore et sanguine I. C., quam Iohannem.

## § 11.

Ex quo fit, vt in rebus diuinis, quae sola reuelatione cognoscuntur, adeoque ad sensum reuocari non possunt, non aliter nisi e consuetudine loquendi scriptorum sacrorum intelligi et liquido iudicari possit, an proprie aliquid tropiceue dictum sit.

## § 12.

Ea autem consuetudo non aliter cognoscitur,

ſcitur, niſi collatione locorum ſimilium: quae fit multipliciter. Nam cum de eadem re aliis locis alia verba vſurpantur, facilis eſt diſtinctio propriorum et tropicorum, veluti, *regenerari ex aqua et ſpiritu*, *Io.* 3, 5. tropice dici patet, quia res eadem proprie eſt *Marc.* 16, 16. cum autem perpetuum eſt idem in omnibus de eadem re verbum, vt *filii* et γεννᾶν, vbi eius cum Deo coniunctionis (relationis) modus exprimitur, proprietas agnoſcitur: denique cum de diuerſis, at ſimilibus tamen rebus, aut coniunctionem aliquam habentibus, idem modus loquendi vſurpatur, proprie intelligendum patet. Velvti *Matth.* 26, 28. coll. *Ebr.* 9, 20. vtrobique proprie dici τοῦτό ἐστι τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ex hac ratione in promtu eſt. Nam *Ebr.* 9, 20. proprie eſſe, nemo dubitat: multo ergo magis in antitypo *Matth.* 26, 28. nec, illam formulam aliter intelligendam, venire in mentem poterat diſcipulis Chriſti, ei proprie accipiendae adſuetis. [uu])

uu) Veremur, vt loca excitata vere ſint parallela. Ieſum enim ſanguine ſuo pepigiſſe foedus, idque ſenſu proprio, dubitatione caret; panem autem corpus eſſe, σκληρός ἐστι λόγος Ioh. VI, 60. Noli et hoc praetermittere, copulam ἐστι, e qua ſenſus proprius pendere debet, in inſtitutione coenae ſacrae a I. C. vſurpatam non fuiſſe.

§ 13.

§ 13.

Iudicium etiam fit ex epithetis, aduerbiis, aliisque determinationibus, modum rerum et naturam exprimentibus: vt, cum Iesus dicitur *filius Dei* ἴδιος, μονογενής, quia ea verba non dicuntur nisi proprie, sequitur et filium sic dici: [v]) at fideles dici tropice *filios Dei* et *generatos a Deo*, patet, quod dicuntur *generati per* λόγον ἀληθείας, *filii facti per filium*, *Gal.* 3, 26. denique alibi υἱοθεσία iis tribuitur.

v) Loca hac et superiori §. prolata ad rationem tropicam facile reuocari posse, iam supra vidimus. Μονογενής, יחיד de se et vita sua, יחידה, quae est Homeri φίλον ἦτορ, saepius adhibet Dauides.

§ 14.

Interdum etiam contextus prodest ad iudicandum. Nam cum est allegoricus totus, in singulis partibus, aliquam cum vniuersa allegoria coniunctionem habentibus, agnosci tropus debet, vt in verbo πυρός, 1. *Cor.* 3, 13. quod manifeste refertur ad ξύλα et χόρτον. Itemque cum oratio praecessit ex eodem genere propria, ab eaque manifeste transitus factus est ad allegoriam, vt *Io.* 6, 27. 33. 35. 51. quod secus est, vbi nil tale praecessit: idque agnouit ipse *Zwinglius*, nec ex eo se potuit expedire. Vid. *Chemnitius*

*tius* in Annotat. hist. ad *Fundamenta S. Coenae*, §. 14. Et haec de discernendis propriis et tropicis.

§ 15.

Intelligentia autem tropicorum duos fontes habet: quorum alter est in rebus ipsis, alter in vsu loquendi. Ex rebus intellectus ducitur, cum nituntur perspicua similitudine, quae sit in promtu, vt φωτισμός: ex vsu autem loquendi, primum cognoscenda vniversa consuetudine linguae hebraicae in tropicis verbis, vt ζωῆς, θανάτου,[x]) τιμῆς, δόξης etc. itemque graecae; deinde per comparationem locorum,[y]) in quibus eadem res proprio verbo exprimitur, aut in quibus idem verbum est in contextu eiusmodi, vt sensus sit in promtu: quo pertinet etiam analogia linguae in coniugatis et similibus verbis: cuius exemplum mox ponemus.

x) *Mors*, *calamitas*, inde ἀποθνήσκειν, poenas minari.

y) V. c. Gal. III, 27. Χριστὸν ἐνδύσασθαι comparetur cum Rom. XIII, 14. vbi ex oppositione patet, sensum esse, *virtute Christo dignum fieri*.

§ 16.

In ea re autem nihil magis cauendum est, quam ne ex etymologia tropos iudicemus, quae est fallacissima ratio: vt in verbo Paullino

Paullino ὀρθοτομεῖν, (2. *Tim.* II, 15.) qui etymologiam ſecuti ſunt, diſtinctionem legis et Euangelii commenti ſunt; quod eſt nugatorium. Nam λόγος ἀληθείας eſt Euangelium ipſum: nec de lege hic cogitari poteſt. Analogia linguae docere poterat, id eſſe rectum Euangelii ſenſum tenere et aliis tradere, vt accepere veteres, et e recentioribus Gerhardus, quod coniugatum ὀρθοτομία antiquis dicitur pro ὀρθοδοξία, ap. *Clementem Alex.*, *Euſebium*, et alios (v. *Valeſ.* ad *Euſeb.* Hiſt. Eccl. IV, 3.) et καινοτομεῖν nouas opiniones de religione ſuſcipere et ſpargere.

§ 17.

Nota porro tropicae orationis vtcunque intellectae eſt, ſi poſſis verba propria tropicis ſubſtituere. Non ſtatim recte intelligit, qui hoc poteſt: at certe non intelligit, qui non poteſt. Scriptores ſacri ipſi interdum tropicis verbis ſubiungunt propria, quae interpretentur tropica, vt *Col.* 2, 7. idemque ſaepe faciunt optimi quique Graeci et Latini ſcriptores. Proderit etiam videre, an, ſublata imagine, quam tropicum verbum proprie habet, et quaſi e mente et cogitatione ſemota, aliquid ideae remaneat in animo, quae ſit ab imagine illa diuerſa, quamque poſſis verbo proprio exprimere. Idque faciendum inprimis tum, cum tropi

ſen-

sensibilium rerum verba ad intelligibiles transferunt, vt θάνατος, ζωή, διαθήκη etc. in quo genere facile est decipi [z]).

z) Qui v. c. 1. Ioh. I, 7. in verbis αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ, sublato sanguine, nullam superstitem habet notionem, locum certe non intelligit. Qui sensum reperturus est, substituet vocabulum proprium, *mors* Iesu Christi.

§ 18.

Et quoniam in libris sacris frequentes sunt *allegoriae*, in quibus ipsis tropica est oratio, harum bene interpretandarum ratio est tradenda [a]). Est igitur primum omnium consilium allegoriae vniuersae indagandum, quod facillime reperitur tum, cum ea inseritur orationi, ex qua consilium intelligi potest. Quamquam plerumque etiam diserte declaratur.

a) Vid. supra S. I. c. 1. §. 9. not. et *Morus* Diss. de caussis, quibus allegoriarum interpretatio nititur, in Opp. t. I. pag. 370.

§ 18.

Hoc igitur cognito, videndum est, quod sit verbum primarium, eiusque vis quo verbo proprio exprimi possit. Ad eius porro sensum caetera eiusdem verba tropica omnia referenda et ei conuenienter explicanda. Ita et facilior erit explicatio singulorum,

lorum, et errores cauebimus. Velut 1. *Cor.* 5, 6. f. e contextu patet consilium esse allegoricae cohortationis, vt Corinthii puri sint ab vitiis et inde natis peccatis: ζύμη ergo est vitium quodlibet, ἄζυμος purus a vitiis, qualis esse debet verus Christianus. Ἑορτάζειν igitur non est diem festum celebrare; haec enim est propria significatio, cum requiratur tropica; sed Deo seruire, Deum colere, Christianum esse, ita scilicet, vt ab omnibus pristinis vitiis puri simus et eum vera sanctitate colamus: nisi quis malit simpliciter *viuere*. Est autem non consentaneum, alias partes proprie, alias tropice in allegoria interpretari, vt faciunt, qui 1. *Cor.* 3, 15. verbum πυρὸς vnum proprie capiunt, cum caetera sint omnia tropica ducta ab aedificandi ratione: (cf. §. 14.) quod ibi etiam est durius, cum in verbis ὡς διὰ πυρὸς particula ὡς perspicuum tropi indicium faciat [b]).

b) Totus locus 1. Cor. III, 9—16. exempli loco adhiberi potest ad interpretationem allegoricam recte instituendam.

## § 20.

Nec dissimilis ratio est interpretandarum *Parabolarum*, in quibus ipsis est plerumque mera allegoria [c]). Est autem videndum inprimis, ne omnes partes parabolicae nar-

narrationis nimis vrgeamus, et ad consilium vniuersum referamus singulas, easque argutius explicemus, vt omnes sint ad consilium vniuersum accommodatae, quod est vitium interpretum, vt magnum, ita vulgatissimum. Itaque non quaeremus, quid *Luc.* 15, 11. s. significent στήλη, μόσχος, δακτύλιος etc. Nam eae fere adsumtae sunt in vniuersum quidem necessario, ac singulae libere, vt narratio quaedam integra fieret, et esset ad consuetudinem vitae humanae aptior: quod etiam humanis talibus narrationibus, apologis, consuetudo fert.

c) Est enim parabola ipsa nihil, quam allegoria historica, in qua praeter consilium scriptoris explorandum etiam de hoc videndum est, ne imagines vltra punctum comparationis extendantur. Conf. *Storr* commentatio hermeneutica de parabolis Christi, Tubingae 1788. cum *Ewaldi* et *Krummacheri* libellis de eodem argumento theodisce scriptis.

---

CAP.

# CAP. V.

## *De Emphasibus iudicandis.*

### § 1.

In nulla facile parte interpretationis crebrius et studiosius peccatur, quam in emphasium iudicio, quod procliues nimis plerique sunt ad replenda omnia emphasibus, existimantes, in eo se facere, quod dignum sit diuinitate scripturarum sacrarum. Sed nihil potest habere aliquid dignitatis, a quo veritas absit [cc]).

cc) Conf. *Glassii* philol. s. ed. Dathii t. I. p. 1327. ss. *Kantii* liber: Kritik der Urtheilskraft p. 74. ff. *Graeffe's* vollst. Lehrbuch der Katechetik t. II. p. 471. ss.

### § 2.

Caussa autem est maxime in inscitia linguae, cum plerique e Lexicis pendere cogantur, destituti vsu linguarum idoneo, et ignorantes analogiam earum [d]). Itaque etymologias, tropicorum inprimis verborum, premunt, vnde raro aliquid boni

ſucci exprimi poteſt, et inde fingunt, quorum nihil viris ſanctis in mentem venit. Fingunt etiam Canones de emphaſibus, nulla ratione reddita e natura rerum et verborum, aut vſu loquendi. Atque haec fiunt maxime in lingua hebraica, et formis loquendi in N. T. quae ex hebraiſmo ductae ſunt, propter diſſimilitudinem earum ab linguis occidentalibus, inprimisque vernacula cuiusque.

d) Pertinet ad doctores veteris eccleſiae graecos et latinos, qui propter imperitiam linguae ſaepius hallucinati ſunt. Sed idem etiam accidit auctoribus recentioribus, v. e. *Lütkenio* in Collegio emphaſiologico, et aliis.

§ 3.

Quo magis opus eſt certis praeceptis, quae ducta ſint e natura ſermonis humani et rerum natura, vt de emphaſibus recte iudicare poſſimus, ne emphaſes aut veras non videamus, aut fictas perſequamur, quod, vt *Eraſmus* (ad 1 *Cor.* 7, 1.) bene ait, in concionando, h. e. in hortando, conſolando, ferri poteſt: quamquam ibi quoque vera omnia eſſe malim, nihil commentitii, quo nec opus eſt: in ſeria diſputatione nullo modo [e]): eſtque profecto nihil aliud, quam in re ſancta et ſeria ludere.

e) In orationibus ſacris Ioh. XIX, 24. et Dan. XII,

XII, 2. de resurrectione mortuorum, ἐμφατικῶς explicari, intermistis hinc inde hymnorum ecclesiasticorum fragmentis, nemo facile aegre tulerit. E dictorum probantium numero autem eiusmodi loca iure meritoque eximuntur.

## § 4.

Et vulgares quidem canones, qui iubent cauere, ne vel emphases fictas probemus, vel veras repudiemus, etsi veri sunt, tamen non sunt proprie canones, nec vllo modo dirigere mentem in iudicio possunt. Et nemo est, qui se fingere emphases putet. Sed sunt et alia non satis acute de emphasibus praecepta, quae refellere non est necesse.

## § 5.

Ac primum illud clarum est, in rebus subtiliter explicandis, in tradendis perspicue praeceptis doctrinae, in legibus, narrationibus rerum gestarum simplicibus, emphases vix locum habere. Est enim in iis tropus et figura orationis, quod genus, praesertim quod efficacius sit, ab illo genere orationis abhorrere, antea ostensum est, C. IV. §. 10. et defendunt omnes [f]).

f) Emphases tantum locum habent in oratione, qua grauiter adhortari, admonere, castigare, polliceri, minari, obiurgare, refellere, terrere, consolari, admi-

admirari volumus. Oratio sine emphasibus ieiuna est et vix ferenda.

§ 6.

Est porro cauendum hoc, ne in verbo ipso et eius vel propria vel tropica significatione emphasin quaeramus [g]), propterea, quod supra demonstratum est, nullum verbum, neque proprium, neque tropicum, per se habere emphasin, sed in ea esse accessionem ad ordinariam significationem extrinsecus adiunctam. v. Sect. I. c. 2. §. 15. 16. 20.

g) Hoc vitium commisit Beza ad Matth. V, 5. vbi voluit, κληρονομεῖν esse, *beatitatem seu haereditatem accipere:* sed hebr. ירשה denotat tantum possessionem certam.

§ 7.

Nec adeo quaerenda est ex etymologia verbi, quae ne proprium quidem sensum facile docet, vt supra dictum, aut, quod eodem redit, in tropicis, e propria verbi significatione, vt fit v. c. in verbo ἐρευνᾷν [h]). Nam in eo tropice dicto per se non esse emphasin, indicantem aliquam contentionem et diligentiam quaerendi, patet ex eo, quod et spiritus s. dicitur ἐρευνᾷν τὰ βάθη τῆς θεότητος, a quo illa emphasis est alienissima. Itaque Veteres in eo ipso loco permutant

tant cum γινώσκειν, v. infr. P. II. c. 5. §. 23. In vtroque genere frequenter peccatur.

h) Sic v. c. *Chrysostomus* σχολάζειν 1. Cor. VII, 5. explicat: ita ieiunare, vt ab omnibus negotiis simus liberi. Sed σχολὴ non semper est otium a negotiis, sed tantum a negotiis cum curis et labore coniunctis. Vid. *Ammonius* pag. 255. Σχολάζειν itaque h. l. est, operam dare adsiduam.

## § 8.

In Graecis porro verbis videndum primo, ne accessionem aliquam significationis ad vim verbi simplicis necessario fieri putemus a praepositionibus, praesertim ἀνὰ, ἀπὸ, πρὸ, σὺν, ἐκ, περὶ, vt in ἀνασταυρεῖν, ἀνανήφειν, συμμαρτυρεῖν, προγινώσκειν etc. et in iis argutemur, quod est plerisque solenne, sitque saepissime alieno loco; cum satis vsu et obseruatione constet, eas praepositiones non semper significationem simplicis mutare, immo vero saepissime redundare,[i]) inprimis apud *Polybium*. Itaque consuetudo loquendi consulenda.

i) V. c. ἀνασταυροῦν Ebr. VI, 6. simpliciter est *cruci adfigere*, 2. Tim. II, 26. ἀνανήφειν, *vigilare*. Idem vtinam semper obseruatum fuisset in verbis προορίζειν, προγινώσκειν, Eph. I, 5. Vid. *Ernesti* ad Hom. Il. I, 3.

§ 9.

§ 9.

Illa deinde cautio eſt, ne a numeris emphaſin temere ducamus, exiſtimemusque pluralem pro ſingulari poſitum talem aliquam vim, ſingulari maiorem habere; quae opinio nullum fundamentum habet in conſuetudine loquendi hebraica, aut graeca. In quo Origenem bene notat noſter *Melanchthon* (T. II. Opp. p. 130.): *inepte*, inquit, *Origenes diſtinguit* οὐρανὸν *et* οὐρανοὺς, in quo genere idem peccauit in οἰκτιρμοῖς, *Rom.* 12, 1. multis etiam nunc ſtulte ſequacibus, in illo quidem, *Bengelio*.

§ 10.

Nec minus cauendum, ne abſtracti pro concreto poſiti talem aliquam vim putemus, quam legem etiam doctiſſimi viri, vt *Glaſſius* p. m. 594. et poſt hunc alii, male probarunt [1]), nulla ratione reddita, aut origine et cauſſa iſtius emphaſeos demonſtrata, quod eſt optantis potius, quam bene et perſpicue docentis. Abſtractorum quidem vſurpandorum cauſſae ſunt vel neceſſitatis, vel perſpicuitatis, non emphaſeos. v. Sect. I. c. 3. §. 24. 25. In libris autem ſacris neceſſitas fere ex hebraiſmo obtinet. Origo erroris eſt ex inſolentia rei in lingua latina et vernacula. Sed diſſimilitudo linguarum non ſtatim facit emphaſin. Caeterum clara

res

res est vel ex eo, quod in iisdem formis abstracta et concreta permutantur, vt *Col.* 1, 13. coll. *Matth.* 3. *extr. Eph.* 5, 8. coll. 4, 18. etc.

l) Vid. nunc b. *Dathe* h. l.

§ 11.

In sacris inprimis libris et hebraismis cauendum, ne dissimilitudine modorum loquendi ab nostra lingua ad emphasin quaerendam aut comminiscendam impellamur, quo nimis inclinant plerorumque animi, etiam hebraice doctorum. Sed eo nihil est fallacius. In orientalibus linguis multa videntur etiam hyperbolica, si ad verbum, h. e. e Lexicis vulgaribus, et etymologice vertantur, cum sint nihil minus. In illo v. c. Threnorum: *tribulatio mea magna sicut mare*, scriptor nil aliud cogitabat, quam quod latine scribens dixisset, *mala mea sunt maxima* m).

m) Adde הר אלהים, *ἄνθρωπος θεοῦ*, aliasque formulas hebraicas, quae magis hyperbolicae sunt, quam emphaticae.

§ 12.

Si cuius vocis aut phraseos constantem emphasin (Sect. I. c. 2. §. 17.) esse, nullo diserto testimonio constet, vsus consulendus est

est sic, vt videamus, primo, an omnibus in locis ei emphasis conueniat, deinde an ei substituatur in eodem aut simili contextu alia, quae adiunctam habeat significationem aliquam praecipuae magnitudinis. Nam si neutrum est, sed cum aliis, quae manifeste sine emphasi sunt, permutantur, aut aliis in locis magnitudinis significatio iis diserte addita est, emphasis agnosci non potest. Velut in ἀποκαραδοκίας verbo, *Rom.* 8, 19. non esse emphasin constantem, patet, quod ea ipsi non conuenit *Phil.* 1, 20. vbi etiam vt synonymum cum ἐλπίδι coniungitur, et apud τοὺς ό, itemque illo ipso loco v. 21. cum hac permutatur [n]). Nec emphasis talis agnosci potest in phrasibus, quae sunt e coniugatis, vt χαρὰν χαίρειν etc. quod eae saepe reperiuntur cum diserta magnitudinis significatione, vt *Matth.* 2, 10. quod erat superuacuum, si eae per se emphasin magnitudinis alicuius haberent.

n) Ἀποκαραδοκεῖν est capite attendere, et vsurpatur de nautis et militibus, qui capite in obliquum verso attendunt ad signum, quomodo nauis sit remis appellenda. Sed emphasin vocabulo non inesse monstrat, 1) hebr. חקיה, quod LXX. per ἐλπὶς, εὐδοκὴ, et ἀποκαραδοκία vertunt, 2) contextus v. 21. vbi synonymum est vocis ἐπ᾽ ἐλπίδι. Vid. *Noesseltus* Commentat. in Opp. Fasc. I. p. 115. sqq. et *Koppii* epist. ad Romanos ed. 2. ad h. l.

§. 13.

§ 13.

Emphases temporariae ab effectu loquentis, aut alia causa, agnoscuntur hac nota, si ordinaria verbi significatio est longe inferior manifesta affectus magnitudine, aut re ipsa °). Nam ita, sine emphasi, frigida foret oratio: quod est a scriptoribus diuinis alienissimum.

o) Exemplum est Matth. IX, 24. vbi καθεύδει est, *obdormiuit somnum mortis*, id quod contextus prodit.

§ 14.

Caeteras item agnoscimus ex eo, si verbi aut phraseos vsitata vis sensum frigidum aut ineptum efficit, cum aptus contra fiat rei, si aliqua adiunctio alicuius qualitatis in vtramque partem aut magnitudinis intelligatur. Nam in tali loco quaedam necessitas emphaseos intelligitur, in qua est signum veritatis certissimum. Veluti 1. *Cor.* 4, 3. 4. ἀνακρίνειν semper est in emphasi. Nam primum ἀνακρίνεσθαι est, iudicio alicuius probari, deinde ἀνακρίνειν est sibi ius iudicandi, probandi sumere, tertio ius iudicandi habere, seu recte iudicare posse. Ita si simpliciter intelligas *iudicare*, sensus frigidus, nec contextui vniuerso aptus existit. Similiter πίστιν cum emphasi constantiae, magnitudinis, vbertatis fructuum dici *Col.* 1, 4.

1, 4. res et contextus indicat. Nec enim opus erat Paulo, fama cognoſcere de fide Coloſſenſium ſimpliciter, quam ipſe coram cognorat, cum Eccleſiam illam fundaret. Item *Rom.* 1, 8. vbi fidei, ſine magnitudinis ſenſu, non conueniret illa laudis magnitudo, quod ea vbique celebretur. Sic et *Matth.* 4, 2. ἐπείνασε eſt, vehementius et intolerabilius eſuriebat.

§ 15.

In quo tamen non negligendus eſt vſus loquendi, ſed hactenus ſaltem conſulendus, vt nihil ſit in illa emphaſi, quod ei repugnet. Vt in illo fert hoc vſus ſ. analogia linguarum omnium, vt *iudicium* ſimpliciter in alterutram partem dici poſſit. Nam Latini quidem *iudicium facere de aliquo*, et de honore et de contumelia dicunt.

---

CAP.

## CAP. VI.

### *De Compositione* Ἐναντιοφανῶν.

§ 1.

Si euidenter demonstrari posset, loca duo librorum diuinorum inter se ita pugnare, vt conciliandi ratio nulla relinqueretur, confitendum esset necessario, alterutrum in libris vulgatis mendosum esse, et de emendatione legitima cogitandum p). v. Sect. I. c. 1. §. 23. De quo genere fortasse est locus *Io.* 19, 14. coll. *Matth.* 29, 9. et *Marc.* 15, 25. item, vt permultis videtur, *Luc.* 3, 36. coll. *Gen.* 10, 24. mihi non liquet.

p) Dubitare licebit Critico de praecepti huius veritate. Repugnantiae enim in numero, vel nomine nondum tollunt diuinam originem librorum sacrorum, quorum auctores homines fuere, et memoria labi poterant, v. c. *Marcus* II, 26. ἐπὶ Ἀβιάθαρ coll. 1. Sam. XXI, 2. vbi אחימלך adpellatur sacerdos Nobensis. Neque etiam apertae et maioris momenti repugnantiae, v. c. duplex genealogia Iesu in Matthaeo et Luca, legitime semper emendari possunt, sed idonea interpretatione componendae sunt. Vid. b. *Michaelis* ad h. l.

§ 2.

§ 2.

Quod ſi ita conſtet de integritate lectionis vtriusque, vt in dubium vocari non poſſit, intelligitur ſpeciem eſſe meram repuguantiae, quae debeat idonea ratione tolli, vt ea loca commoda interpretatione ad conſenſum reuocentur [pp]).

pp) In libris ſacris N. T. multa obuenire *ἐναντιώματα*, ſiue chronologica et hiſtorica, ſiue dogmatica et didactica, iam dubitatione caret. Ad primam claſſem referenda erunt loca Matth. I, 18—25. coll. Luc. II, 1—7. Matth. II, 13—23. coll. Luc. II, 21—40. Matth. IV, 1—8. coll. Ioh. I, 35—II, 11. Matth. XXIII, 35. coll. diſſ. noſtra in h. l. in nouis opuſc. theol. Gotting. 1803. Matth. XXVIII, 16 ſſ. coll. Act. I, 1—8. Praeterimus ſilentio c. VII. actuum apoſtolorum, anachroniſmis plenum, et loca epiſtolarum Pauli bene multa, quae cum actibus apoſtolorum vix componi queant. Ad alteram claſſem pertinent Ioh. I, 1. coll. cum Col. I, 15. (conf. Iuliani imperatoris hac de re iudicium apud Cyrillum Alexandrinum ed. Auberti t. VI. p. 327.) Rom. IV, 9. coll. Iacob. II, 21. cet. Falluntur itaque miſere interpretes, qui hiſce multisque aliis repugnantiis obſeruationibus grammaticis, ſiue calumniis potius exegeticis mederi ſtudent, vt ſuas de inſpiratione auctorum ſacrorum hypotheſes ſtabiliant. Qua enim quaeſo fide dignus exiſtimari debet *ἑρμηνευτής*, qui genuinum ſenſum ſcripturae indagare veretur, hoc eſt, qui veritatem offendit, vt commenta ſuſtineat, vel defendat! Patet itaque, in hermeneutice N. T. noſtris diebus

diebus accommodata non de *specie* ἐναντιωμάτων agi debere, sed de repugnantiis in vniuersum.

## § 3.

Repugnantiae autem species exiſtit in locis vel dogmaticis vel hiſtoricis. Pugnare porro videntur interdum ſcriptores N. T. ſecummetipſis, interdum cum aliis vel N. vel V. T. ſcriptoribus q). Vnde multiplex genus ſcriptorum, qui in componendis locis, diſſenſus ſpeciem habentibus, laborarunt, aliis certum genus, aliis omnia complexis. Catalogus talium ſcriptorum *le Long*, *Pfaffius* et *Fabricius* dedere. Nos, pro inſtituto noſtro, N. T. finibus nos continebimus.

q) Interdum etiam cum auctoribus profanis, v. c. *Lucas* II, 2. qui Ioſepho aliisque hiſtoricis aperte contradicit. Certum enim eſt, Cyrenium tum, quum Chriſtus naſceretur, nondum fuiſſe praeſidem Syriae. Functus eſt hoc munere tum temporis Sentius Saturninus: Saturnino autem Quinctilius Varus ſucceſſit et huic denique Sulpit. Quirinus. Cenſus autem a Quirino inſtitutus cadit in annum LI. vel LII. periodi Iulianae, cuius celeberrima erat memoria Act. V, 37. Vid. *Roſenmüller* ad h. l. et *Papſt*, qui et ipſe nouam explicationem tentaturus erat, Hiſt. eccleſ. T. I. p. 104. not. Simile mendum inueneris Luc. III, 1. et Act. XVI, 12.

§ 4.

§ 4.

In locis dogmaticis τὸ ἐναντιοφανὲς, quod interpretando tolli debeat, existere solet maxime ex alterius modo loquendi non ad ἀκρίβειαν dogmaticam subtiliter facto, aut ingenio linguae orientalis nimis ab occidentalium linguarum ingenio abhorrente [r]). Nam repugnantia dogmatum perspicue traditorum, quae doctrinae Christianae obiicitur ab impiis et profanis hominibus, velut a Iuliano apud Cyrillum, quod, cum vnus Deus diserte tradatur, *Matth. vlt.* tribus diuinitas tribuatur, a Theologis, rebus potius ipsis explicandis, quam interpretandis verbis, tollitur.

r) Aut ex errore interpretum, v. c. Hebr. XII, 2. vbi μετάνοια est irreuocabilis benedictio Iacobi.

§ 5.

In historicis autem oritur primum e diverso in eadem re narranda consilio ac modo, vt saepe in Euangeliis. Nam diuersitas consilii variat delectum περιστάσεων, et quaedam περιστάσεις ipsae vi ad cognoscendum nil differunt, possuntque vel permutari, vel omitti: et interdum nihil refert, vtrum genere an specie exprimantur [s]). Ex quibus omnibus facile species dissensus nascitur.

s) Sic v. c. Matthaeus, oſtenſurus, Ieſum fuiſſe verum Meſſiam a Deo promiſſum, ad ſuum conſilium adhibet crebram miraculorum enarrationem: Iohannes contra multa tradit a reliquis praeterita, et inprimis ſermones Chriſti maiori copia literis mandat. Interdum etiam corrigit anteceſſores, v. c. Lucam, qui Simonem Cyrenaeum crucem Chriſti portauiſſe refert, quum ipſe per αὐτοψίαν melius ſcire poſſet, Ieſum eam portauiſſe. Vid. *Mori* defenſio narrationum N. T. in Opp. p. 23. ſqq.

## § 6.

Sed longe etiam ſaepius ſuſpicionem diſſenſus iniicit modus loquendi, rerum diuerſitatem prae ſe ferens, cum ſit modo verborum. Etenim ſatis conſtat, ſcriptores etiam optimos ac diligentiſſimos, in nominibus rerum, perſonarum, locorum, in numeris, in tempore definiendo, omninoque in attributis rerum, non eandem ſemper aut rationem aut ἀκρίβειαν adhibere, nec in eo peccati alicuius reos argui aut ſolere aut poſſe t). Itaque e pluribus eiusdem ſubiecti nominibus varie deligunt vnum, ſequunturque modum nominandi, temporis, loci, numeri definiendi mox craſſiorem, mox ſubtiliorem, in terminis temporum conſtituendis variant, genus pro ſpecie et contra, ſpeciemque pro indiuiduo exprimunt. Quorum omnium exempla, vt in aliis hiſtoricis, ita in Euangeliorum ſcriptoribus occurrunt.

t) Ex-

t) Exemplum memorabilis hanc ob causam repugnantiae adparentis monstrat *Ernesti* ad Mem. Socr. L. III. c. V, §. 1. coll. cum *Drakenborchii* nota ad Liu. L. XXXIX. c. 49. Aliud ἐναντιοφανὲς vide in b. *Michaelis* Adnot. ad Ioh. VII, 8. siue Gal. II, 1. s. coll. Act. IX, 26. XI, 30. et XV, 2. Paulum enim in epistola de postremo itinere Hierosolymitano, quod tertium fuisse putatur, verba facere, Gal. 1, 9. docere videtur. *Potest* tamen in hac narratione magis verborum esse diuersitas, quam rerum: Act. XI, 30. enim de itinere Pauli tantum Palaestinensi, non Hierosolymitano agit. Quae monemus, non controuersiae causa, sed vt libere profiteamur sententiam, repugnantias epistolarum Pauli historicas cum actibus apostolorum componi vix posse, nisi fontes huius libri aperiantur, de quibus alio loco disseremus.

## § 7.

Haec igitur consuetudo et narrandi et loquendi diligenter cognoscenda, vel vsu nostro, legendis historicis graecis et latinis, vel ex obseruationibus peritorum u), vt *Perizonii* in Animaduers. hist. et aliis libris, *Dukeri* ad Liv. *Wesselingii* ad Herodotum et Diodorum, quo sit illa in promtu, et tempore necessario nobis opportune succurrat, atque ad componenda loca, quae dissentire videantur, conferri possit. Etenim non est dubitandum, quin difficultas tamen dissensus componendi plerumque ex ignoratione istius consuetudinis oriatur.

u) Po-

u) Potiſſimum Xenophonte, Polybio, Liuio, Tacito.

## § 8.

Modus autem compoſitionis tentandae ac quaerendae in locis primum dogmaticis hic eſt, vt obſcurior, h. e. in quo ſit genus dicendi, quod vel ambiguam interpretationem habere videatur, vel habeat aliquid inſolentiae, conformetur interpretando ad clariorem, qui omnem ambiguitatem et dubitationem excludat v): item, vt, in quo obiter dogma attingatur, cuius rei facile iudicium eſt, explicetur ex eo, qui eſt in eo argumento claſſicus. In quo tamen hoc tenendum, vt cauſſam ἐναντιοφανείας, explicando vſu loquendi, aperire et tollere tentemus, vt omnis obloquendi aut dubitandi occaſio praecidatur: propterea, quod iure deſiderari hoc poteſt, vt verba illum ſenſum, quem e clariori et claſſico loco aſſumimus, habere poſſe, et in vſu loquendi habuiſſe, oſtendamus.

v) Locus obſcurior in dogmate de decreto abſoluto videtur Rom. IX, 18. ὃν θέλει, σκληρύνει, cui lux adfunditur alio clariori 1. Sam. VI, 6. פרעה כבר לבו. Sic locus claſſicus de modo conſequendae ſalutis eſt Ioh. III, 16. et Rom. III. quia hoc dogma ibi ex inſtituto explicatur.

## § 9.

Proderit etiam plurimum, tenere, multa in dogmaticis simpliciter et absolute dici, de consuetudine loquendi omnium linguarum, quae referenda sint ad certa principia; quae, quod nota essent vulgo de disciplina religionis, intelligique adeo in omnibus deberent, non commemoranda in omnibus videbantur. Veluti, cum in primis religionis principiis esset, salutem esse a fide, eaque nos Deo gratos et probatos fieri, non curabant id commemorare in omni officiorum commendatione, idque sua sponte intelligi putabant [x]). Itaque interdum eleemosynas nos Deo gratos reddere et similia dicebant, sed volebant intelligi, si proficiscerentur ab iis, in quibus caput omnis gratiae diuinae sperandae, h. e. fides esset. Ita facilius et componentur inter se talia, et compositio ratione reddenda probabilior fiet. Legent hic et considerabunt studiosi cum fructu initium et priora exempla responsionis ad obiectiones Pontificiorum in Apol. Aug. Conf. art. IV.

x) Si itaque a Iacobo beatitatem consequi posse dicimur per virtutes et bona opera, exinde non sequitur, excludi fidem, quae omnes virtutes frustratur sine illa exercitas, quia fides est religio Christiana ipsa.

§ 10.

§ 10.

In genere historico autem primum cauebimus, ne res diuersae propter similitudinem pro iisdem habeantur, et hinc dissensus temere fingatur; quod etiam humanorum scriptorum interpretibus accidit: neue contra, ob leuem narrationum diuersitatem, facta temere multiplicemus y). In quo vsus ex lectione aliorum historicorum, et obseruationum, ab eorum interpretibus congestarum, valde nos adiuuabit.

y) Sic Matth. XXVII, 44. latrones maledixisse Iesu tradit, Lucas XXIII, 39. vnum tantum e latronibus. Prior itaque speciem posuerat pro indiuiduo: de duplice enim maledictione cogitari nequit. Conf. Matth. XXI, 12—27. cum Ioh. II, 12 — 22. et ad h. l. *Michaelis*.

§ 11.

In compositione porro ipsa tentanda, ante omnia videndum, vter locus ad alterum sit interpretatione accommodandus. Cuius rei certa debet esse lex, ne temere vagemur atque erremus. Norma igitur dissensus componendi erit in loco eo, cuius verba omni ambiguitate carent, suntque planissima et ita determinata ad ἀκρίβειαν, vt nulla interpretatione ad alium accommodari possint. Accommodari autem ad alium debebit is, cuius verba habent manifestam

ambiguitatem, aut ſenſum non conſtanter definitum. Velut *Act.* 7, 14. ſunt LXXV, apud Moſen LXX. In illo nulla ambiguitas intelligi poteſt: at in hoc, ex eo, quod conſtat, plenas decadas et centurias poni conſuetudine loquendi vulgari pro non plenis, aut exceſſu omiſſo. Ergo Moſis numerus ad illum eſt conformandus ſic, vt Lucas numerum ſubtiliter, Moſes craſſe expreſſerit [z]). Hanc legem agnoſcit *Perizonius Origg. Aegypt. p.* 410.

z) Act. VII, 6. Deus ipſe dicit, Iſraelitas ſervire debere Aegypto τετρακόσια ἔτη, quum tamen conſtet ex Exod. XII, 17. et Gal. III, 17. illos per 430 annos ibi commoratos eſſe, termino nimirum a promiſſione diuina Abrahamo facta conſtituto. Negari tamen nequit, ex hac explicatione alias emicare difficultates, quemadmodum *Koppe* docet ſingulari programmate et *Dindorf* in *Mori* commentario ad h. l. Quidni potius fatemur, chronologicas huius aeui rationes in vniuerſum ad liquidum nondum eſſe conſtitutas?

§ 12.

Caeterum haud abnuerim, verum eſſe, quod *Pfaffius* putabat (Hiſtor. Lit. Theol. T. I. p. 140.), vix fieri poſſe, vt v. c. Harmonia Euangelica condatur omnibus numeris perfecta: coniecturis interdum vtendum, tum in canonibus harmonicis, tum in iis ad rem quamque conferendis. In quo bene agitur,

agitur, quod id tantum ad hiſtoricas narrationes pertinet, in quibus aliquid ignorari, ſalua fidei integritate, poteſt, immo in quibus etiam ignorare potius aliquid velle, quam ingenium fruſtra torquere debemus [a]).

a) Addimus haec: 1) non omnia ſibi repugnauerunt ex ingenio auctorum ſacrorum et illorum temporum, quae noſtro aeuo ſibi conuenire minus videntur, 2) diſceſſiones et varietates, praeſertim in rebus hiſtoricis, deuitari non poterant, quia homines, non autem inſtrumenta machinis ſimilia, fuerunt ſcriptores ſacri, 3) adeoque harmonia perfecta librorum hiſtoricorum V. et N. T. vix exſpectari poteſt, poſt inanes tam multorum virorum conatus. Vide *Michaelis* Einleitung in die göttl. Schriften des N. B. ed. 4. t. II. p. 877. *Marſh* Anmerk. und Zuſätze, deutſch von *Roſenmüller*, Gött. 1803. t. II. p. 5. ſſ.

---

PARS

# PARS SECUNDA.

## CAP. I.

### *De Verſionibus et Commentariis ſcribendis et iudicandis.*

§ 1.

Quoniam in interprete non modo debet eſſe ſubtilitas intelligendi, ſed etiam bene intellecta explicandi, vel vertendo, vel commentando: de hac quoque praecipiendum videtur.

§ 2.

Et eius quidem interpretationis, quae vertendo in aliam linguam cernitur, cum ſit finis hic, vt ſenſus auctoris ſine vlla aut detractione, aut adiunctione, aut immutatione denique, exprimatur, ſitque verſio quaſi perfecta imago exempli archetypi, in qua nihil nec maius aut minus, nec melius aut deterius factum ſit, ſed quam archetypum poſſit alterum ſe agnoſcere [b]): efficitur, vt verbis omnibus vtatur iis, quibus clare *omnes ſenſus* auctoris *eodem modo* referantur. Quae ſunt explicanda diſtinctius.

b) Con-

b) Conseruetur itaque, quoad eius fieri potest, in Liuio stili Patauinitas, in Iohanne dictionis simplicitas et breuitas, in Paulo verborum stribligo. Hanc autem virtutem in omnium ecclesiarum versionibus publicis adhuc desideres. Conf. *Morus* t. I. Opp. p. 83. sqq.

## § 3.

Primum igitur vt iidem sensus sint, deligenda sunt verba, quae *vi sua* plane respondeant iis, quae sunt in archetypo, et sint minime ambiguae, sed certae et perspicuae significationis apud eos, quibus versio paratur [c]). Ea cum suppetunt eiusmodi, quae verbis auctoris etiam etymologia, tropo, figura, constructione conueniant, haud dubie praeferenda sunt. Sed in eo magna cautio est, vt etiam vsus linguae consentiat. Nam alias non fit versio, quae intelligi perspicue possit ab iis, qui verba auctoris nesciant, sed quaedam auctoris obscuratio, saepe et peruersio, cum homines aut verba versionis, v. c. latinae, e consuetudine linguae latinae, aut germanicae ex vsu Germanorum intelligant, quae debebant intelligi e consuetudine graeca aut hebraica, aut omnino non intelligant, cum etiam per consuetudinem audiendi et vsurpandi putent se intelligere: quo nihil est non modo apud populum, sed etiam apud ipsos populi doctores vsitatius [cc]).

c Ita-

c) Itaque non anxie et κατὰ πόδα, vt *Valla* fecit in Homero, *Reiske* in Demosthene. Male itaque vertitur in N. T. βίβλος γενέσεως, liber *generationis*, pro, *genealogiae:* πατὴρ ἡμῶν, *Vater unser*, pro, *Du, unser Vater:* male in Homero μέτρον θαλάσσης, mensura maris.

cc) Exemplo sit locus Matth. VIII, 20. ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει, ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ. B. *Bolten* (Bericht des Matth. Altona 1792.) vertit: „*ein Anderer* hat keine Stelle, wo sein Haupt ruhen könnte." Contulerat enim v. υἱὸς ἀνθρώπου cum Syr. ܒܪ ܐܢܫܐ, hoc autem idem esse cum v. ܐܚܪܢܐ contenderat, qua in re errauit vir alias syriace doctus. Vid. not. eius ad Matth. V, 19. Plura huius farraginis occurrunt in tota N. T. versione *Bolteniana*.

## § 4.

Quod si ea facultas non datur, quae sane datur non nimis saepe, propter dissensum linguarum, quae res easdem diuersis saepe verbis, nec sibi etymologia et propria significatione respondentibus, exprimunt, inprimis orientalium et occidentalium, quae saepe ita de eadem re loquuntur, vt, si hebraica ad verbum s. etymologice, secundum Lexica vulgaria, vertas, longe aliud de consuetudine latina aut germanica existat: relinquemus illam similitudinem in vertendo, et satis habebimus, expressisse sensum archetypi verbis quibuscunque, modo idem significent ex indole linguae [d]).

d) Com-

d) Commutentur itaque idiotiſmi cum aliis verbis eandem rem exprimentibus, v. c. ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ Rom. I, 4. *declarati* filii Dei, ex Act. XVII, 31. τέκνα ὀργῆς, homines poena digni, τέκνα σοφίας, diſcipuli, cultores ſapientiae. Aliud exemplum, quo periclitari queas iudicii dexteritatem, videſis in *Stolzii* verſione theodiſca N. T. ad Col. I, 15. ff.

## § 5.

Sed quoniam hoc, niſi qui vtramque linguam accurate calleat, praeſtare non poteſt; intelligitur, hoc genus interpretandi attingere in N. T. libris non debere, niſi qui ſit trium linguarum, hebraicae, bene graecae, denique eius, qua vſurus eſt in vertendo, v. c. latinae, non ad puerilem et vulgarem modum, ſed bene penitus peritus [e]), non modo vt omnia recte intelligere, ſed etiam, vt quid cuique linguae proprium ſit iudicare, et pro ſuae linguae modo exprimere poſſit.

e) Ita nimirum, vt ingenium linguae, quod ſine multo acumine vix cognoſcitur, familiare ſibi reddat. Peccant autem hoc loco inprimis feruida ingenia, quae propter lectionis ſtatariae taedium totas ſtatim auctorum ſectiones peruolant, ſcilicet vt ſenſum ſcriptoris vniuerſalem capiant, qua in re haud raro ſuauiter decipiuntur. Vide *Bahrdtii* verſ. N. T.

## § 6.

Sed ab illa lege (§. 4.) interdum recede-

re

re cogit res et necessitas, eaque multiplex. Prima est, cum forma modusque verborum graecorum habet cum rebus ipsis, cum genere argumentandi, eam coniunctionem, vt illae intelligi, hoc consistere et recte procedere non possit, nisi ab ea discedatur, fiatque versio verborum ad etymologiam, neglecta linguae eius qua vtimur, lege,[f]) quod frequens est in demonstrationibus Paulinis, v. g. 2. *Cor.* 3. in verbis γράμματος et πνεύματος, item δόξης: adde *Gal.* 3, 16. item in allegoriis, vt *Io.* 10.

f) Sic verba Iohannea, λόγος, φῶς, ζωὴ, κόσμος, quibus, nisi Sabiorum, Gnosticorum tamen doctrina impugnatur, in ipsa versione retinenda sunt. Has voces tollendo in versione valde peccauerunt *Bahrdt* et alii. Conf. *Ziegler* in nouae versionis vernac. Prouerb. Salom. Lips. 1791. praef. p. VI.

## § 7.

Secundam afferunt acumina antithetorum, πλοκῆς, vt *Matth.* 8, 22. *Io.* 1, 10. παρωνομασίας, *Phil.* 3, 2. 3. similiumque figurarum;[g]) quibus sublatis, tollitur orationis gratia et venustas: cuius generis rursus multa habet idem Paulus. Sed tamen et hae figurae non semper seruari possunt: nam lingua altera eas interdum non capit.[h])

g) V. c. ἀντανάκλασις Rom. III, 27. In his omnibus

omnibus conseruetur idem vocabulum propter vim oppositionis.

h) V. c. Ioh. III, 6. 8. vbi πνεῦμα primum est ventus, deinde spiritus. Adde Matth. XVI, 18. Πέτρος et πέτρα, quae paronomasia ex Palaestinensi idiomate profecta in Graecis et Latinis retineri poterat, in Teutonicis euanescit.

## § 8.

Tertium genus talis necessitatis adferunt verba ea, quibus nullum in altera lingua ita respondet, vt sensum eorum satis et sine ambiguitate exprimat: quale est interdum verbum ζωῆς, hebraice dictum, et alia:[i]) vt bene monet *Rich. Simon* Hist. Crit. Vers. p. 280.

i) Potissimum verba doctrinalia, v. c. πίστις, μετάνοια. Idem animaduertit *Erasmus*, qui *verbo* Ioanneo substituit *sermonem*, et *Seb. Castellio*, qui in secunda editione versionis N. T. latinae pro *lotione* baptismum, pro *genio* angelum, pro *republica* ecclesiam reposuit. Notum autem est quantas turbas hac re excitauerint, quot conuiciorum plaustra solus *Beza* in eos congesserit.

## § 9.

Quarta est in locis δυσνοήτοις et obscuris,[l]) vbi certa interpretatio vix datur, sed plures sunt interpretationes, quae aliquam ac prope parem speciem habent. Nam in his bene latine aut germanice vertere, id est sibi ius decernendi arrogare; quod in Commentario forte

forte feratur, in versione nullo modo. Bene *Castellio* ad 1. *Pet.* 4, 6. *Haec non intelligo, itaque ad verbum verti.*

1) H. e. plane obscuris et inextricabilibus, quorum numerus tamen interpretum diligentia et sagacitate in dies minuitur. Adde locum Gal. III, 20. interpretum naufragiis vel ex *Wolfii*, *Bonitzii* et *Zeuneri* catalogis notum atque insignem. *Lutherus* certe sensum non adsecutus est, vertendo *ein Mittler:* Paulus enim, obscure licet et per parenthesin, nil nisi hoc voluisse videtur, internuntium vnius *legis* non esse, sed plures (Act. VII, 25. 35.), Deum autem esse vnum et vnicum.

§ 10.

Haec tenenti facile erit et in vertendo recte versari, siquidem sit in vertendo bene exercitatus disciplina boni magistri, et de versionibus iudicare, vtrum in conseruanda puritate sermonis, an in negligenda, et forma orationis ἀρχετύπȣ retinenda modum excedant: quod iudicium temere sibi arrogant, qui non ipsi linguarum et idiomatum cuiusque sunt periti. Caeterum, cum versiones fiant non eruditis, qui ipsi intelligere auctorum orationem possint, sed aliis, inprimisque populo, tolerabilius est, ab his legibus recedere in hanc partem, vt sensus verborum in promtu sit, etsi necesse non erat, deserere formam phraseos auctoris. Bene Hieronymus in epist. ad Pammachium, de optimo genere interpretandi pag. m. 994. *alii syl-*

*labas*

*tabas accupentur et literas: tu quaere sententias.* Sed totus ille locus legatur. [m])

m) Sensus bonae versionis optime formatur exercitatione et vsu translationum idonearum auctorum profanorum, v. c. *Luciani* et *Homeri* ex conuersione *Wielandii* et *Vossii* prima. Vid. Lutheri opp. ed. Hal. t. XXII. p. 5 ff.

§ 11.

Sed cum praecepta illa sint eiusmodi, vt a nemine non imperito penitus improbentur, aut recte improbari possint: sunt enim euidentia et certa: fit tamen plerumque, vt, quae vniuerse probentur, ea repudientur in exemplis et in iudicio versionum, in hanc maxime partem, vt, vbi puritas recte conseruari potest, ac conseruari debet, tamen repudietur et non feratur. *Castellio* quidem, etsi interdum puritatis conseruandae studio lapsus est, tamen etiam vbi bene rem gessit, durius acceptus est, praesertim a *Beza*, aemulo suo et inimico, quam meruerat: nec id aliam magis ob caussam factum, quam quod bene latine vertendo praedestinatio Zuingliana et connexae opiniones, ex etymologica illae versione ortae, euanuerant, vt ipse *Beza* non obscure indicauit. Omnino difficile est, ac potius ἀδύνατον, in vertendis libris sacris omnibus satisfacere, hac maxime de causa, quod saepe opiniones hominum de rebus, et argumenta

menta opinionum, ex versione ad verbum facta pendent, recteque vertendo tolluntur: vnde et illi *Emseri* adv. *Lutheri* versionem clamores, et *Stunicae Lei*que aduersus *Erasmum*, vt alia exempla mittamus. Super his cum fructu legentur libri super *Erasmi*, ab *Stunica*, *Leo* et ipso scripti, *Lutheri* defensio versionis suae aduersus *Emserum*, denique *Castellionis* inprimis Defensio translationum suarum inprimis N. T.[n])

n) Conf. *Panzer* in libro: Entwurf einer vollständigen Geschichte der deutschen Bibelübersetzung Martin Luthers von 1517 — 1581 mit Zusätzen. Nürnberg 1791. *Meyeri* Geschichte der Schrifterklärung seit der Wiederherstellung der Wissenschaften. Götting. 1803. t. II. p. 262. ff. De variis autem versionum inprimis theodiscarum generibus iudicare qui voluerit, is carere nequit praeclara *Griesbachii* commentatione: Ueber die verschiedenen Arten deutscher Bibelübersetzungen, in Repertorio Lit. Bibl. et Orient. *Eichhorniano* T. VI. p. 262. sqq. Versione N. T. in vsum publicum confecta nostrisque temporibus adcommodata in summa privatarum versionum adfluentia adhuc caremus: imo desideramus adhuc, si quid sentio, bonam et fidam N. T. conuersionem singulos scriptorum sacrorum characteres referentem, qua imposterum etiam vix ditabimur, nisi singuli viri eruditi singulos N. T. libros sibi transferendos sumserint. Certe miramur, in tanta virorum doctorum, quibus Germania nostra abundat, multitudine hucusque inuentum esse neminem, qui nouam curaret versionis Lutheri teutonicae editionem, hoc nimirum consilio, vt vitia eius cum orationis, tum sensus,

quae

quae bene multa ſunt, *in notis* emendarentur. Incurrit enim in oculos, verſionem Lutheri, quae egregia erat ſeculo XVImo, noſtris temporibus non ſatisfacere iamque multis in locis noua interpretatione opus habere. Sed in rebus *eccleſiaſticis* tanta eſt ſaepius inertia hominum, vt paratis frui malint, de futuris conuerſionibus ſecuri, dummodo dulces quietis ſacrae fructus non intercipiantur. Neque vnius viri opus eſt, quod deſideramus.

## § 12.

Verſionibus ſimiles ſunt *paraphraſes*: in quibus vt minor eſt difficultas, quod ſenſum ſolum perſpicue exprimere debent, ita aptiores ſunt vſibus popularibus. °) Eae igitur, vt recte fiant, primo difficilia et ambigua debent circumſcribendo, deinde res et notiones rerum, definitionibus et rationibus admiſcendis explicare: denique nexum orationis apte exprimere. In quibus omnibus tamen breuitas adhibenda eſt, ne in Commentarii magnitudinem excedant: vt in plerisque factum videmus. Nec denique illa libertas recedendi a verbis textus per ſynonyma, periphraſes, definitiones etc. debet ad licentiam trahi, vt id faciamus, vbi non erat opus, aut noſtras notiones et opiniones immiſceamus pro Apoſtolicis ſenſibus.

o) Vid. Herder *Briefe, das Studium der Theologie betr.* t. II. p. 350. Boni paraphraſtae eſt, 1) notiones intermedias addere, 2) cuiusuis auctoris rationem habere, ita,

ita, vt v. c. multa addat in Iohanne et Paulo, pauca in Matthaeo et Luca. Docet tamen vel *Erasmi* exemplum, paraphrases et periphrases saepe abire in parerga et perierga, quibus melius caruissemus. Magni aestimamus *Semleri* commentarios N. T. propter eruditionem in notis effatim congestam, paraphrases in pretio non habemus; exhibent enim saepissime sensum interpretis, non auctoris.

## § 13.

Interpretatio autem ea, quae cernitur in explicando sensu scriptorum, duplex est. Nam vel breuis est, ad Scholiorum modum, ex quo genere *Origenis* σημειώσεις fuere, vel vberior ad Commentariorum formam. Et *Scholiorum* quidem facilis et breuis praeceptio est. Cum enim nihil aliud agere debeant, quam sensum verborum et historias breuiter explicare, intelligitur, in iis videndum esse, vt verba difficilia facilioribus, rariora obuiis, tropica propriis, sed omnibus puris explicentur, ne ambiguitas aliqua existat: nomina porro personarum locorumque non nimis notorum, et similia, illustrentur breuiter, vt quaerendi necessitas tollatur. Commemoranda est etiam varietas lectionis, quae alicuius momenti videatur, et in locis difficilioribus varietas interpretationis. Et hoc genus interpretandi, si recte tractetur, et propter breuitatem et propter simplicitatem,

tem, haud dubie ad intelligendum est vtilissimum. p)

p) Adeoque nostrae aetati gratissimum. *Rosenmülleri* scholia in N. T. iam quintam editionem viderunt, quae vltima non erit, dummodo bonae literae floreant, sacris arctissimo vinculo iunctae. Σημειώσεις teutonicas continet libellus: Exegetisches Handbuch des N. T. Lips. 1788. ss. ante hos viginti annos non contemnendus. Nunc longo interuallo antecedit *Paulus* Commentar über das N. T. Lübeck 1800 s. t. I-III. cuius iam secunda editio in lucem prodiit.

## § 14.

Maius opus et maioris praeceptionis et cautionis est in *Commentario*, qui rerum verborumque explicationem amplecti debet. Et in verbis quidem prima cura esse debet lectionis, vt veritas eius stabiliatur, et a corruptelis vel librorum vel coniectorum vindicetur: varietates lectionis, quae aliquid momenti habeant, commemorentur et examinentur. Nec omnino coniecturalis Critica negligenda, (vid. c. 6. §. 1.) qua doctissimi et rectissime sentientes Theologi interdum vti non dubitauere: q) sed temeritas cauenda, et modesta diligentia adhibenda. Eius autem rei vniuersae quae praecepta, quae subsidia sint, altera parte commodius dicetur.

q) Vid. G. A. Telleri Ep. ad Kennicotum de critica coniecturali in libris ebraicis V. T. Lips. 1765. et *Bowyeri*

*Bowyeri* Coniecturae in N. T. theodisce factae a *Schulzio* P. I. cuius supplementa nunc ex editione tertia, Londini 1782. dari possunt. Vide *Michaelis* Einleitung in die Schriften des N. B. ed. 4. Gött. 1788. p. 722 ff.

§ 15.

Altera cura erit, sensum verborum, in quibus aliquid difficultatis sit, explicare, et explicationes ex vsu loquendi, ad eum, quem supra descripsimus, modum (c. 3.) confirmare atque illustrare. Nec tamen non licebit interdum etiam ea, quae non habent magnam difficultatem, aut dubitationem, obseruationibus idoneis illustrare, quae alibi, vel his libris, vel Patrum Ecclesiae veteris intelligendis possint prodesse. Atque etiam profuerit versionem latinam veterem [r]) comparare, vt et ipsa recte intelligatur, et inde consuetudo loquendi Ecclesiae veteris cognoscatur.

r) Cum glossis *Hieronymi* orationi contextae subiectis, v. c. Gal. V, 12. ἀποκόψονται, *abscindantur* vers. vet. Addit *Hieronymus:* si enim exspoliatio membri proficit, quanto magis abscissio.

§ 16.

Verbis explicatis, etiam res attingere convenit, cum historicas, tum dogmaticas; sed ita, vt missis iis, quae nota sunt et explicatione non indigent, aut in libris vulgaribus repe-

reperiuntur, amplectamur difficilia, exquisita, ab aduersariis religionis verae impugnata aut deprauata. Licebit etiam inserere subinde latiores de rebus difficilibus disputationes,[s]) sed in quibus aliquid aut plane nouum sit, aut nouis rationibus et melioribus firmetur ac noua luce perfundatur.

s) Excursus vocauerunt *Heyne* ad *Virgilium*, *Tibullum* et *Homerum*; quem secutus est b. *Koppe* in sua Ed. N. T.

## § 17.

Haec omnia in vtroque genere ita Interpres aget, vt variis sententiis, quae aliquam speciem habeant, prolatis et ponderatis,[t]) suam subiiciat, eam rationibus idoneis firmet, dubitationes denique, quas ea habere possit, diluat.

t) Peccatur tamen magno sententiarum numero commemorando, quo lectores facile obruuntur, dum verus ipsius auctoris sensus oculos et mentem effugit. Vtut enim facile concedamus, in extricandis locis difficilioribus opinionum recensus dari posse in supplementis, vel excursibus, sensus tamen auctoris nequit esse nisi vnus; hunc indagare et verbis disertis repraesentare debet bonus interpres, de aliorum commentis securus.

## § 18.

In quo tamen excludet primo latiores de verbis disputationes, et ad Lexicon potius

 augen-

augendum, quam ad ſcriptoris ſenſum percipiendum, valituras, Locos communes dogmatum, Lectionibus Scholaſticis aut Concionibus aptiores, quam Commentario.[u]) Nam vt in Commentariis ſcriptorum humanorum, graecorum et latinorum, non probantur, qui vbique adlinunt, de hiſtoriis et antiquitatibus, quae peti e Corporibus hiſtoriarum et antiquitatum poſſunt; ſic nec in Commentariis ſcriptorum ſacrorum illa ratio feretur. Ac ſunt hoc nomine ſaepe a recentioribus reprehenſi commentarii maiorum noſtrorum, vt Lutheri, Melanchthonis, P. Martyris et aliorum, nominatim a Simone; ſed his excuſatio eſt ab illorum temporum ratione, vt illis, qui in principio literarum reſtitutarum commentarios in ſcriptores latinos veteres ſcripſere plenos talibus rebus, quas hodie nemo facile addiderit.

u) Inani hac et falſa eruditione ex antiquioribus laborant plurimi patrum eccleſiae commentarii, deinde Scholaſticorum, qui interpretationi nugas metaphyſicas inferebant, poſtremum Grammaticorum, qui nimii fuerunt in digreſſionibus etymologicis. Exempla vel in Criticis Anglicanis ſunt obuia. Neque eorum praetermittendum erit vitium, qui, ſi in locum obſcurum inciderint, titulorum et inſcriptionum librorum plauſtra conuehunt, lectores ad ſcripta excitata ablegaturi. *Quin tu appone ea*, quae locum illuſtrare poterunt; haec enim *ſi aliunde repetere voluiſſem*, *tuam operam haud deſiderabam*. Verba *Heynii* praef. ad Homerum

rum Lipf. 1802. ed. maj. t. I. §. XVII. Laudamus eiusmodi diligentiam in compendiis, *Wolfii* curis et *Thiessii* libro bonae frugis pleno; *Neuer kritischer Kommentar über das N. T.* t. I. Halae 1804. In commentariis autem *proprie* sic dictis merito improbatur.

§ 19.

Omnino cauenda est affectatio in iactanda doctrina, abusus que omnis literaturae profanae, in quem facillime incidunt, qui, cum eam vix attigerint, tamen eius periti videri cupiunt, et ab ea ornamentum disputationum petunt: vt a multis huius seculi principio factum est, recenti literaturae vsu in hoc genere.[v])

v) Ipse *Wetstein* non immunis est ab hoc vitio. Eandem inanis doctrinae ostentationis inuidiam conflatam esse videas multis V. T. interpretibus, qui in adpingendis auctorum arabicorum et syrorum locis sibi indulgent.

§ 20.

Oportet etiam tenere, libros N. T. non esse ad dialecticam methodum subtiliter scriptos. Itaque nec membrorum omnium coniunctio dialectica quaerenda erit, nec verba ad subtiles philosophiae notiones exigenda. Itaque dispositiones et analyses dialecticae non admodum sunt probandae: nec eae multum vtilitatis habere possunt.

§ 21.

§ 21.

Illud quoque permagnum et diligenter vitandum vitium est, in quod incidunt ii, qui per meras, vt ita dicam, possibilitates e natura rerum, siue e notionibus philosophiae suae, vtcunque ductas explicant,[x]) res inprimis historicas, nulla veritate grammatica aut historica nixi.

x) Sic *Hammondus* omnia reducit ad Gnosticos, *Heinsius* ad LXX. *Schultensius* ad Arabismum. Simile vitium reprehenditur in *Lampio* et disciplinae Cocceianae alumnis. Magis excusari poterit haec sedulitas in rebus historicis, in quibus, licet vltra doctam ignorantiam saepius vix progrediamur, literas tamen haud mediocriter adiuuat, quod in recentissima controversia de Epistolae ad Hebraeos auctore et consilio accidisse videmus. Confer bonae frugis plenas *Storrii* notitias historicas Epistolarum ad Corinth. interpret. seruientes. Tubingae 1788.

§ 22.

Et non dissimile illud est, quod cernitur in argutiori et difficultatem aliquam inueniendi et explicandi redolente ratione, quo plerumque inclinant ingenia non mala, sed subtilibus philosophorum disputationibus adsueta, nec literarum elegantiorum vsu subacta et exculta. Sed oritur id vitium interdum ab ingenii quadam naturali prauitate, etiam in eruditissimis alias hominibus, praesertim

cum

cum aliquas opiniones et aliquod genus literarum adamarunt, et ad ea dirigunt interpretandi rationem. Boni interpretis virtus maxima eſt in ſimplicitate, et interpretatio quaeque, vt magis habet facilitatis notam, et eſt eiusmodi, vt cuilibet ſua ſponte in mentem venire debuiſſe videatur, ita magis plerumque vera eſt.[y]) Ῥᾴδιον τὸ ἀληθὲς, inquit *Lycurgus*, et vere *Schultenſius*: Simplex et perenne ſimul, ſigillum veritatis, praef. *Comm. in Iobum.*

y) Exceptionem tamen admittit haec regula in Epiſtolis Paulinis, vbi explicatio difficilior haud raro praeferenda eſt faciliori. Caeterum vix diffitearis, in explicationibus contortis et impeditioribus agnoſci ingenia mediocria. Vid. *Frommannus* de facilitate bonae interpretationis, in Opuſcc. philoll. p. 268. Ἁπλᾶ γάρ ἐστι τῆς ἀληθείας ἔπη *Aeſchylus* in fragmentis ed. Bothe, Lipſ. 1805. p. 580.

§ 23.

In rebus porro omnibus tractandis adhibenda eſt breuitas, quantum res patitur et perſpicuitatis lex. Nam latis illis et nimis enucleatis diſputationibus, vt Vitringanis in Eſaiam, Lampianis in Ioannem, res obſcurantur potius quam illuſtrantur, ingenia confunduntur, certe fatigantur.

§ 24.

Cui rei plurimum proderit etiam facultas bene

bene ſcribendi. Nam vt quisque minus exercitatus eſt in artibus dicendi, eo eſſe ſolet verboſior, etiam cum breuitate vti ſe putat, Sed ea res habebit etiam hoc commodi, vt poſſit interpres puritate vti, quae et ipſa ad perſpicuitatem eſt neceſſaria: cum ſub eius negligentia plerumque lateat inſcitia. Omnino bene interpretari vix diſcat, qui non idem bene ſcribere didicerit.

§ 25.

Adhibenda eſt etiam bono interpreti conſtantia quaedam in vſu praeceptorum atque etiam ſubſidiorum hermeneuticorum: ne aut vniuerſe probet, quod in ſingulis cauſſis repudiet, aut idem, cum commodum eſt, probet, cum ſecus eſt, improbet: quod eſt vitium interpretibus valde frequens. [z])

z) Praeſertim dogmaticis in vv. πίςις, πνεῦμα, υἱὸς Θεοῦ, δικαιοσύνη, aliisque. Meliora docent *Teller* et *Lang* in libro: *Wörterbuch des N. T.* cum ſupplementis.

§ 26.

Quae inconſtantia etiam cernitur in eo, quod nonnulli antiquitatem nimis extollunt, et paene omnem in interpretando nouitatem ſententiae repudiant, praeſertim cum a ſuis partibus ſtat antiquitas; contra cum ipſi aliquid noui attulere, antiquitatem deprimunt. [a])

munt.[a]) Nam nec standum est vna antiquitate, nec ea est temere contemnenda: cum profecto non admodum multa proferantur, quae non ab antiquitate hausta sint, nec tamen antiquitas ἀναμάρτητος, aut in omnibus acuta in interpretando fuerit, praesertim, quae plerumque hebraismi imperita fuerit.

a) Sic Calouius contenderat, nullam interpretationem esse veram, nisi ex patribus ecclesiae haustam. Nostris contra temporibus contemtus veterum interpretum inualescere coepit, de quibus idem valet, quod de theologis antiquioribus praedicat *Marus* praef. ad Epit. Rel. Christ. p. XVIII.

§ 27.

Ex his quae virtutes, quae vitia Commentariorum sint, quibusque quasi notis boni et probandi ab malis et futilibus discernantur, in promtu erit iudicare. Sed sunt etiam quaedam signa externa Interpretum, e quibus minime dubiam coniecturam facere possimus in vtramque partem. Bene igitur sperabimus de interprete N. T. si constet 1. in eo esse hebraicae, graecaeque linguae accuratam, h. e. non e Lexicis, sed ex vsu et lectione assidua haustam scientiam, 2. antiquitatis, historiae, chronologiae omni-

omninoque doctrinae liberalis et criticae artis praeclaram ſcientiam et vſum, 3. exercitationem multam et curioſam in interpretando.

## FINIS PARTIS II.

---

PARS

# PARS III.

## DE INSTRVMENTO HERMENEVTICO EIVSQVE LEGITIMO VSV.

### CAP. I.

*De libris N. T. eorumque αὐθεντίᾳ, integritate, distinctionibus etc.*

§ 1.

Libros N. T. auctores habere eos, quorum nomina praeferunt, de plerisque ita consentientis antiquitatis auctoritate traditum tenemus, vt de nullius alius libri antiqui auctore certius constet. Nec habent, quod iustam suspicionem faciat, alia, quam qua creduntur, aetate, aut ab aliis, aut saltem non θεοπνεύστοις hominibus scriptos esse. b)

b) Atque de hac θεοπνευστίᾳ vtinam et ipse hic breviter egisset auctor! Neque enim huius notitia bonus interpres carere potest. Quam ipse hac de re proposuit

fuit sententiam (Nov. Bibl. Theol. T. III. p. 468.), confirmatam videas ab *Hegelmaiero* Comment. de θεοπνευςία, Tubing. 1784. Sed conferendi sunt nostris diebus: *Griesbachii* V Commentt. de theopneustia librorum sacrorum, Ienae 1784 — 1788. *Semleri* Beitrag zur Revision der kirchlichen Hermeneutik und Dogmatik p. 24. *Doederleinii* Instit. Theol. Christ. §. 30. not. Ad sinceritatem librorum quod attinet, vindicatur 1) argumentis historicis patrum antiquissimorum, v. c. Barnabae, Clementis Romani, Ignatii, Polycarpi, 2) vsu ecclesiae antiquissimae. Vid. *Spanhemius* de Script. hist. ev. Opp. T. II. p. 266. 3) argumentis internis ex lingua et tenore horum librorum ductis, Vid. *Michaelis* Introd. in N. T. §. 2 - 12. *Lessius* Wahrh. der Christl. Rel. p. 1 - 125. Gesch. d. Rel. §. 28 - 34. *Doederlein* Instit. Theol. Christ. Theod. P. II. p. 29. sqq.

§ 2.

Nam quod de quibusdam ab initio dubitatum est, ea dubitatio vel non pertinuit ad θεοπνευςίαν, vt in Epistola ad Hebraeos, vel paucorum, nec satis cognita caussa iudicantium fuit.[c])

c) Rem aliter se habere, nemo ignorat. Si enim Apocalypsis Iohanni abiudicetur, Epistola ad Hebraeos Iudaeo Alexandrino (v. *Ziegleri* Einleitung p. 256.), Epistola autem Iohannis secunda et tertia Iohanni Presbytero vindicentur, tunc etiam θεοπνευςία horum librorum tollitur, quorum γνησιότης, cum sinceritate Epistolae Iacobi, Iudae et secunda Petri, antea euinci debet.

§ 3.

§ 5.

Nec vero, aut haereticorum veterum, libros eos Apoſtolis abiudicantium, contra valet criminatio, cum clarum ſit, in ea nihil niſi impietatis perfugium quaeſitum fuiſſe, aut recentiorum Deiſtarum, frequentiam piarum fraudum in prima Eccleſia et ſimilia iactantium: in quo, non quid factum ſit, hiſtoricis argumentis legitime colligunt, ſed quid fieri potuerit, temere coniiciunt: quod eſt potius cupide optantis, quam recte et ſubtiliter docentis. d)

d) Notandum eſt in vniuerſum de libris ἀντιλεγομένοις modo nominatis, 1) neque theologiam dogmaticam, neque moralem aliquid detrimenti eſſe capturam, ſi vel omnes pro ſpuriis declarari poſſent, quia illis ſolis nulla veritas chriſtiana nititur: 2) dubitationes de iis coortas eſſe temporis ſerioris. Origenes omnes pro genuinis agnoſcit: Euſebius autem H. E. L. III, 25. de quibusdam iam ſententiam fert ancipitem, vnde diſtributio in ὁμολογούμενα, ἀντιλεγόμενα et νόθα inualuit: 3) nullum aduerſarium demonſtrare poſſe, vnum, vel alterum horum librorum eſſe falſum: omnes potius illos ſedulo ab apocryphis diſtinguunt, quia minori tantum prae reliquis euidentia illorum αὐθεντία probari poteſt. Vid. Clar. *Weberi* ſymbolas ad canonem N. T. Tub. 1791. p. 158. ſqq. Qui adcuratius rem perſequi vult, adeat *Semleri* Freie Unterſuchung des Canons, Halae 1771 — 1775. *Roesleri* Bibl. der Kirchenväter, T. IV. p. 394. ſqq. *Haenleinii* Handbuch der Einleitung in die Schriften des N. T. ed. 2.

Erl.

Erl. 1801. p. I. p. 39. ff. et *Hugii*, qui nouam straturus est viam, libro: *Einleitung in die Schriften des N. T.* Tübing. 1808. p. I. pag. 1. ff.

§ 4.

Graecum porro textum esse authenticum, non minus liquido constat. Nam *Matthaeum* hebraice scripsisse, est illa quidem veterum quorundam traditio: caeterum eadem traditio vel ab ipso *Matthaeo*, vel ab alio θεοπνεύςῳ viro, graece conuersum Euangelium docet, nec certi quid habet, quo nitatur [e]). De *Marci* autem latino [f]), et *Iohannis* syriaco textu recentior et inanis vel traditio vel coniectura est [g]). De *Epistola* denique *ad Hebraeos* hebraice primum scripta, *Clementis* illa quidem apud *Eusebium* H. E. VI, 14. ipsiusque *Eusebii*, sed nullis certis argumentis nixa opinio est [h]).

e) Vide hebraici Matthaei textus vindicem in b. *Michaelis* introd. in N. T. T. II. p. 950. sqq. Ed. 4. Contra pugnauit *Masch*, von der Grundsprache des Evang. Matthaei. Hal. 1755. Adde *Wahl* (Magazin T. II. p. 57.). Nunc de hebraico Matthaei autographo vix dubitatur; neque videmus, quomodo post *Origenis*, *Eusebii* et *Hieronymi*, qui fere αὐτόπτης fuit, testimonia diserta hac de re dubitari possit.

f) Latinum textum adserere volebat *Baronius* Anal. Chr. ad an. 45. Sed iam refutatus est *Baumgarteni*; Vindiciis textus graeci et *Dobrowskii* Fragm. Prag. Evang. Marci, Pragae 1778. Aeque incerta est Cel. *Wahlii* con-

coniectura in libro: Magazin für alte, besonders bibl. und morgenl. Litteratur. 3. Lief. p. 8. sqq. proposita, Marcum coptice scripsisse.

g) *Salmasii* de Hellen. p. 251. f. Aeque infirma est *Harenbergii* sententia de dictione apocalypseos syriaca. Alia est quaestio de vero euangelii Iohannei διαγνώσει, a *Grotio*, et *Wetstenio* instructa, a *Vogelio*, *Bertholdio* et *Weyscheiden* praeparata, plane ad liquidum nondum perducta.

h) Conf. *Semleri* diss. quod graece Epistolam ad Hebraeos Paulus exarauerit. Hal. 1761. *Ziegleri* Einleit. p. 188. sqq. et *Heinrichsii* prolegomena in hanc epistolam.

## § 5.

Nec aut alia Graeci textus exempla hodie habemus, quam prima aetas ab Apostolis acceperat, aut ita corrupta et interpolata, vt genuini textus graeci copia non sit, sed ei latinus debeat praeferri. Nam *Ios. Blanchini* ratio, in Vindiciis Canon. Script. latina veterrimae versionis exempla graecis praeferens, cum aliis argumentis, tum consensu veterrimorum Graecorum, etiam saepe Latinorum, in interpretandis et commemorandis verbis graecis refellitur. Atque etiam si in nonnullis dissentiunt a Graeco nostro textu et consentiunt Latino; tamen id fit rarissime, nec ab vniuersis. Interpolatio autem textus graeci e latino, de qua post dicetur, quorundam librorum veterum, non omnium,

ste,

est, et multis cum manuscriptis exemplis, tum veterum scriptorum auctoritatibus agnoscitur et repudiatur [hh]).

hh) V. c. Act. III. εὐσέβεια pro ἐξουσία et Phil. II, 30. παραβολευσάμενος pro παραβουλευσάμενος, de quibus locis etiamnum in vtramque partem disputatur.

§ 6.

Inanis etiam, vndecunque orta, fabula est *Victoris Tunnunensis* de Euangeliis ab Anastasio Imperatore emendatis, vel potius corruptis [i]), vt planissime demonstrat *Wesselingius*, V. C. Disp. de Euang. sub Anastas. emend.

i) *Victor* in chronico edito a *Sirmondo* et repetito a *Scaligero* de emend. temp. Sed omni probabilitate hanc opinionem esse destitutam patet, 1) quia omnes Anastasio inimici hac de re tacent, 2) quia Victor ab Anastasio remotus in Africa viuebat, vbi male procul dubio rem intellexerat. Vide aliam hac de re praeter *Wesselingii* opinionem in *Bentleii* libro: Friponnerie laique p. 36.

§ 7.

Nullo profecto modo credi potest, prouidentiam diuinam passam esse, eos libros, in quibus fidei et vitae vnam et certam normam esse vellet, ita corrumpi, vt hunc vsum praestare amplius non possent. Nec fieri po-

potuit, vt, qui libri in manibus tot hominum essent, tam sancti haberentur, quorum tot exempla extarent pluribus ac diversis locis, quorum tot versiones essent, per quas corruptio aperiretur et refelleretur, pro quorum etiam integritate tot Ecclesiae doctores excubarent [l]), ii tamen ab haereticis ita corrumperentur, vt eae corruptelae omnia exempla contaminarent. *Marcionis* quidem, *Tatiani*, *Theodoti*, *Artemonis*, aliorumque tales ab *Irenaeo* (I, 28.) et *Eusebio* (H. E. IV, 29. VI, 28.) commemorati conatus ad nihilum reciderunt [m]), et quicunque simile quid ausus est, multorum vetustiorum Codicum auctoritate confutatus est, vt ait *Augustinus* c. *Faustum* XXXII, 6.

l) Quorum opera ne iusto nimis extollatur, post *Frickium* legas *Griesbachii* curas in historiam textus graeci Epistolarum Paulinarum. Ien. 1777.

m) Vid. *Millii* prolegomena p. 62. Totam enim b. *Ernestii* argumentationem, a tuto, vt aiunt, ductam, vacillare et fluctuare, vix est, quod moneas. Vid. *Moshemii* diss. de caussis suppositorum (et interpolatorum) librorum inter Christianos seculi primi et secundi, in dissertatt. ad histor. eccles. pertinentibus, ed. 2. Altonauiae 1733. Vol. I. p. 217. ss.

## § 8.

Itaque Doctorum veterum quorundam, vt *Origenis*, *Epiphanii*, *Hieronymi* [mm]),

 que-

querelae de corruptelis Codicum, aut rem augent verbis, nec sunt ad viuum resecandae, aut de vitiis scripturae, multis, praesertim priuatis, libris illatis, quod saepe, a multis, vel non satis peritis, vel quaestus studio nimis festinantibus, describerentur, intelligi debent. Nec illa frequentia vitiorum in singulis exemplis magis valet eo, vt vere ac proprie corruptos libros sacros suspicemur, quam valet in libris humanis Graecorum et Latinorum, quorum etiam integerrimi quique, in libris scriptis, saepe innumerabilia scripturae vitia habent.

mm) Adde et *Augustinum*, qui tamen latinis tantum codd. vsus fuisse videtur. At enimuero si eandem tibiam a *Chrysostomo*, *Basilio M.*, *Gregorio Nazianzeno* et aliis inflari audieris, verendum est, vt in auctoris nostri sententia acquiescas.

## § 9.

Nam profecto, si ea vitia, et inde orta varietas lectionis obessent integritati, nihil vspiam integri et incorrupti ex vniuersa antiquitate restaret. Nec tam est mirandum, talia in omnibus N. T. codicibus vitia esse, quam mirandum foret, si nulla essent; cum id non aliter fieri potuisset, quam, vt Deus lapsus librariorum singulos vi sua impediret: quod nec factum esse, res ipsa loquitur, nec necessarium ad integritatem librorum

rum fuisse, omnium intelligentium indicio constat [n]).

n) In libris humanae auctoritatis singulos librariorum lapsus exigui momenti esse, facile concedas. Sed longe aliter se res habet in scriptis, e quorum punctis et apicibus doctrinae θεόπνευστοι ideoque salutares pendere dicuntur, v. c. Act. XX, 28. θεοῦ l. κυρίου: Rom. IX, 5. a commate post σάρκα vel πάντων posito: 1. Tim. III, 16. OC l. ΘC. Profliganda itaque ante omnia erit superstitio Iudaica, quae τὸ θεῖον siue literis in vniuersum, siue singulis libris adligat, et a religione Christiana plane aliena est: Ioh. VI, 63. 2. Cor. III, 6. 17.

§ 10.

Etenim non modo non tollitur iis peccatis, et inde orta varietate lectionis integritas, quam nos dicimus, librorum, sed etiam in libris inprimis his firmatur, vt post frequentes de ea re admonitiones *Erasmi* [o]), in libris contra *Stunicam* et alios aduersarios, itemque in praefatione ad editionem N. T. tertiam, ex instituto demonstratum est a *Bentleio* et aliis.

o) Praef. ad N. T. Ed. a. 1522. Adde *Glassium* de puritate N. T. Quo maior enim est lectionum variantium seges, eo difficilius quidem, sed eo certius etiam constitui potest contextus N. T.

§ 11.

Est enim illa integritas non sic iudican-

 da,

da, vt imperiti et rudes rei criticae vulgo putant, vt vnus aliquis liber vel ſcriptus vel editus omnibus partibus rectus et ſine vitio ſit; nam talis integritas nullius libri veteris nec eſt, nec eſſe potuit, ſed vt ex vniuerſis Codicibus graecis, ſcriptis et editis, aliisque verſionum et Commentariorum veterum libris, textus integer et incorruptus confici poſſit, in iisque lectiones genuinae conſervatae ſunt, opera doctorum et artis criticae peritorum virorum eruendae, vt bene *Glaſſius* Phil. S. L. I. Tr. II. docet, *Calouius* Crit. S. p. 492. et alii.

§. 12.

Quod ſi maxime fatendum eſſet, in vna et altera voce alicubi veram lectionem in libris cognitis non extare, aut adeo periiſſe, quod maximi quidam omni aetate Theologi et Critici videntur conceſſiſſe, proponendis certe de lectione coniecturis, vt alio loco docebimus: tamen vera integritas non tolleretur; cum et de perpaucis locis ea opinio ſit, et in iis ſententiis, quae vel nullam coniunctionem cum ſumma fidei habent, vt in rebus hiſtoricis, vel non tantam, vt vitium lectionis fidei vitium afferre poſſit [oo]).

oo) Euolue v. c. I. Cor. III, 4., quo loco non σαρκικοὶ cum vulgatis, ſed ἄνθρωποι exhibent codd. ACDEFG cum vulg. Orig. et Aethiopica verſione.

Iure

Iure questus est *Gablerus* (diar. lit. theol. sel. t. III, p. 183. ff.), hanc lectionem a summis Criticis negligi, eamque restitui iubet praeferens: οὐχὶ ἄνθρωποι εἰσί; videlicet Paulus et Apollos. Credimus, futuros esse paucos, qui non adsentiant, cum propter consensum codd. antiquissimorum et lectionem difficiliorem, tum propter nimiam frequentiam v. σαρκικοὶ in verss. antecc. auribus fere intolerabilem. Ἄνθρωποι itaque explicat antec. κατὰ ἄνθρωπον v. 3. hoc sensu: *nonne homines estis et humanam imbecillitatem proditis?* Hactenus sentio cum *Gablero*, viro doctissimo et optimo: v. ἐστὲ contra retinendum puto propter sequens οὖν, quod mutationem subiecti indicat. Patet interim, fidei puritatem ab hac disputatione non pendere; pertinet enim ad res historicas, quas b. *Ernesti* cum fide connecti negat.

§ 13.

Nam integritatem librorum sanctorum cum defendimus, maxime profecto eam ad integritatem et certitudinem doctrinae referri volumus. Ac nescimus, an nimis in hac parte simus timidi; cum etiam Apostoli dicta Veteris Testamenti commemorent non semper ad ἀκρίβειαν hebraici textus, sed interdum etiam e versione graeca, vbi ab hebraico dissentit, nec iisdem adeo verbis, etiam cum eadem bis commemorant, sed satis habeant, sensum verum retulisse, et tamen verum, integrum et incorruptum Dei verbum commemorent *).

*) Ne-

*) Neque hic erunt, qui obstrepant immortali auctori hic illic egregie *παῤῥησιαζομένῳ*; verbum enim Dei est aeternum (Ps. CXIX, 89.) adeoque humanis vocibus non includendum. Quid enim impedit, quo minus posteros mente prospiciamus, Hebraica et Graeca haud magis callentes, quam nos linguam protoplastorum? Sed aliena sunt haec ab arte hermeneutica.

§ 14.

Hos porro libros vna continuatione scriptos, nec in partes certas descriptos fuisse, et consuetudo illorum temporum, et ipsa forma orationis, particulis copulantibus aptae et nexae, in epistolis denique etiam genus ipsum scribendi arguit [p]).

p) Vid. *Perizonii* praef. ad Aelianum, Lugd. B. 1701.

§ 15.

Mature autem diuisiones institutas satis constat, vel priuatos in vsus, vel ad lectiones inter sacra publica [q]), et commoditate rei inuitante, et consuetudine Iudaeorum ad imitationem vocante, cuius rei vestigia esse creduntur apud *Iustinum* in Apol. II. §. 87. Statas tamen et fixas, aut vbiuis receptas initio non fuisse, et silentium veterum indicat, et indiciis Codicum veterum, scriptorumque constat, in capitum numeris non consentientium. De Codd. *Alex.* et

*Vatic.*

*Vatic.* diuerſitate in numeris capitum v. *Walton.* App. Bibl. IX, 34. et *Zaccagnium* praef. ad Monum. Vet. Eccl. Gr. §. 46.

q) Non autem in Codd. MSS. librorum, ſed in lectionariis et breuiariis. Vid. *Michaelis* Einleitung ed. 4. p. 303. ſ. et ante omnes *Hug* Einleitung t. I. p. 207. ſſ.

§ 16.

Euangeliorum antiquiſſima et celeberrima diuiſio eſt, quae ad harmoniam eorum conſtituendam excogitata ab *Ammonio* primum, deinde ab *Euſebio*, paullatim in Codices venit, praelata tamen Euſebiana, vt exactiore et commodiore [r]. Ex notis quidem libris ſolus Vaticanus cum Cantabrigienſi aliam Euſebiana habet. Itaque et in editis antiquioribus expreſſa eſt, Canonum Euſebianorum nomine, vt Eraſmianis poſterioribus, Stephanianis *Roberti*, et Milliana. Adeundi de his Canonibus inprimis *Simon* Hiſt. Crit. II, 33. III, 9. vt *Millium*, *Marcianaeum* Proleg. Biblioth. diu. Hieronym. et alios taceam.

r) Videſis *Fabricium* B. Gr. L. IV. c. V. §. 20. *Michaelis* p. 898. ſ.

§ 17.

Poſt, ad a. CCCCXCVI. incerto auctore, (*Theodorum Mopſueſtenum* ſuſpicatur *Mil-*

*Millius* n. 905.) Epiſtolae Pauli in capita diuiſae ſunt, cum titulis et ſummis rerum; quam induxit deinde in libros *Euthalius:* idemque poſt, Epiſcopus Sulcenſis factus, Athanaſii Archi-Epiſcopi Alexandrini inſtinctu, etiam Acta Apoſtolica et caeteras Epiſtolas Catholicas, cum Codicibus Caeſareenſibus collatas, in lectiones, capitula et verſus (στίχους) diſtinxit, eaque diuiſio cum Euſebiana Euangeliorum mox in libros eſt recepta, vt codices antiqui docent. v. *Euthalii* Epiſt. ad *Athanaſ.* et praef. ad Epp. Paull. c. 2. item *Zaccagn.* l. c. §. 55. Quod ſi Diuiſio Actuum (ἔκθεσις κεφαλαίων τῶν πράξεων) ſub *Pamphili Martyris* nomine e Cod. Mſ. antiquo edita a *Montefalconio* in Bibl. Coisl. p. 76. et a *Fabricio* repetita in Hippol. T. II. p. 205. habet auctorem *Pamphilum*, ἀνωνύμως alias edi ſolita apud *Oecumenium* et alibi, credibile eſt, eam ab *Euthalio*, dum in Bibliotheca Caeſareenſi Codices tractaret, deſcriptam et pro ſua venditatam eſſe [s]).

s) Conf. *Rumpaei* diſſ. crit. ad N. T. libros. Lipſ. 1757. pag. 131. ſeqq. Notanda autem eſt duplex ratio diuidendi N. T. aeuo antiquo. Prima diſpeſcebat libros in τίτλους, ſectiones longiores, et in κεφάλαια, ſectiones breuiores. Secunda diſtinguebat ῥήματα, periodos, et στίχους, verſus, vel lineas. Poſterior eſt maſorethica quaſi librorum N. T. diuiſio. Hug l. c. p. 212. ſ.

§ 18.

§ 18.

Ab his partitionibus diuerſa eſt ea, quae nunc obtinet edita exempla, diuiditque libros in capita: cuius etſi incertus auctor eſt; quippe incerta argumenta vindicant *Hugoni Carenſi* [t]): illud tamen certum eſt, eam parum commode accurateque factam, et primum ad indicum verbalium vſum inſtitutam eſſe.

t) Quia nimirum primus concordantiam h. e. indicem verborum declinabilium ſcripſit, ad quam talis diſtinctio neceſſario requirebatur. Sed nihil certi conſtat, quia ea diſtinctio iam antea facta eſſe potuit. *Michaelis* p. 870. ſ.

§ 19.

Diuiſio autem in *verſus*, i. e. minora ſegmenta, eſt ab *Rob. Stephano*, in itinere, dum equo vehitur, inter legendum facta, auctore filio *Henrico* in praef. ad Concord. graec. et primum editioni Geneuenſi 1551. 8. inducta; vnde, etſi negligenter, vt in tali tempore, et ſaepe parum apte ad ſententiam facta, tamen paullatim in omnes libros recepta eſt. Quominus quisquam ei ſe in interpretando debet adſtringere: beneque conſultum eſt a *Bengelio* [u]), cum eos numeros in marginem emouit, vt opportunitas reperiundi et indicandi ſingula relinqueretur, cuius cauſſa ab Stephano inſtituta vide-

videtur, iam tum fortaſſe de Concordantiis graecis cogitante, caeterum in legendo et interpretando eorum nulla ratio haberetur.

u) Nunc etiam a *Griesbachio*, *Birchio*, *Altero*, *Knappio*.

§ 20.

*Interpunctionum* ſigna quocunque tempore inuenta ſint: nihil enim certi eſt: in libros quidem ſero recepta ſunt, ab ipſis autem ſcriptoribus olim nunquam vſurpata in ſcribendo. A quo primo et quo tempore interpunctio N. T. facta ſit, id ipſum quoque in obſcuro eſt. *Cyrilli* Hieroſ. quidem aetate Codices verſionis graecae V. T. nondum interpunctos fuiſſe, clare patet e Catech. XIII. p. m. 301. vnde colligitur, nec in N. T. graeco textu fuiſſe. *Auguſtini* autem tempore nullam dum interpunctionem in libris latinis fuiſſe, ipſius perſpicuo teſtimonio, *Ciuit. D. III, 3.* conſtat. Illud obiter monuiſſe, non modo tironibus, ſed fortaſſe etiam doctioribus profuerit, quippe et *Lipſium* et *Clericum* (A. C. P. III. S. III. c. 10.) et alios res refellit, ne quis, vbi in libris veterum τȣ̃ διαςίζειν et interpunctionis mentionem factam viderit, velut ap. *Ariſtotelem* in Rhet. et in Comment. Patrum, inprimis *Theodoretum*, apud quem eſt crebra admonitio, quomodo ſit διαςι-

κτέον,

κτέον, ne eam ergo intelligendam putet, quam nos dicimus et vſurpamus, ſed quae ſit voce et legendo, quam a Grammaticis diſcebant pueri in ſcholis v).

v) Confer nunc hac de re Celeberr. *Villoiſonum* in Prolegomenis ad ſuam Homeri edit. Venetiis 1788. In Codd. antiquiſſimis inueniuntur vel nullae diſtinctiones, vel puncta ſolum et lacunae. Saeculo VIII. inventum eſt comma, IX. ſemicolon et ſequentibus reliqua puncta, ſiue ſigna eorum inualuere: rem ipſam enim veteribus ſatis notam fuiſſe, docet *Quinctilianus*. Poſt inuentam typographiam Stephanus praeſertim pro lubitu ponebat ſigna diſtinctionis. Vid. *Rogall* diſſ. de Antiquitate interpunctionis N. T. Regiom. 1734.

## § 21.

Similis ratio eſt *ſpirituum* et *accentuum*, qui omni tempore in lingua graeca pronunciandа vſurpati, (nec enim eſſe lingua ſine iis poteſt,) tum demum, vt fit, ſcribi coepere (ſeculo, vt placere video pleriſque x), ſeptimo) cum recta et antiqua pronunciatio interiſſet, nec vſu diſci poſſet. Codices quidem antiquiores N. T. ſine vtriſque ſunt, vt alii, nec audiendi viri boni, ſed parum acuti, vt *Leusdenus* et *I. Henr. Maius*, qui eos Apoſtolis vindicare conantur, vt ad integritatem textus et certitudinem ſenſus neceſſarios, iudaizantes profecto, et per hoc cauere accentibus et interpunctionibus hebraicis

braicis cupientes. Sed contra facta philosophari ſtultum et parum docti hominis eſt.

x) Montfaucon Palaeogr. gr. L. III. c. 5. Neque enim in vigore et flore linguae opus eſt accentibus. Vid. *Henninii* Hellenifmus. Trai. 1684. *Geſner* de genuina accentuum pronuntiatione et *Reiz* de proſod. gr. accentus inclinatione. Ed. rep. cura *Wolfii*, Lipſ. 1791.

§ 22.

Ex quibus fit, vt cum Codices ſcripti, aut editi, vel diuiſione, vel interpunctione, vel accentibus et ſpiritibus varient, ea non tam lectionis, quam interpretationis varietas ſit, nec religio eſſe debeat, ab iis in interpretando diſcedere.

---

CAP.

# CAP. II.

## *De Codicibus ſcriptis eorumque vſu.*

§ 1.

Archetypa librorum ſacrorum exempla periiſſe, conſtat inter omnes [y]). Nam quod Veneti *Marci* autographum iactarunt, id, re a peritis inſpecta, falſiſſimum repertum, atque ita cognitum eſt, eſſe in eo libro partem alius Codicis latini, vt accurate docet *a Turre* in Epiſt. ad *Ioſ. Blanchinum* T. II. Euangeliarii Blanchiniani, qui eſt in primis adeundus iis, qui de re plenius cognoſcere velint [z]).

y) Apoſtoli enim ipſi literas non ſcribebant, ſed iis tantum ſubſcribebant. 2. Theſſ. III, 17. οὕτω γράφω De Paulo quidem, caeteris tamen apoſtolis cultiore, conſtat, illum graeca ſcribere commode ignorauiſſe. Vid. *Semleri* adparatus p. 32. *Haenlein* Einleit. t. II. p. 8. ſſ. ed. 2.

z) Adde *Dobrowskium* in fragmento Pragenſi Pragae 1778. p. 7. ſſ. Idem obſeruari debet de libro V. T. ab Eſra ſcripto, cuius poſſeſſionem Bononienſes iactabant.

§ 2.

§ 2.

Diutissime superstes fuisse in Ecclesia Ephesina videtur autographum Euangelii *Iohannei*, cum id scriptor antiquus e Sec. IV, *Petrum* Alexandrinum Episcopum esse existimant, a se visum testetur, in *Chron. Paschali Cangiano* p. 5. (locus extat et in *Vranolog. Petauii* p. 213.) a) Sed eius loci ac testimonii γνησιότης in dubitationem haud leuibus de caussis adducitur a *Scaligero*, *Petauio*, *Tillemontio*, et nuper *Garbello* in Prolegom. Euangel. Blanch. p. 42. id opusculum ac testimonium iuniori, de seculo sexto, *Petro* tribuentibus. Ei tamen opem ferre tentat *Frickius* de Cura V. Eccl. circa Canonem p. 130. bene, vt opinamur, disputans contra *Simonis* rationem, sed ipsam γνησιότητα idoneis argumentis non defendens.

a) Qua de re tamen vel propterea dubitare licebit, quia Romae circa medium sec. II. ne Epistola quidem Pauli ad Romanos superstes erat. Periisse in vniuersum iam primo seculo, vel secundo, libros apostolorum αὐτογράφους, vsu detritos, iam ex Origenis silentio patet, qui, quum membranarum antiquiorum causa totum Orientem peragraret, certe in vnum, vel alterum ἀρχέτυπον incidere debuerat. Sed αὐτόγραφα, vt sanctorum reliquiae, a posteritate demum celebrantur, a coaeuis negliguntur. De autographo Matthaei vid. Euseb. H. E. V, 10.

§ 3.

§ 3.

*Tertullianum* ſua aetate adhuc ſalua tradidiſſe archetypa ſiue librorum ſiue Epiſtolarum Apoſtolicarum apud Eccleſias eas, quas Apoſtoli conſtituiſſent, *Garbelli* l. c. p. 27. opinio eſt, in nobili loco libri *de Praeſcript. haeret.* c. 36. vbi in iis *ipſas authenticas Apoſtolorum literas recitari* ait. Sed dubitat, vtrum *Tertullianus* rem compertam tradat, an famam incertam ſequatur. Melius hoc certe eſt, quam quod *Pamelius*, R. *Simon*, aliique indicant, qui de graecis exemplis interpretantur, quae certe et in aliis graecis Eccleſiis recitabantur. Quae res etiam impedit, quo minus de genuinis et incorruptis exemplis capiamus, quae et ipſa authentica dici poſſunt c): praeſertim cum dicat, *ipſas* authenticas recitari, quod ineptum eſſet, ſi genuinae intelligerentur: et nominat Eccleſias, ad quas Paulus ſcripſit; quod non erat neceſſe, ſi non de autographis loquebatur, et ante dixerat, *ipſas cathedras Apoſtolicas*, h. e. Eccleſias ab ipſis Apoſtolicis ortas, *ſupereſſe.*

c) Hanc tamen interpretationem vindicat *Röſsler* in libro: Bibliothek der Kirchenväter, Tom. III. p. 118. ſ. Sed non multum intereſt, vtrum *authenticas* literas de libris genuinis, vel autographis explices: nam in Africa vixerat Tertullianus, vbi rem compertam habere vix poterat. Accedit etiam hoc, quod in narratiunculis eius fidem ſaepius deſideres.

§ 4.

§ 4.

Sed quibus de caussis factum sit, vt archetypa exempla perirent, non magis attinet quaerere, quam in caeteris libris veterum scriptorum. Non abhorret tamen, saevitiae hostium tribuendum esse [d]), quod quaedam citius periere. Nam ea Codices sacrorum librorum extortos Ecclesiis et Christianis satis constat. Socordiam quidem Ecclesiarum accusare cum nonnullis, iniquius videtur, vt bene indicat *Frickius*.

d) Multo magis autem temporum iniuriae et fatis primarum ecclesiarum. Actus apostolorum enim, vt rem exemplo illustremus, per tria secula et quod excurrit paucos nacti erant aduersarios; delituerat tamen liber vtilissimus ecclesiis fere ignotus, proptereaque a *Chrysostomo* demum in lucem protrahi debebat; vide homil. eius primam in act. app. ed. opp. Ducaei t. III.

§ 5.

Bene tamen est, quod multi antiqui Codices scripti seruati sunt, paullatimque eruti e bibliothecis, per quos integer ad nos textus authenticus venit. [e]) de quibus qui volet cognoscere, praeter caeteros *Millium*, inprimisque R. *Simonem* Hist. Crit. T. II. c. 29. 30. et T. III. ad calcem, tum de nostris *Wassium* de Var. Lect. N. T. *Bengelium*, *Michaelem* de Var. Lect. N. T. et omnium dili-

diligentiſſimum *I. I. Wetſtenium* itemque *Semlerum* V. C. in praeparatione hermeneut. P. IV. debet adire. [f]) Et latent nunc quoque plures in bibliothecis, nondum diligenter inſpecti et collati, vt Sangallenſi, Scorialenſi etc. [g]) Florentinos quidem LXXIII. recenſet *Lamius* de Erud. Apoſt. pag. 218. quos tamen non magni pretii eſſe pleroſque, e *Bandini* V. C. Catal. MſſT. Flor. patet, vt alios mittamus.

e) Noſtra aetate Codd. Hiſpani, Itali, Gallicani, Vindobonenſes, Moſcouienſes, Angli, Manhemenſis.

f) Adde: *Grieſbachium* in Symbolis criticis, Halae 1785. *Michaelem* in Ed. 4. Introd. in N. T. p. 545. ſqq. *Birchium* et *Moldenhauerum* Praef. ad Ed. N. T. Haunienſem 1788. *Matthaeium* in ſua N. T. Ed. paſſim.

g) Fortaſſe etiam in coenobiis Orientis, potiſſimum Maronitarum. De Codd. Monaſteriorum graecorum in monte Atho parum, vel nihil ſperari poſſe, a *Villoiſono* ſumus edocti.

## § 6.

Antiquiſſimi putantur *Vaticanus* et *Alexandrinus*, literis vncialibus continentibus ſcripti: in quibus tamen magnus eſt eruditorum diſſenſus, vtri primae partes debeantur, aliis pro Vaticano pugnantibus, aliis pro Alexandrino. De hoc inprimis videndi editores verſionis LXX. Anglicani Proleg.

T. II. e. I. propoſ. XV. ſ. de illo *Zaccagnius* l. c. p. 56. de vtroque *Wetſtenius* in Proleg. N. T. [h]) Vtrumque e verſione latina interpolatum, dubitare non ſinunt ea, quae *Wetſtenius* tradit, in Alexandrino quidem ipſa lectionum comparatio. Commemorat Vaticani lectiones interdum *Brugenſis* in *Notat. Var. Lect.* qui eius collationem habuit; ſuntque etiam inter eas, quae a *Caryophilo* editae ſunt ad calcem Catenae *Poſſini.*

h) Vid. *Semlerus* de aetate Cod. Alexandrini, Halae 1759. et b. *Woide*, cui et ipſam Codd. editionem debemus, notitia Cod. Alexandrini, repetita cur. *Spohnii* Lipſ. 1788. Ex latina verſione interpolatum eſſe Codicem praeter exempla a Michaele prolata p. 562. ſ. probatur etiam Ioh. VII, 3. vbi δεδομένον habet, quod a Macedonianis contra Pneumatomachos introductum eſſe dicitur. Meliora ſuppeditat *Griesbachius*, qui ex triplici recenſione membranam deſcriptam eſſe docet. De Cod. Vaticano poſt *Bentleium* Prolegg. p. 12. ſqq. vid. *Wetſtenium*. Hucusque exſtiterunt tantum excerpta Codicis et exiguus variantium lectionum numerus, quapropter etiam de editione, quam ſequitur Codex, iudicium adcuratum ferri non potuit. Conf. *Eichhornii* Allgem. Biblioth. T. II. p. 373. ſ. Nunc maiorem ſegetem iam publicauit *Birchius* in Ed. N. T. Haunienſi, vbi conferenda ſunt Prolegom. p. XIII. ſqq.

## § 7.

Proximi his ſunt, *Pariſienſis*, [i]) mire ille con-

conſentiens cum Alexandrino, ſed valde lacunoſus; cuius literae ſpongia quidem deletae ſunt, ſuperſcriptis *Ephrem Syri* opuſculis, ſed ita, vt literae veteres appareant et legi poſſint: *Cantabrigienſis*,[l]) et *Claromontanus*, nunc *Regius* Pariſiis,[m]) graecolatini, quorum alter Euangelia et Acta Apoſtolorum, alter Epiſtolas Paulinas continet, adhibiti, poſt *Stephanum*, inprimis a *Beza*: *Boernerianus*,[n]) *Augienſis*[o]) et *Sangermanenſis*[p]) Epiſtolarum Paulinarum graecolatini: ſed omnes pariter e latina verſione interpolati.

i) Codex reſcriptus forte ſec. VI. ideoque ex antiquiſſimis. Videat. omnino *Griesbachius* Symb. Crit. p. 1—54. et prolegomena ad N. T. ed. ſec. Halae et Lond. 1796. Vol. I. p. CI.

l) Sec. VII. et adcurate nunc collatus, ſequitur recenſionem occidentalem. Vid. *Griesbach* l. c. p. 55. ſqq. Codex ipſe typis nunc expreſſus eſt cur. *Kiplingio*. Cantabrig. 1793. qui eum cum Alexandrino de aetate certare putat: cf. *Valckenarii* obſeruatt.

m) No. 107. ſec. VII. l. VIII. de cuius acquiſitione inique iudicat *Wetſtenius*, quem vide. Conf. *Griesbachii* prolegomena in N. T. ed. 2. 1806. Vol. II. p. XXII.

n) Graeco-latinus, vel interlinearis. Sed vid. *Matthaeius* in Praef. ad Ed. huius Cod. Miſn. 1791.

o) Sec. IX. l. X. emtus a Bentleio et collatus a *Wetſtenio*: pertinet ad recenſionem occidentalem.

p) Descriptus a Parisiensi et Claromontano C et D apud Wetstenium et Griesbachium. Est sec. X, vel XImi.

§ 8.

Nobiles etiam sunt, quamquam iuniores, *Vindobonenses* q), *Basileenses* r), inprimis Codex Epistolarum Paul. quibus *Erasmus* vsus est, *Parisini*, fragmenta Euangeliorum *Cottoniana*, collata a *Wetstenio*, et alii, quos longo ordine enarrare non est instituti nostri rr). Magis ad rem nostram facit, tradere breuiter ea, quae ad vsum legitimum Codicum, vel lectionum inde excerptarum, prodesse possint.

q) Vid. *Treschow* Tentamen descript. Codd. Vindob. Hauniae 1773. et *Alteri* Ed. N. T.

r) Conf. *Bengelii* Apparat. crit. qui de his codicibus adcurate exposuit.

rr) Cf. *Birchii* var. lect. ad text. act. app. epistol. cathol. et Paulin. Hauniae 1798. varr. lectt. ad textum euangeliorum. Ibid. 1801.

§ 9.

Oportet igitur primum vniuerse tenere: quos Codices scriptos laudamus, eorum paucos complecti totum scriptorum Corpus, vt Vaticanum, vt Alexandrinum s) etc. quod nobis signum aetatis non summae videtur: alios vel Euangelia sola, vel Epistolas

stolas Paulinas, vel Catholicas cum Actis, vel Acta sola: paucissimos habere Apocalypsin Ioanneam: deinde multos esse interdum aliquot foliis multatos, vt Alexandrinum, vt Parisinum §. 7. Cantabrigiensem, etc. Ex quo cautio est, ne, vbi alicuius dissensus nullus notatur, statim pro consensu eius interpretemur: in quo multi errauere, silentium tale pro consensu accipiendo t).

s) Vterque tamen omittit Apocalypsin. Vide *Birchii* varr. lectt. ad textum apocalypseos. Hauniae 1800.

t) Agendum hic est de variis recensionibus contextus graeci N. T. antiquissimis, ne in disquisitione de interpolationibus Codd. graecorum ex versione latina in transuersum abripiamur. Sequentes agnoscit *Semlerus* App. p. 45. *Alexandrinam*, scriptoribus Aegyptiacis et discipulis Origenis, Syris, Coptis, Aethiopibus communem; *orientalem*, quae Antiochiae, Constantinopoli florebat; *occidentalem* et *mixtam*. Conf. Hermeneut. Vorbereitung St. III. p. 2. sqq. Aliter *Michaelis* Introd. p. 535. qui quatuor N. T. editiones s. recensiones principes fuisse adfirmat: *orientalem*, *Alexandrinam*, *Edessenam* et *occidentalem*. De duplici N. T. editione principe exponit *Griesbachius*, tum in Symb. Crit. p. CXIII. f. tum in Hist. textus Epist. Paul., et quidem de *Alexandrina* et *occidentali*. Recensioni primae adiudicat in Euangeliis Codd. C. L. K. 1. 13. 33. 69. 106. 118. et Euangelistaria 18. 19. in Epistolis Paul. Codd. A. C. 17. 46. 47. patres Alexandrinos, Clementem, Origenem, Eusebium, Cyrillum, Damascenum, cum versionibus Syriacis, Coptica, Armenica et Aethiopica. Ad secundam

candam refert in Euangeliis Cod. D. 1. 13. 69. in Epiſtolis D. E. F. G. cum verſionibus latinis et patribus lat. antiquiſſimis. *Mixta* recenſio obtinet apud Chryſoſtomum et Theodoretum et in Codicibus aliis haud paucis. Conf. Praef. Ed. N. T. *Griesbach.* p. XXV. ſ. prolegomena ad ed. 2dam, Halae 1796. Vol. I. p. LXXIII. ſſ. Neque tamen huic adumbrationi acerrimus defuit aduerſarius. Vid. *Matthaei* in Praefatt. et excurſibus ad ſuam N. T. editionem maiorem; in prologo galeato editioni N. T. compendiariae praepoſito; in prolegomenis et notis ad Euthymium Zigabenum, Lipſ. 1792. 4 Voll. et alibi. Media via incedit doctiſſimus *Hug*, Einleit. in die Schriften des N. T. Tubing. 1808. t. I. p. 437. ſſ.

§ 10.

Cauendum etiam eſt, ne, diuerſitate nominum decepti: nam mutatis dominis Codicum mutata etiam ſunt nomina: ex vno Codice plures faciamus, quod etiam periti interdum commiſere. u) Itaque hiſtoriam Codicum, nominum cauſſas noſſe, et lectiones inter ſe comparare oportet, vt conſenſu perpetuo, praeſertim in lectionibus inſignioribus, moneamur.

u) Sic v. c. vnus idemque eſt Codex Stephanianus et Cantabrigienſis, quod tamen *Bezam* et *Simonem* latuit. Vide *Wetſtenii* prolegomena ad N. T. Vol. I. p. 28. ſ.

§ 11.

Nec illud alienum eſt videre, an diuerſi

Codices

Codices vel e communi exemplo ducti ſint, vel alter alterius apographum ſit, vt v. c. in Codice Boerneriano et Augienſi, Sangermanenſi et Regio, vbique et in omni etiam leviſſimo errato conſentientibus: v) propterea, quod tales libri non niſi pro vno, in auctoritatibus numerandis et ponderandis, valere poſſunt.

v) Siue etiam, an Codex ex Editione iam impreſſa deſcriptus ſit, vt Rauianus ex Edit. Complutenſi. Vid. *Pappelbaum* Unterſuchung der Raviſchen Handſchrift des N. T. Berlin 1785.

## § 12.

Sunt etiam diuerſa genera Codicum. Nam alii ſunt *mere graeci*, alii *graecolatini*, alii *Lectionaria*, in quibus modo ſunt pericopae librorum ſacrorum, quae inter ſacra praelegerentur. In quo tenendum, graecolatinos omnes eſſe e verſione latina interpolatos, x) in Lectionariis autem cauendum, ne aliis in locis, quam quorum pericopas habent, eorum auctoritate vtamur. y)

x) De hac re nulla eſt controuerſia: hi enim Codices originem ſuam repetunt a Graecis vnitis, qui, vt paupertati ſuae conſulerent et bonam gratiam apud Latinos inirent, contextum graecum ad verſionem latinam refinxerunt. Quam ob rem Codices iſti non plane ſunt reiiciendi, quum antiquae Italae multas egregias lectiones infuiſſe conſtet. Vid. *Semleri* Apparat. p. 44. et verſ. vet. lat. cod. D. ad Act. III, 12.

y) De

y) De Lectionariis docte et diligenter prae reliquis egit Cel. *Matthaeius* in sua N. T Ed. passim. Conf. vetustum ecclesiae Graecae Constantinopolitanae euangeliarium ed. *C. F. Matthaei.* Lips. 1791.

## § 13.

In mere autem graecis videndum, vtrum sint puri, an e latina versione correcti, vel potius vitiati.[z] Ac puritas quidem intelligitur e dissensu a versione vetere latina, in locis maxime insignioribus, consensuque cum versionibus e pure graeco factis, maximeque cum Patribus graecis antiquioribus, *Origene*, *Chrysostomo*, *Theodoreto* et similibus, praesertim in Commentariis: nam textus biblicus ipse, insertus Commentariis, correctus interdum est ab editoribus, v. c. V. 16.

z) Faciem longe aliam res induit post recentiores *Semleri* inprimis et *Griesbachii* disputationes de recensionum varietate. Praecipit enim vir doctissimus Symb. Crit. p. CXI. „Vehementer errant, qui e consensu cuiusdam cum versione latina illum ex hac interpolatum esse effici posse putant. Non e latinis libris, sed e graecis libris recensionis occidentalis deriuandae sunt eiusmodi lectiones etc." Sed vide locum ipsum.

## § 14.

In quo magna, et difficilis, nec facile satis perspicue explicanda, certe nondum satis explicata quaestio oritur, primum, vnde ille tantus dissensus antiquioris latinae versionis

nis

nis a graeco textu ortus sit; deinde, quare et quomodo ad illam versionem textus graecus correctus sit:[a]) cum satis hodie constet, id antiquioribus omnibus, quos supra memorauimus, Codicibus §. 6. 7. esse commune.

a) Difficilior et impeditior est disputatio de origine diuersarum recensionum: pauca enim sunt, neque satis certa, quae de Codd. MSS. *Origenis*, *Pierii*, *Pamphili*, *Eusebii*, *Euthalii*, *Athanasii* literis mandauit antiquitas. *Alexandrina* tamen recensio ab exemplis descriptis ex apographis, *occidentalis* ab exemplis ex Codicibus singulorum librorum, vel tantum priuata opera collectorum, descriptis, repetenda videtur. Vide *Hugii* Einleit. t. I. p. 388 ff.

## §. 15.

Ac de graecolatinis fortasse non mirum sit, si scribae latini, mediocriter graece docti, dissensum graeci textus, itemque verborum graecorum inscitiam, ad corruptionem trahentes, hunc cum latina in concordiam redigere, et notiora verba substituere, ausi sunt; sicut Graeci textum hebraicum a Iudaeis corruptum putabant, vbi a graeca versione dissentiebat: cuius generis multa et perspicua exempla reperiuntur (v. *Michaelis de Var. Lect. N. T.* p. 92. 100.): de mere graecis, in Ecclesia graeca scriptis, difficilius est, aliquid pro certo dicere. Nos coniectura nostra eo duxit, vt Aegyptiis hanc interpolatio-

lationem ſuſpicaremur deberi, adiuuante coniecturam Alexandrino Codice. Etenim ſatis conſtat, eſtque cum ab aliis, tum ab *Edm. Richerio* demonſtratum in *Concil. Gen. hiſtoria*, Aegyptios Patriarchas, cum inde ab *Athanaſii* tempore, hoc eſt Sec. IV. cuius aetatem nullus graecus Codex attingit, ſubinde auxilium Romanorum aduerſus Conciliorum decreta expeterent, Romanis plus iuſto fauiſſe atque aſſentatos eſſe. Quae res facile potuit eo duci, vt Codices ſuos cum latinis conformare inciperent, velvt id ad dignitatem et auctoritatem Eccleſiae Rom. pertineret. Latinae autem linguae notitiam non modo a commercio cum Romanis, vt placet *Wetſtenio* T. I. p. 19. ſed etiam, et multo magis, e vicinia Africae et commercio cum ea hauſiſſe videntur. Sed eſt tamen res incerta. [b]) Poſſet fortaſſe liquidius iudicari, ſi accuratam collationem Codicis Vaticani haberemus, et vnde ille venerit, ſciremus.

b) Forte etiam probabilitate deſtituta. Si enim Alexandrini huic Romanorum iugo ſe ſubdidiſſent, aegerrime tamen concipitur, quomodo in reliquis Orientis prouinciis contextus N. T. ad linguam barbaram et inuiſam conformatus eſſe potuiſſet.

§ 16.

*Origenis* quidem, atque antiquioribus tempo-

temporibus, nondum in Aegyptiis libris hanc interpolationem fuisse, et e lectionibus clarum est, quas in Commentariis sequitur, et e contextu, ab ipso e libris antiquioribus formato.[c]) Nam hic est textus librorum Caesareensium, quem crebro descriptum (v. *Euseb.* Vit. Const. M. c. 36.), ad quem libros scriptos conferri solitos, omnis Asia et Graecia secuta est. Ne *Euthalii* quidem, qui seculo quinto medio fuit, temporibus illam interpolationem inuectam, saltem probatam fuisse, intelligitur ex hoc, quod *Athanasii* Ep. Alex. hortatu Caesaream profectus, cum Origenianis Codicibus exemplum suum Epistolarum contulit, et ad eos castigauit. Et ille quidem de frequenti interpolatione Codicum queritur, quam sua διορθώσει sustulerit, collatis antiquis et bonis exemplis: sed ea interpolatio vnde facta sit, non tradit.

c) Neque etiam exstare poterat, quia fontibus adhuc propior erat scriptura N. T. Vid. *Griesbachius* de Codicibus IV. Euangeliorum Origenianis. Halae 1771.

## § 17.

Quod ad latini exempli a pure graeco diuersitatem illam tantam attinet, in ea sunt quaedam, in quibus restant certe vestigia lectionis pure graecae, vt, quomodo ea orta sit, intelligi possit: veluti, *Matth*, 6, 24. ἀνθέξεται, *sustinebit.* 1 *Tim.* 6, 20. κενοφωνίας,

*φωνίας, nouitates verborum* etc. In caeteris, in quibus nihil habet textus graecus, vnde latina lectio nasci potuerit, et sunt tamen sensu bonae, vt 1 *Io.* 4, 3. *qui soluit Iesum*, λύει,[d]) pro μὴ ὁμολογεῖ, fortasse aliquis suspicetur cum *Hemsterhusio*, viros sanctos ipsos plura exempla sua manu scripsisse, et in aliis aliter quaedam expressisse, salua sententia, saltem hactenus, vt esset vtraque bona et vera: nam eius generis exempla etiam in humanis scriptis quaedam occurrunt.[e]) Quo constituto, vtraque lectio θεόπνευστος esset. Sed ei coniecturae fidem detrahit hoc, quod ea diuersitas non est vnius aut paucorum, sed omnium librorum: nisi dicamus, eos libri cuiusque vel epistolae exemplum sibi seruare voluisse, et propterea bis vel ipsos scripsisse, vel aliis dictasse. Omnino variae, vt in aliis libris, interpolationis causae intelligi possunt: de quibus infra dicetur.[ee])

d) Sic *Socrates* H. E. VII, 32. et Latini nonnulli. Vid. Griesbachii Ed. h. l. Quae tamen lectio, licet difficilior, Iohanneae simplicitati conuenire non videtur, neque Codicum et versionum auctoritate suffulcitur. Λύει scholium est serioris interpretis. Vid. *Matthaeius* ad h. l.

e) De Aristophane, Cicerone et Apollonio Rhodio constet, illos bis edidisse Nubes, Academica, Argonautica. Idem de quibusdam libris N. T. suspicari aegre liceat; cum propter temporum illorum egestatem et in-

opiam,

opiam, tum propter apostolicam scribendi imperitiam. (Gal. VI. 11.)

ee) Vulgata lectio Act. III, 12. est εὐσεβείᾳ, Codd. vers. lat. *pietate* praeferunt et *potestate*. Posterior lectio, quam Irenaeus et Syrus commendant, sola accommodata esse videtur dicto apostoli; pietate enim claudo nunquam restitui poterat vsus membrorum. Quidni statuas itaque, nonnullis vulgatae codd. inesse ad h. l. vestigia lectionis purae graecae, v. ἐξουσίᾳ autem et *potestate* ortam esse siue ex intempestiua correctione, siue e compendio scribendi?

## § 18.

Quod si alteruter textus interpolatus est humano ingenio, non profecto cum *Morino* Exerc. Bibl. I, 2. 3. et aliis statuendum est, interpolationem esse in graecis, quos puros diximus, libris, sed in latinis; [e]) propterea, quod graecus cum antiquissimis graecae Ecclesiae, doctorumque graecorum primi, secundi et tertii seculi libris, saltem in plerisque, contra latinos consentit. Caeterum bene habet, quod ille dissensus est in verbis modo, rem ipsam non attingit, nec analogiae doctrinae vspiam repugnat.

e) Etiam Sepulueda defenderat contra Erasmum integritatem textus latini aduersus graecum. Sed de corruptione versionum latinarum iam conqueritur *Hieronymus* in Commentt. ad Gal. II, 5. vbi οὐδὲ omissum erat in versione latina.

## § 19.

In Codicibus porro ſcriptis videnda eſt et *aetas* et *bonitas*. Et aetas quidem iudicatur maxime e modo ſcribendi, qua literas, accentus et interpunctiones, tum vero etiam ex aliis quibusdam veſtigiis rerum in Codicibus occurrentium f). Veluti, cum in Alexandrino ſint Canones Euſebiani, et ſubſcriptiones Epiſtolarum, in iisque verbum θεοτόκος de Maria, et Ἀρχιεπισκόπȣ, eum Euſebio et Neſtoriano aeuo iuniorem eſſe patet. Nec ſcripturae antiquioris forma ſatis certum ſemper iudicium facit; quod ſatis conſtat, librarios, vel propter inſcitiam ſcribendi, vel vt Codicibus maius pretium eſſet, veterem ſcripturam imitatos, et non tam deſcripſiſſe veteres libros, quam depinxiſſe: de quo genere eſt notabilis, apud *Io. Gerſonum* de libris ſcribendis, locus.

f) Literae vnciales ſine accentibus et ſpiritibus produnt aetatem ſec. IX. ſuperantem: poſtea enim literae minores inualuerunt. Sed notandum eſt, librarios non ſemper deſcripſiſſe, ſed etiam depinxiſſe Codices, vt maioris aetatis ſpeciem conciliarent exemplis ſuis. Vide *Woidii* et *Kiplingii* praefationes codicum Alexandrini et Cantabrigienſis editionibus praemiſſas.

## § 20.

Bonitas autem Codicum iudicatur, non tam aetate, certe non ſola: et recentiores

etiam

etiam boni eſſe poſſunt, cum e bonis deſcripti ſunt: quam primo paucitate et leuitate peccatorum et varietatis, deinde conſeruatione veteris et bonae lectionis, vnde patet ſcilicet, et a diligente homine ſcriptos, et e bono libro ductos eſſe. Nec tamen vitioſi Codices nullius vſus ſunt. Nam interdum et ipſi lectiones optimas habent. Itaque ex omnibus optima, e legibus artis criticae, deligenda, de quibus ſuo loco dicetur [ff]).

ff) V. c. Luc. II, 22. quo loco veram, vt videtur, lectionem αὐτοῦ pauci codices adſeruarunt. Reliqui praeferunt αὐτῆς et αὐτῶν, quae a ſerie orationis contextae aliena ſunt.

§ 21.

In iudicio de Codicum aetate et multo magis bonitate cauendum eſt, ne aliqua cupiditate decepti plus tribuamus, quam res et veritas concedat: quod fit, cum Codicis domini ſumus ipſi, aut cum aliqua in re noſtris opinionibus conſentit. Omninoque totum hoc iudicium non debent ſibi arrogare, niſi qui habeant oculos in hoc genere exercitatos, et iudicium rebus criticis recte tractandis adſuefactum [g]).

g) Hoc eſt, qui Codices manu exaratos ipſi diligenter inſpexerunt. Sine vſu enim et exercitatione non ſolum ipſe parum proficias, ſed te ipſum etiam, in iudiciis ferendis praeſertim, aliorum ſibilis ſaepius expoſitum videas.

CAP.

# CAP. III.

## *De Editionibus N. T.*

§ 1.

Cum Codices quidam manuſcripti e bibliothecis protracti veniſſent in notitiam hominum manusque, natum eſt laudabile conſilium graeci textus edendi: et vt noui ac plures Codices, qui prodeſſe corrigendo textui poſſe viderentur, inuenti ſunt, ita plures animum ad nouas editiones concinnandas adiecere [gg]).

gg) Conf. praefatt. editt. N. T. Complutenſis et Eraſmi.

§ 2.

Sed quamquam Codices graeci textus principatum in hoc conſilio tenebant; tamen docti et vſu criticarum rerum praediti viri alia etiam adiumenta requirebant, praeſertim cum numerus Codicum talium non magnus ſuppeditaret, nec eſſent valde antiqui aut boni. Itaque Verſiones veteres, quarum facultas erat, adhiberi coeptae, et Patrum non modo Commentarii in libros ſingu-

ſingulos, ſed etiam alia ſcripta, in quibus loca quaedam ex iis libris vel explicarentur, vel per quamcunque occaſionem commemorarentur. Nec abſtinebatur omnino a coniecturis, vt ſatis de Eraſmi et Bezae recenſionibus conſtat h).

h) De *Eraſmi* coniecturis res elam est; ſufficit euoluere apocalypſin in editionibus prioribus. *Beza* autem diſerte teſtatur in epiſtola ad reginam Eliſabetam editioni ſuae N. T. praefixa, *ſe ex ingenio aut ſimplici coniectura ne apicem quidem mutauiſſe.*

§ 3.

Ad hunc modum igitur primum formatus eſt textus in editionibus principibus, deinde paulatim magis magisque expolitus, (ita certe voluere) ab aliis, quibus noua huius generis praeſidia contigiſſent, nouas ſemper editiones deſiderante vſu doctorum, quorum multitudini priorum exempla non ſufficerent.

§ 4.

De his igitur ita dicemus, vt familias quaſi editionum digeramus, et vnde quaeque, et quomodo facta ſit, breuiter tradamus, atque ita hanc editionum notitiam ad iudicandum accommodatam reddamus. Nam nuda editionum enumeratio, quae ſola edi-

torum, locorum ac temporum notitiam dat, vtilitatem nullam habet [i]).

i) Editiones facilius diuidi possunt 1) in principes seu fundamentales, quae sunt *Complutensis* et *Erasmicae*, 2) in editiones, quae ex aliis fluxerunt, vocatis tamen in subsidium Codd. MSS. recentioribus: huc refer editiones *Colinaei*, *Bogardi*, *Stephani*, *Bezae*, *Harwoodi*, 3) in editiones ex pluribus libris impressis compositas, v. c. *Plantini*, *Raphelengii*, *Elzevirii*, *Er. Schmidii*, *Bengelii*, 4) in editiones ex prioribus sine mutatione sontica repetitas. Sic v. c. Ed. *Erasmi* sequuntur Aldinae: Ed. *Stephani* Edd. *Oporini*, *Waltoni*, *Millii*, *Kusteri* etc. 5) in editiones cum collectionibus criticis, quas continent Edd. *Waltoni*, *Fellii*, *Mastrichtii*, *Millii*, *Kusteri*, *Bengelii*, *Wetstenii*, *Griesbachii*, *Matthaeii*, *Birchii*, *Alteri*.

## § 5.

Principes ergo editiones non nisi ad summum tres sunt, *Complutensis*, *Erasmi*, et quae a *Theod. Beza* curata est: e quibus caeterae omnes fluxere, quaedam cum noua e libris dote, pleraeque ita, vt meram superioris alicuius repetitionem haberent.

## § 6.

Prima *Ximenii* Card. impensis curata et expressa typis est *Compluti* a. 1514. F. sed aliquot demum annis post (a. 1517.) in lucem prolata, toto Bibliorum Polyglottorum opere absoluto. In cuius textu con-

cin-

cinnando vsi sunt auctores MSS. Codicibus maxime Italicis, sed fere recentioribus, e Sec. XIV, et XV., quibuscum scilicet saepe contra antiquiores, Patres graecos, et versiones antiquas consentit. Atque etiam contra ipsos saepe graecos libros textus concinnatus est ad latinam versionem, qualis tum extabat in editis exemplis: vt viderunt *Millius* et *Wetstenius* [l]).

l) Editores vsi sunt Codicibus neque multis, neque antiquis. Vaticanum Cod. certe ad manus non fuisse constat. Quaedam ex versione latina receperunt in contextum, v. I. Ioh. V, 7. (vid. *Griesbachius* ad h. l.) et in locis quibusdam Apocalypseos multa ad illam refinxerunt. Versionum orientalium et patrum praesidio non vsi sunt. Vide in vtramque partem de hac Ed. disputantes, *Goezium* in libro: Vertheidigung der complutens. Bibel. Hamb. 1765 et 1769. *Walchium* in libro: Neueste Religionsgeschichte, Lemgo 1771. sqq. P. IV.

§ 7.

Huius autem textus repetitus est a *R. Stephano* [m]) Paris. 1546. in Euangeliis et Actis, *Plantino* s. *Ariamontano*, et in *Polyglottis Antuerpiensibus*, et separatim, vt a. 1580. a *Geneuensibus* porro, et in *Bibl. Polygl. Parisinis*: hinc ab ea parte, quam *Stephanus* secutus est, a *Wechelo*, *Waltono*, *Boeclero*, *Millio* [n]) et *Bengelio*. Quod tamen ita intelligendum, vt in non-

nullis desertus sit, siue negligentia, siue consilio.

m) Maiore, patre Henr. et Rob. Stephani.

n) Hic sequitur tertiam Stephanianam. Editio ipsa prodiit Oxonii 1707. repetita a *Kustero* 1710. et Lips. 1723. Multa eruditio profunditur in Prolegomenis lectu dignissimis. Collectio varr. lectt. e multis Codd. ac Patrr. et e versionum orient. interpretatione latina est instituta, quod ansam dedit *Bodenii* Criticae Pseudo-Millianae. Halae 1767. s.

## § 8.

*Erasmus* textum graecum primum a. 1516. adiuuante *Oecolampadio*, *Capitone*, *Gerbelio*, edidit, concinnatum ita, vt in Euangeliis quidem Mstus Basileensis Sec. XV., in caeteris alius pro basi esset, eius autem textus e *Theophylacto* aliisque Patribus, item versione latina et coniecturis corrigeretur: in Apocalypsi etiam vltima graece de latino verterentur, quod in graeco Ms. deerant. Hic textus per singulas repetitiones a. 1519. 1522. 1527. 1535. factas [o]), praeterquam in vltimis, in non paucis, e scriptis maxime Patrum, quamquam et vno et altero nouo Codice scripto, in quarta etiam e Complutensi, mutatus est, quae loca etiam adnumerat *Millius*. In tertia primum locus nobilis Criticorum dissensu 1 *Io*. 5, 7. insertus est. Caussa illius varietatis

tatis et in festinatione viri fuit, tot res difficiles eodem tempore agentis, et librorum ab initio maxime paucitate, denique etiam in iudicando, illis quidem temporibus non admodum miranda, inconstantia.

o) Emendatissimae ex Edd. Erasmi sunt anni 1516. et 1522. propterea que etiam rarissimae. Vide prolegomena *Wetstenii* in N. T. t. I. p. 120. s.

## § 9.

Erasmici contextus exemplum, etsi non eiusdem anni omnes, secutae maxime sunt *Aldina* [p]), *Colinaei*, *Bogardi* [q]), *R. Stephani*, in Epistolis, *Basileenses* aliae, vt *Heruagiana*, *Boecleri* parte altera, sed cum aberratione tamen quadam tali, qualem ante descripsimus (§. 7.). *Aldina* quidem fere non nisi per operarum lapsus aberrat, quos etiam *Erasmus* pro varietate lectionis commemorat. *R. Stephanus* autem in prima 1546. et secunda 1549., quae *mirifica* dicta est [r]), abit ille quidem interdum, vbi omnes Codd. contra *Erasmum* consentiebant, vt ante in vtraque Colinaei fecerat, cui ipse praefuit, in tertia anni 1550. f. exempli anni 1535. prope sine exceptione secutus est, idque et in caeteris seruatum. Primi exempli textum secutus est maxime in versione *Lutherus*, cum alius tum copia nulla esset: quamquam nonnulli *Hagenoen-*

*sem*

*sem* a. 1521. malunt. Ab his quae fluxerint minus nobiles, commemorare nil attinet.

p) Quae prodiit 1518. forma maxima et valde rara est. In vniuersum Aldus secutus est Erasmum, sed centum fere locis discrepat. Quod qua de causa factum sit, dici non potest: nam in caeteris etiam vitia typographica sunt seruata.

q) Quae prodiit Parisiis 1543. 8. Fundamenti loco subiacet Erasmica, interdum etiam Colinaeum sequitur.

r) Propter initium praefationis: *O mirificam regis liberalitatem!* Insunt tantum 14. sphalmata, correcta in tertia a. 1550. quae nulla continere errata vulgo dicitur. Vid. tamen *Gottfr. Olearius* ad Matth. p. 130. Editio est nitidissima et celeberrima propter collectionem primam varr. lectt. quae libro inest. Exstat etiam quarta a. 1551. Geneu. 8. et quinta a. 1569. Paris. 12.

## § 10.

*Theod. Beza* primum textum suo modo e Stephanica tertia 1550. concinnare coepit, editum a. 1559. et 1565., post magis, adhibitis Codd. Cantabr. et Claromontano, Versione latina, Syriaca et Arabica Actorum et Epistolarum ad Corinthios a. 1582. maxime 89. 98. in quibus etiam suas aliorumque coniecturas adsciuit, diligentis et modesti Critici laudem haud meritus [s]). Caeterum id exemplum tum alii, tum *Henr.* *Ste-*

*Stephanus*, *Er. Schmidius* expressere: hic quidem etiam quaedam temere mutauit in textu, nemine aduersante. Nempe ista tum non curabantur.

s) Conf. *Wetstenius* Proleg. p. 146. seqq. et *Hugii* Einleitung in die Schriften des N. T. t. I. p. 269. s.

§ 11.

Ex *Stephanicae tertiae* porro et *Bezae* textu nouus formatus est, non constat a quo, editus ab *Elzeuiriis* a. 1624. [t]) quem, praeeunte *Curcellaeo* [u]) et *Leusdeno*, certatim secuti sunt postea omnes, *Oxonienses* [v]), *Mastrichtus* [x]), *Wetstenius* [y]), aliique recentiores et vulgares editores, vt *Lipsienses* [z]), isque textus per inscitiam harum rerum diu tantum auctoritatis habuit, vt, qui ab eo discederet, haud dubie corrumpere Spiritus sancti verba putaretur.

t) Editoris nomen hucusque latet: in fronte libri legitur: *ex regiis aliisque optimis editionibus cum cura expressum.*

u) Conf. *Calouius* de Curcellaei edit. socinizante.

v) Primum curauit *Fell* 1665. quae contextum Waltonianum sequitur. Secunda est a. 1702.

x) Cum varr. lectt. ex Cod. Vindobon. et Ed. *Fell.* Canones Critici, qui praemittuntur, nullius pretii sunt.

y) In

y) In Ed. quae prodiit 1751. f. 2. Voll. fol., textum fequitur Elzeuirianum, et locupletiffimam varr. lectt. fegetem ex Cod. Patr. et verf. continet. Prolegomena et libellos criticos recudi curauit *Semlerus* Halae 1762. et 1764.

z) *Rechenbergius* et *Reineccius*.

§ 12.

Similem, vt ita dicam, cinnum plurium dedit *Io. Alb. Bengelius* [a]), Tubingae a. 1734. h. e. Complutenfis, Erafmicae et Stephanicae, nulla fyllaba, praeterquam in Apocalypfi, edita, quae non in editis effet, fed primis *Rob. Stephano* datis: quem delectum tamen in nonnullis et in ipfo textu neglexit interdum et mutauit in Gnomone. Eius textus Lipfiae repetitus eft a. 1737. et alibi [b]).

a) Quae continere debet optimarum lectionum medullam nonnifi ex libris editis congeftam. Margini additae funt varr. lectt. cum iudicio editoris: adiectus eft poft calcem apparatus criticus multa ex Patribus excerpta et additamenta ad edit. Millianam continens. Vid. *Wetftenius* Proleg. p. 156.

b) V. c. Tubingae a. 1776. Huic adiungenda eft Ed. N. T. *Griesbachiana* 1775. et 1777. qua noua ftudii critici N. T. epocha conftituitur. Editio fecunda nouis curis expolita lucem vidit Halae Saxonum et Londini 1796. et 1806. II. Voll. Adde edit. *Harwood* Lond. 1776. et 1784. 2. Voll. 12. (*Marfh* Zufätze zu Michaelis I, 450). Ed. *Matthaeii* 1782—1788.

1788. XII. Tomos continens, de qua repetere nolumus, quae b. *Michaelis* Bibl. Or. P. XX. p. 107. seqq. XXI. p. 20. seqq. et *Eichhorn* Bibl. Lit. Bibl. Vniu. Tom. II. p. 302. iudicauerunt. Conf. prolegomena *Matthaeii* ad editionem N. T. compendiariam Vol. I. Viteberg. 1803. Propter easdem rationes (cf. Allg. Bibl. d. bibl. Lit. T. II. p. 102. sqq.) iudicium de Edit. *Alteri*, Viennae 1786. f. nobis remittetur. Notae interioris est N. T. Editio *Birchiana*, Hauniae 1788. propter varietatem lectionum ex Codd. Vaticanis, Escur. et Haun. vt et ex versionibus Philoxeniana et Hierosolymitana decerptam. Editio *Knappii* Halae 1797. praefatione egregia insignis, et *Schotti* Lips. 1805. noua versione latina instructa sequuntur recensionem *Griesbachii*.

## § 13.

Magna etiam exspectatio fuit editionis a *Rich. Bentleio* promissae, cuius specimen a. 1720. 1721. prodierat. Professio Viri de consilio suo indicat, et Codicibus graecis, quos nos e latina versione interpolatos dicimus, et latinis, in quibus *Hieronymi* versionem genuinam esse putaret, quae plane *Origenis* exemplum sequeretur, plus, quam probari potest, tributurum, et ita textum suum pro *Origeniano* venditurum fuisse. In quo non vnus viri magni error fuit c).

c) Conf. Prolegomena ad N. T. graeci editionem accuratissimam, Amstelaed. 1730. 4. et *Wetstenius* Proleg. p. 153.

§ 14.

§ 14.

Caeterum haec ipsa editionum recensio, et per eam patefacta textus, quem receptum et vulgatum appellamus, origo, docet, quid de quaque editione sit statuendum, itemque de textu, qui hodie vulgatus et receptus appellatur, et ab imperitis propemodum pro diuinitus curato colitur [d]). Quae res saltem modestiores homines in iudicando facere debet.

d) Vid. *Hugii* Einleitung t. I. p. 270. s. et *Matthaei* praef. ad euang. Matthaei p. 28.

§ 15.

Auctoritas cuiusque textus et editionis nititur auctoritate librorum et veluti fontium, e quo fluxit. Itaque recte vtetur editionibus vulgatis, qui primum, vnde et quomodo concinnatus sit cuiusque textus, cognouerit, deinde in locis variantibus delectum recte facere ex legibus sanioris criticae didicerit. Eae quae sint, proprio loco trademus.

§ 16.

Sed in illo originis iudicio oportet tenere, primum, editoribus non nimis facile esse credendum, cum multitudinem, antiquitatem et bonitatem Codicum commemorant,

rant, quae fuit olim valde frequens editorum, plerumque vana, professio: deinde, quos commemorent Codices, non esse intelligendos solos graecos, quos primi editores habuere perpaucos, sed etiam latinae versionis, Patrum graecorum et latinorum, partim etiam editionum superiorum: cuius rei ignoratio multos, vt in editionibus humanorum scriptorum, sic in Complutensibus, *Erasmo Stephano*que mirifice decepit parum peritos consuetudinis illorum temporum de talibus rebus loquendi. Caeterum de editionibus, qui accurate volet cognoscere, *Millium*, *Bengelium*, *Wetstenium* debet adire e).

e) Cum Biblioth. sacr. post le Longii et Boerneri curas continuata a *Maschio*, Halae 1778. sqq.

---

CAP.

# CAP. IV.

## *De Versionibus.*

§ 1.

Cum doctrina christiana breui tempore quaquauersum propagata ad populos peruenisset, aut omnino expertes graecae linguae, aut saltem alia vernacula vtentes, statim post Apostolorum tempora vertendorum in alias linguas librorum θεοπνεύστων venit necessitas [f]), si non tanta, vt sine versionibus Ecclesia, v. c. latina, stare non posset, vt *Waltono*, *Garbello* placet, at haec, vt sine ea multa et magna opportunitate careret.

f) Vbique enim terrarum fere erant proselyti, qui graecam linguam non intelligerent. Conf. in vniversum de verss. antiqq. agentem *Semlerum* in libro: Versuch, die gemeinnützige Auslegung des N. T. zu befördern, p. 160. sqq.

§ 2.

Itaque antiquissimis temporibus versiones pluribus linguis curatas testantur *Eusebius* in Or. in Laud. Const. M. p. 662. et alii veteris Ecclesiae doctores [g]), apud *Fabric.*

bric. B. G. IV, 5. p. 191. (ed. 1.), quorum tamen testimoniis id satis firmari negat *Ios. Blanchinus*, Proleg. Euangeliarii T. I. p. 78. Sane illis testimoniis tantum firmatur, versos esse libros N. T. in alias linguas; temporis autem nulla certa et definita significatio est.

g) V. c. Theodoretus, Chrysostomus. Latina quadam translatione tanquam indubiae auctoritatis libro iam Tertullianus vtitur Sec. II. Vid. *Semlerus* ad Proleg. *Wetstenii* p. 584. sqq.

§ 3.

Antiquissimam putant, quidam etiam ab Apostolo vel Apostolico viro factam, *Syriacam* h), quam per *Mosen* quendam, *Ignatii*, Maronitarum Patriarchae, ad *Leonem X.* et *Iulium III.* Legatum, illatam Europae, primus Vindobonae a. 1555. edidit *Alb. Widmanstadius*, post separatim et in Polyglottis Bibliis *Plantinus* et *Hutterus*, etiam Apocalypsi per *Lud. de Dieu*, et Epistolis Petr. II. Iohannis II. et III, et Iudae per *Pocokium*, auctam, in Polyglottis Paris. et Londin. *Gutbirius*, et *Carolus Schaaf* Lugd. Batav. 1709. 4. (ed. 2. 1717.). *Tremellius* locum 1 *Io.* 5, 7. a se Syriace e graeco versum addidit, sed in margine, imitante *Gutbirio*, qui et in textum intulit, vt locum de adultera et ipse et Londinenses in

in Polyglottis e Mſ. Vſſerii, qui in margine erat ponendus.

h) In *Aſſemanni* Bibl. Or. T. II. p. 86. provocatur ad Codicem huius verſionis Sec. I. ex additamento membranae in fine. His tamen additamentis, ſubſcriptiones vocant, merito detrahitur fides in re critica. Verſio ipſa adpellatur ܦܫܝܛܐ, ſimplex, literalis, et iam ante ſchiſma Eutychianum et Neſtorianum, forte Sec. II. facta eſt.

§ 4.

Vtrum e graeco an latino exemplo ducta ſit, dubitant; ſed e graeco factam docet Cel. *Michaelis* de Var. Lect. N. T. §. 21. etiam *Simone* Hiſt. Crit. T. IV. c. 13. 14. 15. docente, eam ſaepius cum graeco textu contra latinum, quam cum latino contra graecum conſentire [i]); quod tamen et ipſum fit interdum: vnde patet, e minus interpolato, ſed interpolato tamen Codice factam eſſe. Caeterum ex ea facta eſt *Perſica* vetus IV. Euangeliorum, quae cum *Sam. Clerici* verſione et *Th. Grauii* notis in Bibl. Polygl. Lond. vulgata eſt. Altera, cuius particula edita eſt Lond. 1657. poſt integra per *Whelocum* et *Pierſonum*, de graeco, ſed Sec. XIV. demum facta eſt.

i) E graeco exemplo fluxiſſe verſionem, nunc dubitari nequit: vid. *Michaelis* Introd. in N. T. ed. 4. p. 382.

p. 382. qui tamen alio loco (cur. in vers. syriacam Act. Apost.) nobis vix persuaserit, illam ex Itala interpolatam esse. Probabilius hoc videtur, versionem Sec. VIII. vel IX. mutationem ex Codd. graecis recensionis occidentalis esse perpessam, quapropter falsis lectionibus scatet, neque auctoritate critica pollebit, nisi ope vers. arabicae et persicae ad pristinam simplicitatem fuerit reducta. Conf. *Reuschius* Syr. Interpr. cum N. T. collat. Lips. 1741. et *Weberus* de Vsu vers. syr. hermen. Lips. 1778. ante omnes autem *Storrius* Obseruatt. super N. T. vers. syriacis, Stuttg. 1772. et *Hug* Einl. I. p. 292. f.

## § 5.

Ab illa vetere Syriaca, quae et simplex dicitur, diuersa est altera recentior *Xenayae Philoxeni*, cuius auctoritate facta est a *Polycarpo* quodam, etiam *Heracleensis* dicta a *Thoma* Episcopo Heracleensi, qui eam recensuit diligenter [1]). Item *Barsalibaei*, qui eam Sec. XII. rursus in lucem dedit: de qua qui volet cognoscere, adeat Cl. *Michaelem*, Introduct. in N. T. p. 211. Sed multo magis *Ridleii* Diss. ad calcem Wetstenianorum libellorum a *Semlero* V. C. editorum.

1) Edita nunc est Oxonii 1773. a *White*. Erudite, vt solet, de hac versione sententiam suam exposuit *Storrius* Repert. Eichhorn. T. VII. p. 1. sq. Diversa ab hac est Hierosolymitana, lingua chaldaizante infra Sec. IV. et VI. Hierosolymis confecta. Vid.

*Adler*

*Adler* verfiones N. T. fyriacae fimplex, Philox. et Hierofol. denuo examinatae, Hafniae 1789. 4. l. III. p. 137. f.

## §. 6.

*Coptica* verfio ab *Dan. Wilkinfio* Boruffo Oxon. 1716. cum Verfione latina, *Crofii* et *Iablonskii* iudicio, parum illa accurata, edita, etfi non eft *Origene* antiquior, vt *Wilkinfio* placet, cum Euangelia ad *Eufebii* canones diftincta fint, et in Epiftolis ςίχοι numerentur, quod Secul. V. redolet, quia ea diftinctio eft ab *Euthalio:* tamen antiqua eft. Vtrum e graeco an latino exemplo fluxerit, ambigitur, illud *Millio* Proleg. n. 1407. hoc *Whitbio* I, 4, 1. defendente m). Certe faepe cum latino perfpicue contra graecum confentit, vid. v. c. Var. Lect. ad 1 *Cor. VII. init.* et *VI. extr.* quae tamen et ex interpolato iam tum graeco textu effe poffunt.

m) Conftat nunc, illam Sec. V. ex Codd. graecis factam effe. Continet multas bonae frugis variantes lectiones, quae maximam partem cum Patribus Alexandrinis confentiunt. Vide lectiones, quas excerptas dedit b. *Woide* in Michaelis Bibl. Or. T. X. pag. 198. et fragmentum Euangelii S. Iohannis graeco-coptico-thebaicum Sec. IV. ex Ed. *Georgii.* Romae 1789. 4. *Münter* über das Alter der koptifchen Ueberfetzungen des N. T. in *Eichhornii* bibliotheca literaturae biblicae vniuerf. t. IV. p. 1. ff. 385. ff.

§ 7.

§ 7.

*Aethiopicam* commemorare creditur *Chryſoſtomus*, in homil. in *Io.* 2. Itaque ea, quae nunc exſtat, ipſo antiquior putatur. Sed ex illo loco nihil certi poteſt colligi. Aethiopes quidem *S. Frumentio* tribuunt, cuius aetas in Conſtantini M. tempora incidit. Eam e graeco factam, defendit Cel. *Michael.* de Var. Lect. N. T. §. 24. 25. Nam quod pluribus locis cum latino conſentit, cauſſa eſſe poteſt haec, quod ea a *Teſſa Tzione*, monaſterii Aethiopici monacho, *Romae* a. 1548. 49. edita eſt e Codice lacunoſo, et a latino ſuppleta et interpolata [n]), adiuuante *Mariano Victorio Reatino* et alio perito. Repetita in Polyglottis Lond. etiam vitioſior facta eſt. Verſionem autem latinam vtramque vitioſiſſimam periti iudicant. v. *Michaelis* l. c. §. 34. 35. et in Praef. ad C. A. *Bodii* Collat. Euangel. Matth. cum Verſ. Aethiop. *Hal.* 1749. Quo minus haec collatio ſolum editum exemplar ſequi debebat, praeſertim, cum et Aethiopes hoc exemplum, vt diuerſum a ſuis, non probent. v. *Ludolphus* in Praef. Lex. Aethiop.

n) Quapropter prudenter admodum ad partes eſt vocanda. Apocalypsin Iohannis inprimis legi nunc in Abyſſinia, auctor eſt *Bruce*, travels p. II. *Hug* Einleitung I, 349. ff.

§ 8.

*Armenica* verſio edita eſt Amſtel. 1668. 8. ab *Vſcano*, Epiſcopo Armeno, illam ipſam ob cauſſam miſſo publice. Eam *Chryſoſtomi* aetate factam ferunt a *Miesrobo*, literarum Armenicarum inuentore (de cuius Vita excerpta ſunt apud *Sainjore* i. e. *Simonem*, Bibl. Crit. T. IV. p. 196. ſ.) adiuuante *Moſe* diſcipulo, e Codice graeco, de Concilio Epheſino allato, auctore *Moſe Chorenenſi*, Hiſt. III, 61. p. 313. quamquam ante iam vel factam vel tentatam idem tradit III, 53. p. 299. Interpolata tamen creditur e latino per *Vſcanum*, ipſo in praefatione fatente o). Certe locus 1 *Io.* 5, 7. qui eſt in illo verſionis exemplo, in Mſſtis non reperitur. v. *la Croze* Theſ. Epiſt. T. I. p. 359. Nachricht von einer Hälliſchen Bibl. Vol. III. p. 189. add. *Simonem* Hiſt. Crit. IV, 17. inpr. Bibl. Crit. IV. pag. 193. ſ. et eiusdem Epiſt. Select. P. IV. n. 24.

o) Neque tamen iſta interpolatio ad omnes libros penetrauit. Conſentit ſaepius cum verſ. Coptica, cum Origene et recenſione Alexandrina. *Hug* l. c. I, 332. ſſ.

§ 9.

*Arabicae* verſiones, alia de Syriaco aut Coptico, aliae de Graeco factae, omnes

Mu-

Muhammede iuniores putantur. Quae Romae 1591. et 1619. edita eft IV. Euangeliorum verfio, valde confentiens Syriacae, ab eadem tamen in multis difcrepans, ad latinam quoque interpolata; ea vero repetita eft in Bibl. Polygl. Parif. addita verfione reliquorum librorum recentiori, fed ftulte interpolata a *Gabriele Sionita*, hinc in Polygl. Londin. fed e Mff. correcta. Altera autem totius N. T. edita ab *Erpenio* Lugd. Bat. 1616. e libro Coptico, fine interpolatione et verfione, in Euangeliis fere confentit Romanae, in Epiftolis Syriacum exemplum, iudice *Erpenio*, in Apocalypfi, Copticum fequitur, vt placet *Michaeli* l. c. §. 29. Criticum vfum habent folae hae, quae de Graeco factae funt Melchitarum, qui lingua Graeca in facris publicis vtuntur [q]).

q) Collectiones adcuratae verfionum Arabicarum cum difcrimine aetatis inftitutae nondum exftant. Vid. *Storrius* de Euangeliis Arabicis. Tubing. 1775. *Hug* l. c. I, 354. ff.

## § 10.

Seculo quarto etiam Geticam in linguam vertiffe N. T. traditur *Vlphilas*, Getarum Epifcopus: eiusque creditur effe verfio Euangeliorum, quae de Codice argenteo edita eft ab *Iunio* et *Marfchallo*, Dordr.

 1665.

1665. et Amſtelod. 1684. a *Stiernhielm*, Holm. 1671. et nuper ex *Er. Benzelii* apographo ab *Eduardo Lye* Britanno, Oxon. 1750. *Croſius* Theſ. Epiſt. T. III. p. 78. e loco inuenti Codicis, monaſterio Werdenſi, et literarum genere, Francicam potius quam Geticam facit: ſed et in iſta regione Getae fuere: e quo genere ſunt *Sunila* et *Fretela* apud Hieronymum, ad quem de diſſenſu graeci et latini textus ſcripſere. Vtcunque ſit, lectiones habet eas, quae non niſi e graeco textu venire potuiſſe videantur, concedente nuper, poſt Bengelianam demonſtrationem, App. Crit. pag. 408. etiam *Wetſtenio* T. I. p. 114. ſ. quod conuenientius Geticae quam Francicae verſioni videtur. add. *Ihrii* V. C. Vlphilam illuſtratum [r]). Huius verſionis aliam particulam in Bibliotheca Guelferbytana repertam, in lucem nuper, a. 1762. 4. edidit *Knittelius*, Vir doctiſſimus.

r) Et Comm. de lingua Codicis argentei. Vpſal. 1754.

## § 11.

Latinas primis Seculis plures fuiſſe, *Auguſtini* teſtimonio (Doctr. Chr. II, 11. 14.) perſuaſum eſt pleriſque [s]): quod quidam, Vulgatae inepto fauore, vt *Sabatierius* (in Praef. general. Bibl. Verſ. Ital.) et *Blanchinus*

*nus* (in Prolegom. Euang. T. I. p. 81.) de exemplarium multitudine diuersorum, *Garbellus* de Scholiastis et Interpretibus, frustra intelligi volunt, reclamantibus verbis, quorum perspicuitas nulla interpretatione contraria obscurari potest. Et cum eodem paene tempore tot V. T. versiones graecae diuersis locis factae sint, non profecto de latinis incredibile est, quae etiam facilius et celerius ob Voluminis breuitatem fieri poterant. Est denique antiquorum librorum scriptorum ea diuersitas, quae manifeste diuersas versiones arguit.

s) Adde *Hieronymum* Proleg. in Euangel. *Hug* I, 380. ff.

§ 12.

Omnium autem probatissima et vsu tritissima fuit ea, quam *Hieronymus Communem* et *Vulgatam* vocat, ipso nomine, alias praeter hanc fuisse, indicans, post etiam *Vetus* dicta, vt ipse appellat in Praefat. in Iosuam, posteaquam ipsius castigatione vtcunque renouata est.

§ 13.

Eam in Italia factam, vt facile concedi potest, etsi nulla necessitas est, in silentio veterum, et lingua latina multis regionibus Euro-

Europae, et Africae magna parte, pro vernacula valente; ſic *Italam* vocatam, quod vno *Auguſtini* (de Doctr. Chriſt. II, 15.) teſtimonio creditur vulgo, dubitat *Bentleius*, pro: *in ipſis autem interpretationibus* Itala *caeteris praeferatur: nam eſt verborum tenacior, cum perſpicuitate ſententiae:* legendum cenſens: illa *caeteris pr. quae eſt* etc. ſequente *Casleio*, (Catal. Bibl. Cotton.) placetque etiam *Venemae* V. C. Quam ſententiam adiuuant ſane non pauca: primum, forma orationis et contextus: eſt enim ibi generale praeceptum de verſionibus, cui ſubiicitur poſt de latinis ſeparatim et nominatim: deinde quod *Auguſtinus* graeca ignorauit, ſaltem hactenus, vt de verſione iudicare non poſſet ſine audaciae nota: tertium, variatio Mſſtorum in illo verbo, in *Casleio* notata. Contra tamen disputat *Sabatierius* in Prolegom. Biblior. veter. Ital. cui addendus *Moshemius* de rebus Chriſtian. ante Conſtant. M. pag. 224. ſeqq. qui tamen valde fluctuat [t]).

t) Hoc certe videtur probabile, hanc verſionem ſub finem Sec. II. factam eſſe, 1) quia eccleſiae latinae verſione carere vix poterant, 2) quia contextum ſequitur antiquitate venerabilem, 3) quia Patres latini Sec. III. cum illa conſentiunt. Videſis Fragmenta verſionis latinae antehieronymianae in *Pauli* Repert. Lit. Or. et Bibl. nou. p. III. p. 115. ſqq.

§ 14.

§ 14.

Quocunque nomine venerit olim, in ea reſtituenda a longo tempore laboratum eſt, primum a *Flaminio Nobilio*, iuuantibus aliis viris doctis, inprimis *Ant. Agellio*, e ſcriptis Patrum Ante-Hieronymianorum eam reſtituere conato Rom. 1588. deinde a *Io. Marcianaeo*, qui Codicibus verſionis *Hieronymo* antiquioribus vti coeperat, nuper autem a *Petro Sabatierio* in Bibliis veteris Verſionis Italicae, *Rhemis* a. 1743. editis, et *Ioſ. Blanchino*, qui e Codd. antiquis Euangeliaria latina edidit a. 1749. vt alios minus claros taceam, quos *Sabatierius* in Prolegom. §. 166. recenſet.

§ 15.

Horum opera etſi grata doctis eſt, vt debet, atque etiam vtilis eſſe poteſt iis, qui recte vti ſciant, tamen, quod voluit, aut debuit, nec perfecit, nec perficere potuit: et illa quamuis ſpecioſa Codicum et ſcriptorum Ante-Hieronymianorum iactatio, tamen probabilem eius reſtituendae ſpem non fecerit: nec crediderim *Fabricio* B. G. IV, 5. p. 198. adfirmanti, eam e *Bezae* Codicibus et Regio ſecundo, (qui eſt ipſe *Claromontanus Bezae*) reſtitui poſſe.

§ 16.

§ 16.

Nam Patres quidem Ante-Hieronymiani et ab librariis et ab editoribus ad Hieronymianam correcti saepissime sunt, vt in *Ambrosio* et *Augustino* deprehenderunt editores Benedictini, in aliis alii, et e diuersis vel versionibus, vel eiusdem versionis exemplis hausere, quidam etiam, qui graece scirent, ipsi verba graeca subinde latina fecere, nec adstringi se passi sunt vulgatae versioni: Codices autem scripti, in quibus est versio discrepans ab Hieronymiana, ita inter se dissentiunt, vt nullo modo ad concordiam redigi possint u). Quod tanto minus mirandum est, cum iam *Damasi* et *Hieronymi* tempore consonantia exempla reperiri non possent. Itaque bene Hieronymus in praefatione in Euangelia: *si latinus interpres contra graecum textum audiendus, quaesierim, quis sit audiendus?*

u) Quia contextus latinus ad Codices graecos iuniores refictus est, quod de Codice Brixiensi inprimis constat. Eo magis mireris, recentiores Criticos vers. vulgatae tantam auctoritatem tribuisse I Ioh. V, 7. Vid. *Wetstenius* ad h. l. p. 725.

§ 17.

Non eundem auctorem habuisse, etsi non abnuerim simpliciter, e diuersitate quidem stili, nescio an vere, colligat *Millius*, (Pro-

(Proleg. n. 513.) diuerſitatem ſcilicet ſtili interpretans, cum eadem verba graeca non iisdem latinis vbique exprimuntur. Verborum graecorum plus iuſto tenacem fuiſſe, res ipſa docet, ſervatis quippe graecis generibus, caſibus, numeris, temporibus, et conſtructionibus contra Grammatica praecepta, vt *Aquila* in verſione V. T. graeca fecerat. Vnde clarum eſt, auctorem aut non ſatis graece, vel potius latine doctum fuiſſe, aut, quod fortaſſe propius fidem eſt, ſtulta quadam et Iudaica ſuperſtitione laboraſſe, atque adeo Ex-Iudaeum fuiſſe. Quem enim tum alium, niſi iſta gente ortum, tali ſuperſtitione infectum fuiſſe credibile eſt? Et tamen interdum exquiſitior eſt latinitas, certe in ſingulis verbis: verſioni graecae V. T. in hoc quoque ſimilis.

## § 18.

Itaque cum etiam mendoſiores paullatim facti eſſent Codices, fortaſſe et barbaries eius rideri coepiſſet, eſſetque periculum, ne ille contemtus etiam ſententias, vt fit, contingeret; *Hieronymus*, hortante *Damaſo* P. R., correctionem eius et emendationem ſuſcepit, non vt nouam e graeco faceret, ſed vt primo vitia linguae tolleret, deinde collatis Codicibus graecis Caeſareenſibus, quae ſenſum viderentur omnino mutare, cor-

corrigeret e graeco, reliqua relinqueret intacta, ne nimis a lectionis superioris consuetudine discrepans, offenderet imperitos et inuidiosa esset. Vnde fit, vt Commentarii interdum a Versione dissentiant. Neque tamen satis constans in eo fuit. Sed ne sic quidem potuit effugere grauem inuidiam suorum, ne *Augustino* quidem latinitatis vitiosae correctionem probante: nec ante octauum seculum per omnem Ecclesiam istius castigationis exempla sunt recepta [v]).

v) Et quae recepta sunt, his e regione adponi solebat versio Itala, seu antiqua, id quod aeuo sequiori recensioni mixtae ex hac et illa conflatae ansam dedit. *Hug* I, 389.

## § 19.

Huius autem exempla recensionis ab se edi professi sunt *Marcianaeus* in *Hieronymi* Bibliotheca diuina, et *Sabatierius*, l. c. Sed nec illa pura sunt. Etenim illud ipsum Hieronymianum exemplum rursus, partim per librarios, partim per correctores, saepe ac multis locis, modo e vetere, modo e libris Patrum, modo ex ingenio ita interpolatum et mutatum est, vt in integrum restitui nulla ope possit. Atque haec ita interpolata Hieronymiana est, quam hodie *Vulgatam* appellamus. Eius editiones meliores et ad veterrimos libros correctae sunt Stepha-

phanianae *Roberti*, inprimis anni 1540. 1545. et 1546. *Hentenii* 1547., ac Theologorum Louaniensium a. 1557. 1573. in quibus praecipua opera fuit *Lucae Brugensis*. Clara est etiam *Sixtina* recensio, Rom. 1590. curata, quam mox excepit a. 1592. *Clementina*, in multis discors Sixtinae, quam plerique post editores secuti sunt; estque Clementini exempli textus hodie, qui vulgatus dicitur. Nam editiones primae, vt Schefferiana, Iensoniana et aliae antiquiores recensione Stephaniana, raritatis magis commendationem habent, quam vtilitatis criticae, factae quippe ex libris forte oblatis sine critica diligentia, neque tamen negligendae sunt omnino. Nam etiamsi e singulis modo Codicibus, etiam recentioribus, ductae sunt, tamen in iis esse possunt, quae prosint ad criticam rationem x).

x) Potissimum si testes antiquiores versio habeat consentientes. Ad Edd. Clem. et Sixt. confer. *Iamesii* bellum papale, seu concordia discors, Lond. 1600.

§ 20.

Caeterum cum ea versio graecum textum nec satis fideliter, nec satis perspicue vbique exprimeret, multi nouas versiones inde ab initio restituti in lucem graeci textus tentarunt, vt *Erasmus*, *Pagninus*, melior interpres V. quam N. T., *Castellio*, *Beza*:

quo-

quorum verſiones cum latina vetere contulit, ac fruſtra pluribus locis ab illa diſceſſiſſe docuit *Boiſius* libro proprio, in quo ille tamen ſtudio ſuo deceptus modum interdum exceſſit; multis etiam *Lud. de Dieu* in Critica ſacra. De reliquis, et vernaculis dicere hoc loco nil attinet.

§ 21.

Vſum verſiones habent duplicem, alterum *hermeneuticum*, alterum *criticum*. *Hermeneuticum* porro habent *communem* veteres et recentiores, quem *hiſtoricum* appellemus licet: vt intelligamus, quomodo interpres quisque verba ceperit: vnde datur interdum aditus ad veram verborum ſententiam.

§ 22.

*Proprium* autem et *dogmaticum* poſſunt habere antiquae, e graeco factae, et a graecae linguae eius, qua N. T. ſcriptores vtuntur, peritis, hactenus, vt ex iis vſus loquendi intelligatur, praeſertim cum aliis rationibus indagari non poteſt [y]).

y) Ex verſione latina male ad verbum facta multi errores olim irrepſerunt in theologiam dogmaticam, v. c. 2 Cor. VIII, 19. vbi προθυμία a vulgata vertitur: *deſtinata voluntas:* vnde Aquinas voluntatem hominis ſuſpenſam eſſe voluit e praedeſtinatione diuina.

Exem-

Exemplum illuſtrius etiam vide Epheſ. V, 32., quo loco μυςήριον *ſacramenti* nomine venit in verſione vulgata.

§ 23.

Vtrumque autem vſum praeſtant hoc rarius, quo magis ſunt plus iuſto tenaces verborum, et, dum characterem orationis graecae nimis diligenter, etiam vbi neceſſe non erat, ſeruant, puritatem omittunt, et ſic obſcurae fiunt: vnde etiam docti ſaepe interpretes ac Theologi in errores inducti ſunt: cuius generis exempla, e latina vetere, qui volet cognoſcere, adeat *Eraſmum* in capite Nou. Teſt. a. 1522. ab ipſo vulgati, C. 6. b. ſqq.

§ 24.

Hunc ergo fructum vt tamen ex iis capere poſſimus, ante omnia erit in vnaquaque videndum id, quod paulo ante poſuimus, vtrum e graeco ſit nec ne: deinde cauebimus, ne, in orientalibus, confidamus verſionibus latinis, quae ſunt plerumque vitioſae et obſcurae z): et ſi non eſt ea facultas linguae cuiusque, vt nobis verſione non ſit opus, ab earum vſu potius abſtinebimus.

z) Quod vitium admiſit Millius. Vid. *Bodii* Pſeudocritica Millio-Bengeliana, Halae 1767—1769.

1769. Simili negligentia vel a *Wetstenio* ad Syri testimonium prouocatur Act. XI, 20., quo loco ܝܘܢܝܐ etiam Hellenistas designare potest, vid. Act. VI, 2., et Philipp. II, 30., quo ܒܣܪ ܥܠ ܢܦܫܗ sensum lectionis *παραβουλευσάμενος* reddit. Sic aliis locis bene multis versio Syriaca lectiones longe alias secuta est, quam eas, quae vel in optimis N. T. editionibus criticis ei adfinguntur.

§ 25.

His duobus igitur obseruatis, primum erit in vniuersum videndum de versionis bonitate, vt sciamus, an operae sit pretium futurum, si eam legamus et consulamus: quae cognoscetur comparatione locorum plurium, non nimis perspicuorum, de quorum vero sensu nobis constet: cuius generis comparationem in versione syriaca dedit *Simon* Hist. Crit. II. c. 15. De hac vbi idoneis speciminibus constiterit, licebit eam maiori cum spe et fiducia consulere in aliis locis.

§ 26.

In quo erit vitandum vulgare vitium eorum, qui veteres orientalium Ecclesiarum versiones ad illustrandum N. T. conferre instituerunt. Etenim omnes, in his *Lud. de Dieu* in Critica S. saepe inanem operam insumsere in iis verbis comparandis, quae e lin-

lingua graeca aut hebraica ſatis intelligi et explicari poſſunt [zz]): qua ratione nil aliud efficere potuere, niſi vt ea verba ab Interprete recte intellecta eſſe pateret: quod potius valet ad laudem interpretationis, et ad linguae illius intelligentiam, quam ad vſum in interpretando.

zz) V. c. Matth. I, 19. παραδειγματίσαι illuſtraturus erat ex ſyr. ܦܪܣܡ *reuelare*, quod rurſus contumeliae habet ſignificationem.

§ 27.

Itaque tum demum tales verſiones conſulemus, cum incidemus in modos loquendi eos, quorum intelligendorum facultatem vſus loquendi graecus et hebraicus non ſuppeditat. Deinde videbimus, vtrum ii ad verbum et ſecundum etymologiam verſi ſint; quod genus nihil adiuuat: an proprio illi linguae modo, qui ex eius vſu loquendi noto plane intelligi poſſit. Hoc ſi erit, tum demum nos reperiſſe putabimus, quod, ſi caetera conueniant, prodeſſe ad verum ſenſum reperiendum poſſit. Idque inprimis valebit de ſyriaca verſione, quae et ea lingua ſcripta eſt, quae Apoſtolis vernacula, vel linguae Apoſtolorum vernaculae ſimillima fuit, vt inde, ſicut ex hebraica, formari modi loquendi et inferri in graecum ſermonem

nem potuerint, et propter bonam ſyriacorum librorum copiam bene cognoſci poteſt [a]).

a) Matth. VI, 11. ἄρτος ἐπιούσιος vertit: ܠܚܡܐ ܕܣܘܢܩܢܢ, panis neceſſitatis noſtrae, h. e. quo nobis opus eſt.

§ 28.

*Criticum* vſum habent tantum verſiones antiquae, et e graeco factae: propterea, quod ex iis fere patet, quid earum auctores in Codicibus ſuis habuerint, vnde vel ad confirmandas, vel ad reperiendas bonas et veras lectiones, et ad origines falſarum lectionum indagandas prodeſſe poſſunt. Quae autem e verſionibus factae ſunt aliis, eae vero verſionum potius, quam textus authentici lectiones praebent [b]).

b) Verſio perſica et arabica vſum criticum habet, non ad emendandum N. T., ſed ad emaculandam verſionem ſyriacam, ex qua vtraque fluxit.

§ 29.

Nam qui verſionibus negant hoc cum *Withbiò*, *Maſtrichto* et aliis, rei criticae non peritis, vt varias lectiones praebeant, praeſertim Noui Teſt., quae ſunt fere ad verbum factae, ii vero primum aduerſantem habent

habent vniuersorum Criticorum in aliis libris antiquis vsum, et rem adeo ipsam c): deinde hoc ipso textum vulgatum, cuius defensores videri volunt, suspectum faciunt, in quem satis constat plures lectiones a *Complutensibus*, *Erasmo*, *Beza*, e versione latina receptas esse, et nunc quoque locis haud paucis seruari: denique factis suis ipsi refelluntur. Nam omnes, nominatim *Whitbius*, in defendendis lectionibus, saepe, interdum maxime, versionibus vtuntur, vt bene monet *Bengelius* p. 427. Recte vsum hunc versionum agnoscit noster *Glassius* Phil. S. I. Tr. II. P. I. membr. 3. agnouitque Lutherus, non raro latinam lectionem secutus.

c) *Wesselingius* in Praef. ad Herodotum fatetur, se ex latina versione Laurentii Vallae plures lectionis varietates decerpsisse. Idem valet de versionibus N. T.

## § 30.

Sed in ea re multiplex cautio est. Nam primo loca excipienda sunt ea, vbi clarum est, interpretem aut vitio Codicis sui, aut inscitia graecae vel hebraicae linguae, vel negligentia in praetermittendo, peccasse, aut explicationem suam potius posuisse, quam graeca diligenter expressisse, ambigueue, omninoque sic locutum esse, vt, quid in graeco habuerit, satis intelligi non

possit [cc]): quae saepe facta sunt in latina. Huic ipsi latinae plus auctoritatis tribuerim in omissione, praesertim si aliae consentiant, quam in caeteris. Nam si apta est rebus et contextui, nulla commoda ratio reddi potest, quare facta sit: in his vel inscitia, vel negligentia, vel interpolatio intelligi potest. Deinde, in versionibus orientalibus videbimus, ne vulgatis earum versionibus latinis confidamus, in quo genere plurimum cum aliis peccauit *Millius*. Atque etiam boni et antiqui Codices videndi, non soli editi libri sequendi; propterea, quod versiones et ipsae, vt supra tradidimus de pluribus, vitiosae et per fraudem interpolatae sunt: quod in latina multis exemplis docuere, qui eam correxerunt. [d])

cc) V. c. Luc. II, 22. quo loco *Wetstenius* scribit, versionem vulgatam exprimere lectionem αὐτοῦ; *eius* autem referri etiam potest ad lectionem αὐτῆς.

d) Addimus regulas sequentes. Qui bene vti velit versionibus, videat, 1) num textum illarum habeat critice tractatum et emendatum? 2) num ingenium versionis familiare sibi reddiderit? 3) qualem recensionem sequatur versio? 4) caueat, ne synonyma versionis amplectatur pro varietate; 5) lectiones in vna tantum versione obuias non magnam prae se ferre auctoritatem, sciat.

---

CAP.

# CAP. V.

## *De Libris Doctorum Vet. Ecclesiae vniverse, eorumque vsu.*

### § 1.

In instrumento interpretis sunt etiam scripta Doctorum veteris Ecclesiae e). Itaque de his quoque, quoad habent aliquam coniunctionem cum hac institutione, siue cum veritate textus et intelligentia verborum, breviter praecipiendum videtur: sed ita, vt complectamur scripta vniuersa, in quibus res diuinae e scripturis tractantur, non Commentarios solos aut proprie, de quibus nobis alius locus descriptus est.

e) Ex allegationibus Patrum cognoscimus variantes lectiones antiquiores iis, quas Codices suppeditant, docemur aetatem nostrae lectionis, patriam lectionis et originem glossarum.

### § 2.

Est autem vsus eorum duplex, alter pertinens ad intelligendum, alter ad iudicandum de integritate verborum, qui est *criticus*, vt ille *hermeneuticus*. Sed vt de vtro-

que accuratius praecipi poſſit, ante vniuerſum primum de textu antiquo ab illis ipſis doctoribus lecto et tractato, et eius veluti hiſtoria, deinde de interpretatione vetere dicendum videtur.

§ 3.

Primum, cum et hiſtorici libri a diuerſis, diuerſisque in locis ſcripti, epiſtolae autem ad diuerſas Eccleſias, per certas occaſiones, miſſae eſſent; intelligitur, ab initio et primo nec notas omnes omnibus [ee]), multo minus omnium ſtatim corpus eiusmodi factum, quod eodem volumine comprehenſum haberent homines, etiam doctores Eccleſiarum, certe multi aut omnes: idque firmatur etiam vetere conſuetudine in talibus rebus, et exemplis Codicum, quae nunc extant. vid. c. II. §. 9. [f])

ee) *Chryſoſtomus* v. c. de actibus apoſtolorum teſtatur, hunc librum dioeceſeos ſuae eccleſiis plane fuiſſe ignotum: prolog. in homil. I. act. apoſt.

f) In Clementis Rom. Epiſtola I. nullus liber N. T. excitatur, praeter primam Epiſtolam Pauli ad Corinthios, quae εὐαγγέλιον vocatur. Tertullianus quidem et Iuſtinus omnes fere libros N. T. laudant, ſi ab Apocalypſi diſceſſeris: de corpore autem ſcriptorum ſeculo tertio demum cogitari coeptum eſt.

§ 4.

§ 4.

Cum porro describerentur libri a Christianis, in quibus aut nulli, aut perpauci essent, ab initio, docti ad scholae legem, etiam inter antistites Ecclesiarum; non est mirandum, si exempla facta sunt aberrantia ab ὀρθογραφία, aut aliis modis vitiosa, sed salua sententiarum bonitate et veritate, qua simplices et plebeii homines erant contenti. Nec erant inter eos Grammatici, quibus apographa corrigenda committere possent. [g])

g) Accedit, quod libri propter persecutiones et contemtum clandestine describerentur. Exinde colligas vitiorum originem et causas.

§ 5.

Seculum secundum habuit illud quidem Christianos ad scholae legem doctos, vt *Iustinum*, *Pantaenum*, [h]) *Clementem*, et alios, sed Philosophiae magis deditos, quam rei grammaticae, et libris potius scribendis, quam aliis castigandis intentos. Caeterum tum iam corpus scriptorum sacrorum factum, ex Irenaeo, Clemente Alex. Tertullianoque patet, qui prope omnes libros commemorant.

h) Primus erat linguae hebraicae imperitus: secundus, Clementis praeceptor, Stoicus. Vterque contextus N. T. rationem curare non poterat. Vide modo, quam ea, quae Iustinus M. dialogo cum Tryphone

phone de magis Damaſco Bethlehemum venientibus memoriae tradidit, differant a ſecundo capite Matthaei.

§ 6.

Primus *Origenes* ſeculo tertio hanc curam ſibi imponi paſſus eſt, vt, exemplis inter ſe pluribus et antiquioribus conferendis, delectum faceret lectionum optimarum, per quem textum integrum et incorruptum formaret. In quo quin bene ac perite verſatus ſit vir inſtructus criticarum rerum ſcientia et vſu, e diuturna earum diſciplina, et libris antiquis aſſidue tractandis, vix eſt, vt dubitemus, vel propter auctoritatem exempli Origeniani in Eccleſia vetere graeca et latina. Interdum ita coniecturis vſum, vt eas etiam in textum inferret, vix certis argumentis doceri poteſt [i]). Nam quae in Commentariis eius proponuntur, eae non in textum illatae ſunt. vid. Diſp. noſtra de *Origene* Interpret. SS. librorum grammaticae auctore. §. 16. 17. 20.

i) Neque tamen plane dilui poteſt haec immoderati in emendando caloris criminatio. Sic v. c. Matth. VIII, 38. Γαργεσηνῶν pro Γαδαρηνῶν et Ioh. I, 28. Βηθαβαρᾷ pro Βηθανίᾳ, vtroque loco male, ſubſtituiſſe dicitur. Vid. *Huetii* Origeniana l. III. c. 2. ſ.

§ 7.

Huius recenſionis exempla cum in clara

Cae-

Caesareae Bibliotheca reposita essent, et pro norma coeperunt esse, ad quam exigerentur et corrigerentur alia, (vid. v. c. c. 1. §. 17.) et ex iis descripta tum *Eusebii* tempore (vid. c. 2. §. 16.) permulta, tum postea. Itaque eam fere secuti sunt Doctores graeci eruditiores et clariores Interpretes N. T. itemque ex Latinis Hieronymus; vt *Origenes* recte parens textus pure graeci orientalis haberi possit. Nec satis certa fide traditur quisquam alius postea talis recensionis laborem suscepisse ac peregisse. Nam *Pierii* et *Pamphili* Codices in Bibliotheca Caesareensi, quos et ipsos laudat antiquitas, haud dubie ipsi sunt Origeniani exempli, et manu ipsorum curiose descripti. De Pamphilo quidem testatur *Euthalius* in subscript. epp. Cathol. p. 513.

§ 8.

Eodem tamen seculo, sed extremo, et post *Origenem*, textum suo modo concinnasse feruntur, qui et in versione V. T. graeca recensenda laborarunt, *Lucianus* Antiochenus, et *Hesychius*, Aegyptius Episcopus, auctore *Hieronymo* (praef. in IV. Euang.), qui tamen ea exempla non probat: *Praetermitto*, inquit, *eos Codices*, *quos a Luciano et Hesychio nuncupatos*, *paucorum hominum asserit peruersa contentio*: *quibus*

*quibus vtique nec in nouo instrumento profuit emendasse* etc. Et tamen cum apud Alexandrinos et in Aegypto exemplum Hesychianum versionis τῶν ό valuerit, etiam Noui Testamenti textus ab eo formatus obtinuisse putatur: vnde eum nonnulli *Alexandrinum* vocant, cuius cum lectionibus glossas Hesychiani Glossarii, ad N. T. pertinentes, consentire obseruauit *Wetstenius* T. I. pag. 69. Atque idem potuit accidere in Lucianeo apud ea loca, vbi V. T. exemplum ab eo castigatum valebat, vt in Syria, auctore *Hieronymo*. In quo etiam odium *Origenis* potuit valere. [ii])

ii) Vide erudite hac de re differentem *Hugium* Einleit. t. I. p. 176—198.

§ 9.

Nec tamen existimandum est, vni exemplo se vel regiones, vel homines singulos, adstrinxisse magis, quam exemplis certis V. T. *Euthalium* quidem Aegyptium, Caesaream profectum, exemplum suum ad Origenianum textum castigasse, supra vidimus: et Syrus postea, nouae versionis auctor, Origenis exemplaria requisiuit. Et variarum recensionum lectiones commisceri pariter potuere, vt in Vetere Testamento factum constat. Itaque omni tempore, etiam post *Origenem*, varietas lectionis a multis com-

commemoratur, vt *Chrysostomo*, *Theophylacto*, *Oecumenio*, et aliis.

§ 10.

Sed haec tamen, et ex iis quocunque modo nata exempla, graecam veritatem vtcunque retinuere. Exorta autem est noui exempli forma, cuius exemplaria plura et antiquissima superesse ante dictum est, in quo textus graecus ad latinum exemplar mutaretur pluribus locis et interpolaretur. Hoc genus interpolandi primum malo consilio tentasse *Marcionem*, scita ex *Epiphanio* et *Tertulliano* ducta obseruatio est *Millii* Proleg. n. 378. et *Wetstenii* T. I. p. 79.[1]) Sed postea ab ipsis orthodoxis similis ratio inita, vel inscitia, vel assentatione in Romanos, (vid. c. 2. §. 16.) vel vtraque, vel aliis de caussis. Romanos quidem id aequum censere potuisse vt fieret, et per se non abhorret, aestimantibus rem ingenii humani natura, vsu cognita, et exemplis perspicuis patet. Nam et orthodoxi Graeci, qui hebraica nescirent, haud dubitavere, graecum V. T. cui adsueti essent a maioribus, verius hebraico putare, nec Latini, *Hieronymum* grauis peccati reum agere, qui latinam versionem V. T. ex hebraico correxisset, dissentientem in multis ab ea, quam e graeco factam haberent. *Hilarius* autem,

autem, Diaconus Romanus, siue quisquis auctor est Commentarii in Epp. Pauli, inter *Ambrosii* opera edi soliti, non veretur interdum, vt ad *Rom.* 5, 14. postulare, vt graecus textus e latino corrigatur. In quo aliter et rectius sensit eruditissimus Latinorum, *Hieronymus*, (praef. ad IV. Euang.) et *Augustinus* (Doctr. Chr. II, 13. et de pecc. mer. et remiss. I, 11.), qui latina exemplaria ad *graecam veritatem* corrigenda censent.

1) Conf. *Loeffleri* differt. Marcionem Pauli epistolas et Lucae euangelium adulterasse dubitatur. Traiecti ad Rhen. 1788.

§ 11.

Sed exempla illa, quae pure graeca vocamus (c. 2. §. 13.), praeferenda esse iis, quae latinam versionem imitantur, cum aliis argumentis clarum est, tum hoc maxime, quod sole clarius est, permagnam partem earum lectionum, quibus ea dissentit a graeca lectione, ortam esse partim ab inscitia graecorum tum legendorum, in illa vetere scriptura continente et compendia quaedam solemnia vsurpante, tum intelligendorum, partim ab negligentia, quaedam interdum transiliente. Nec huius argumenti vis vlla ratione debilitatur, aut Codice latino, quamvis antiquo, vt Gothico Hispalensi, quem tantopere iactat *Ios. Blanchinus*, ante dudum

dum iactatum a *Mariana*, (praef. Schol. in V. et N. T.) exiſtimans, in eo eſſe genuinam *Hieronymi* verſionem [m]). Nam et ipſe habet, vt alii antiqui, veſtigia integritatis veteris, diſcedens a latinis aliis in lectionibus inſignioribus: et, ſi maxime *Hieronymi* verſionem puram exhiberet, tamen non valeret vbique contra graecum textum per ea, quae c. 4. §. 18. dicta ſunt. Et vetus eſt haereticorum inuentum, verſiones, inprimis latinam, graeco praeferre, et graecum corruptum iactare, vt latini auctoritas ſtabiliatur, vt *Heluidii* ab *Hieronymo* bene hoc nomine caſtigati, cuius rationes recte probat etiam *R. Simon* Hiſt. Crit. de Verſ. N. T. c. 6., quamquam ratio Hieronymi, quod fons purior riuo, non ſufficit. Nam an purus ſit fons, quaeri poteſt. Quod tamen non eo trahendum, vt non interdum verior lectio aliqua in latina conſeruata, eiusque omnino nulla auctoritas ſit: de quo et in ſuperiori capite diximus, et in capite ſequente videbimus.

m) Hieronymus teſtatur, ſe amico cuidam in Hiſpania Baetica ſuam vtriusque teſtamenti verſionem latinam dono dediſſe. Exſtat autem nunc in eccleſia Hiſpalenſi Codex totius Nou. Teſt. literis Gothicis ſcriptus et eccleſiae, vt ex ſubſcriptione patet, dono datus a. 991., quo iam pro antiquo habitus fuit. Ille continet lectiones bonas, v. c. Ioh. VII, 34. non habet *datus:* ſed Rom. V, 14. habet: *qui peccarunt ſicut*

*ficut Adam*, omiffa negatione, quod fauet Pelagianis. Hanc omiffionem damnat Auguftinus: hunc igitur patrem fuum audiant ftrenui huius Cod. defenfores.

§ 12.

Sed veterum illorum pure graecorum exemplarium veftigia cum in fcriptis Doctorum veteris Ecclefiae reftare credantur, qui talibus libris funt vfi; eruditi N. T. interpretis eft, modum eorum indagandorum tenere. In quo difcrimina *aetatum*, *doctrinae*, *librorum*, fingulorum deinde in his ipfis *locorum* videnda funt. Nam illud fua fponte intelligitur, potiorem Graecorum rationem effe habendam, in Latinis autem eorum, quos graecis literis eruditos, et graecos libros tractaffe conftet [n]), vt *Hieronymi*, et perpaucorum aliorum; in caeteris latinae potius verfionis lectiones quaerendas effe.

n) V. c. Hilarius Pictauienfis, qui fua ex Origene haufit. Auguftinus et Ambrofius non nifi mediocriter docti fuerunt.

§ 13.

Primo igitur in promtu eft, vt quisque antiquior fit, ita potiorem ducendum effe. In quo dolendum eft, quod e primis duobus feculis tam pauca monumenta fuperfunt, et in his ipfis tam pauca funt huc pertinentia, quibus

quibus tuto niti possimus. Nam quae primi seculi Doctorum nomina praeferunt, aut manifeste spuria sunt [o]), aut interpolata, vt nuspiam certa fides sit, aut in iis tantum obiter loca, eaque pauca, commemorantur, non interpretandi caussa. Nec multum diuersa est ratio eorum, quae secundi seculi sunt. Nam *Clementis* Alexandrini Hypotyposes, in quibus, auctore *Photio* Cod. 109. loca vtriusque Testamenti tractarat, maximam partem interiere: etsi in caeteris eius libris sunt quaedam, vnde, qualis eius Codex fuerit, nempe iam habuisse quasdam e Scholiis interpolationes, intelligi potest. Iustinus porro pauca, et tantum ex Euangeliis, habet: et Irenaei libri latine modo extant, suntque testimonia e versione latina [p]). v. Millius Proleg. n. 566.

o) V. c. scripta Clementis Rom., Barnabae et Ignatii cum Constitutionibus Apostolorum.

p) Maximam iacturam fecimus interitu libri Irenaei de haeresibus, quo multa Apocalypseos inprimis et secundae Epistolae Petrinae loca erant excitata: fragmenta nunc tantum exstant apud Epiphanium.

## § 14.

In *doctrina* porro videndum est, vt eos maxime amplectamur, qui literis bene instructi fuere, et interpretandae ad grammaticam rationem scripturae operam dedere.

§ 15.

§ 15.

In *genere librorum* principatum tenent Commentarii: in quibus tamen ipsis maxime spectantur loca, quae verba singula interpretantur; vbi sine ambiguitate patet, quid in suo quisque Codice habuerit: nam interdum sententias modo tractant. His autem pares sunt alii, qui dogmata, aut controuersias, aut quascunque quaestiones ad religionem et scripturam pertinentes, tractant, iis quidem in locis, vbi demonstrandi caussa interpretantur verba sacra, aut ex iis ita argumenta ducunt, aut a prauis interpretationibus vindicant, vt sine ambiguitate iudicari possit, quid legerint, aut, quod interdum fit, diserte lectiones veterum Codicum vel commemorant, vel defendunt. In quo genere etiam interdum haereticorum et christianae religionis aduersariorum testimonia, certe ad firmandam veram lectionem, prosunt, vt *Iuliani*, qui v. c. obiicit Christianis, quod Iesum Iohannes vocet λόγον Θεὸν, ap. *Cyrillum* pag. 327. pp) et in Epistolis: item quod a Iohanne Iesus appelletur Deus, quod ad 1 *Io.* 5. *extr.* pertinere omnes vident. Eius generis plura in istis fragmentis Iulianeis ap. *Cyrillum* sunt, quae a viris doctis non animaduersa video.

pp) Vide *Cyrillum* Alexandrinum opp. ed. Auberti t. VI. p. 327. adde opus contra Iulianum lib. X. initio.

§ 16.

Sed hic non vna cautio est: prima, vt, cum in Commentariis textus ipse insertus est, videamus, e Msto editus sit, an ex edito exemplo; velut, in *Oecumenii* Commentarios, satis constat, insertum esse textum ex editione *Erasmi* per Morellium: altera, vt in iis locis, vbi dicta scripturae simpliciter proferuntur, videamus, qua fide editor vsus sit: vtrum ea de Codice antiquo dederit, an ex edito aliquo exemplo: quod non raro factum scimus q).

q) Praesertim seculo decimo septimo, quo in editionibus Patrum Romanis et Gallicis contextus ad versionem vulgatam constitutus est.

§ 17.

Tertia est, ne silentium eorum vel in interpretando, vel in disputando, statim eo trahamus, vt ab iis lectionem aliquam ignoratam, aut non agnitam iudicemus. Nam in interpretando fieri potest, vt aliquid quacunque de caussa transiliamus, certe non enucleatius tractemus; quod non mirum est, esse etiam a veteribus factum. Velut *Rom.* 11, 6. verba, εἰ δὲ ἐξ--οὐκέτι ἐστὶ ἔργον, non interpretatur *Chrysostomus* in Comm. nec alii Graeci, praeter *Theophylactum*. Et tamen *Chrysostomum* ea habuisse in suo libro, patet ex catena Mſ. Augustana, e qua excerpta vid. ap. *Ehingerum* Hist. Eccl. Sec. XV.

XV. p. 672. Aliud exemplum notabile ad *Io*. 5. pertinens vid. apud Cel. *Wesselingium* Disp. ad Marmor vetus p. 19. In disputationibus autem, etiam iis, quae cogitate scribuntur, non semper omnia veniunt in mentem, et saepe elabuntur alias nota et optima. *Chrysostomus* recte vtique legit versum *Rom.* 9, 5. et tamen eo in disputatione adversus Arianos non est vsus. (v. *Millius* ad h. l.) Quamquam tale quid etiam potuit accidere a diuersitate interpretandi. Et sunt plerumque Theologis rata quaedam loca, quibus in disputando vtuntur solis, neglectis aliis, saepe melioribus. [r])

r) Suspectum tamen reddit locum insignem commune multorum silentium, v. c. 1. Ioh. V, 7. qui a nullo Patre graeco excitatur.

§ 18.

Vehementer autem errant, quicunque cum *Whitbio*, *Mastrichto* et aliis, Ecclesiae Doctorum libris simpliciter negant hanc vim, vt varias lectiones, praesertim momentum facientes, suppeditent: cum id tantum concedi possit de locis iis, in quibus obiter ac memoriter afferunt verba sacra; vbi sane saepe non est certum, quid in Codicibus suis habuerint. Nam eos interpretatos esse, quod non haberent in exemplis suis, et inde argumenta duxisse, perabsurdum est credere.

dere. Atque etiam suspectum faciunt textum vulgatum, in quem satis constat, (vid. c. 3. §. 2.) quaedam ab editoribus primis de Commentariis Patrum recepta esse. Denique ipsi, in vindicandis lectionibus, Patrum testimoniis, interdum solis vtuntur; quod frustra facerent, si eorum in hoc genere nulla auctoritas esset. Nec *Irenaei* exemplo bene hic vtitur *Michaelis*, (*de V. L. N. T.* §. 14.) vt ostendat scilicet, lectiones Patrum cedere debere lectionibus Codd. graecorum et versionum [s]). Nam eius liber graece non extat, nec est Commentarius librorum sacrorum. Recte de hoc quoque genere sensit et iudicauit eruditissimus ille noster *Glassius* (Phil. S. L. I. Tr. II. P. I. membr. 3. n. 2.), qui in dissensu Codicum scriptorum e Patrum graecorum explicationibus decerni posse iudicat [t]).

s) Hoc secus esse docet locus Matth. XVIII, 11. in nonnullis Codd. manu exaratis omissus: cuius tamen sinceritas merito vindicatur ex Chrysostomo, Theophylacto et Euthymio Zigabeno, qui illum vnanimes praeferunt.

t) Addimus haec. Vsum criticum habent allegationes Patrum, 1) si ad Codd. prouocant, 2) si adcuratam explicationem subiiciunt, 3) si plura loca parallela proferunt, 4) si loca excitant maiora, quam vt memoria illa complecti potuissent, 5) si eadem loca saepius iisdem verbis laudant, 6) si adhuc confirmantur idoneis Codd. et versionibus.

§ 19.

Haec de vſu *critico*. Sequitur, vt propoſitum eſt, de *hermeneutico*. Ac primum, cum a nobis, in hac inſtitutione, praecepta ſcribantur interpretationis grammaticae: ſua ſponte patet, ad eam maxime vſum ſcriptorum eccleſiaſticorum referendum eſſe: etſi allegoricam rationem non ſpernimus, ſi ſit ſobria et modeſta, ſed ita, vt, quia proprie non eſt interpretatio, vſibus popularibus ſeruiat.

§ 20.

Sed interpretationis literalis, quae ſit erudito homine ac Theologo digna, primum auctorem ac parentem fuiſſe *Origenem*, et ex eius vel ſcholis vel libris, inprimis eo, qui σημειώσεων nomine inſignis fuit, propemodum quicquid boni in hoc genere antiquitas chriſtiana habet, fluxiſſe, per inductionem demonſtratum eſt in Diſp. de *Origene* etc. §. 27. 28. 29. Origenianis tamen quaedam addita ab ſequentium ingenio, doctrina, ἀκριβείᾳ, non negamus.

§ 21.

Nec vero contemnendum eſt totum illud, quod habet ex illa Origeniana diſciplina antiquitas, aut illi ſcriptores prae nouitiis negligendi. Nam primo, quod noſtra

aetas

aetas praecipui et proprii in genere eo boni habet, h. e. quod non ab antiquitate acceptum teneat, id, vt nunc est, non sane nimis multum aut magnum est: saepeque vidimus pro nouis haberi, quae essent antiqua [u]): deinde multa, quae antiquitas recte ex indole graeci sermonis capiebat, a recentioribus, deceptis etiam versionum vel vitio vel ambiguitate, in alium sensum tracta sunt, vt exemplo perspicuo demonstratum est de censu *Luc.* 2. a *Wesselingio* l. c. p. 21. etiam a nobis l. c. et pluribus facile doceri potest.

u) V. c. πίστιν παρέχειν Act. XVII, 31. iam Chrysostomus et Theophylactus explicuerunt, *fidem facere*, quare temere quibusdam noua visa est haec explicatio.

§ 22.

Itaque futuro interpreti cognoscendi erunt non modo Commentarii veterum, ad grammaticam inprimis rationem pertinentes, qui enumerabuntur alio loco, sed etiam ex aliis, velut allegoricis, v. c. Origenis, dogmaticis, elencticis erunt conquirenda, quae prosint interpretationi. In quibus videnda erunt inprimis loca ea, in quibus ex instituto loca difficilia tractantur, vindicantur, aut argumentando ad veritatem capitum doctrinae illustrandam et asserendam conferuntur.

tur. Lutherus quidem Epiſt. T. I. p. 27. recte ait, Hieronymum ſanius interpretari ſcripturas *obiter*, vt in epiſtolis, quam vbi eas tractet de induſtria [uu]).

uu) Iuuat, obſeruationem Lutheri binis exemplis illuſtrare. Matth. VI, 11. ἐπιούσιον *Hieronymus* vertit *futurum*, *craſtinum*, לחם מחור, qua formula Matthaeus ipſe vſus erat. Gal. V, 12. ἀποκόψονται τ. ἐ. περικοπτέσθωσαν egregie explicat Hieronymus: *ſi enim expoliatio* (l. exſpol.) *membri proficit*, *quanto magis abſciſſio*. Longiori interpretatione vterque locus non eget.

## § 23.

Nec erit inutile, inter legendum quoscunque graecos animaduertere, modos loquendi e ſcripturis ductos quomodo vſurparint, ſi inde lux accedere locis ſcripturarum poſſit: cuius generis non pauca notari poſſe, ſupra indicauimus, in quibus vel fruſtra vulgo ſe torquent, vel a vero ſenſu aberrant, et inde in magnas ac ſaepe difficiles diſputationes coniiciuntur. Exempla aliquot poſuiſſe ſat erit. A *Clemente Rom.* Ep. 1. p. m. 53. κανόνα de finibus muneris et prouinciae dici, clarum eſt per φράσιν, idque habet ex 2 *Cor.* 12, 13. μὴ παρεκβαίνων τὸν ὡρισμένον τῆς λειτȣργίας αὐτȣ͂ κανόνα. *Idem* p. 20. verbis: Ἰησȣ͂ς ȣ̓κ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, ȣ̓δὲ ὑπερηφανίας, καίπερ δυνάμενος,

*νάμενος*, *ἀλλὰ ταπεινοφρονῶν*, explicat *Phil.* 2, 6. 7. v) *Cyrill. Hierosl.* Cat. XI. p. m. 222. *extr.* *τί ἐστιν ἕτερον γινῶσκον τὰ βάθη τοῦ θεοῦ*, 1 *Cor.* 2, 10. vnde patet, in verbo *ἐρευνᾷν* nullam emphasin esse ab eo quaesitam, quae nec ibi est: pro eoque *Clemens* l. c. p. 52. *ἐγκύπτειν· ἐγκεκυφότες εἰς τὰ βάθη τῆς θείας γνώσεως*; vnde et patet, *τὰ βάθη τ. θ.* accepta esse de Euangelio, in quo est *μυστήριον θεοῦ*, arcana olim voluntas Dei de salute hominum: bene *Cyrillus* idem Catech. XVI. p. 429. *συγκρίνειν* pro *interpretari* ex 1 *Cor.* 2, 13. quod non intellexit interpres *Preuotius*, et aliis locis plura. *Epist. Concil. Ephes. ad Imp.* in *Actis* p. 296. ed. *Comm.* *μετὰ πάσης ἐθελοθρησκείας ἐπέμψαμεν*, *summo pietatis nostrae erga te studio*, ex *Coloss.* 2, 23. add. *Frommanni* V. C. obs. ad N. T. e Clemente Romano.

v) Idem Ed. Helmstad. p. 42. vbi homo a Deo factus adpellatur *τῆς εἰκόνος αὐτοῦ χαρακτήρ*, quod illustrat Hebr. I, 3.

## § 24.

In quo tamen vitia duo cauebuntur: primum, ne in alteram partem peccemus, et nullam interpretationem probandam putemus, quae non ab illis Doctoribus tradita sit: quod velle videntur ii, qui nihil noui in interpretando reperiri posse defendunt: alterum,

alterum, vt inconſtantiam vulgarem vitemus, quae, vt cum ſuis ſententiis conſentit antiquitas, nec ne, ita aliquid, quod illi ignotum fuerit, vel probandum vel improbandum decernit. v. Cel. *Weſſelingii* Diſp. ad Marmor vetus de P. Sulpicii Quirini cenſu p. 21. 22.

---

CAP.

# CAP. VI.

## *De variis Lectionibus, earumque caussis, fontibus, iudicio et delectu.*

§ 1.

Traditis iis, quae ad vsum Codicum scriptorum, et editorum, Versionum et librorum veterum ecclesiasticorum pertinebant, sequitur, vt praecipiamus de varietate lectionis, quae, illis non recte cognitis, recte tractari, et ad vsum conferri non potest x).

x) Formanda est simul in hoc capite theoria criseos sacrae, quam, qui curas *Semleri*, *Michaelis*, *Griesbachii*, *Hugii* (Einleit. I, 437.) aliorumque noverint, facilius effingere poterunt. Quasdam observationes, quae huic theoriae formandae inseruire fortasse queant, suppeditare conabimur.

§ 2.

Si archetypa apostolicorum librorum exempla restarent, aut vnus tantum Codex graecus manu scriptus ex omni antiquitate superesset, nihil porro vel Versionum, vel Commentariorum; nulla sane vel paucissima lectionis

lectionis varietas foret: quorum illud ſine plurimis et maximis miraculis fieri non potuit, hoc ne optari quidem ſine dementia poteſt: re vera optàre videntur ii, qui variis lectionibus infeſti ſunt: cuius generis, inde ab *Eraſmi* aetate vsque ad hoc tempus, propter inſcitiam rei criticae, permulti fuere.

## § 3.

Nunc cum horum librorum plures Codices ſcripti ex diuerſis aetatibus extent, eorumque plerique temporibus parum bonis, aut ab hominibus parum peritis graecae linguae ſcripti; quippe etiam feminae (*Euſeb.* VI, 3.) et latini ſcribae Codices graecos ſcripſere: cum tot porro Verſiones antiquae, tot antiquorum Commentarii exſtent, in quibus eorum librorum verba tractentur, tot denique editiones: maior lectionis varietas in iis extiterit neceſſe eſt, quam in vllo libro humano. In quo nihil eſſe, quod integritati eorum obſit, ſupra demonſtratum eſt. [y])

y) Iam tempore Clementis Alexandrini exſtabant variantes lectiones: ille enim 2. Cor. V, 3. duplicem lectionem commemorat, *ἐνδυσάμενοι* et *ἐκδυσάμενοι*. Oecumenius, qui ſua hauſit ex antiquis 1. Cor. XV, 5. teſtatur, legi in Codd. quibusdam *οὐ* ante *ἀλλαγησόμεθα*, et ſupprimi ante *κοιμηθησόμεθα*.

§ 4.

§ 4.

Itaque non modo impiorum, vt Atheorum et Deistarum, criminationes repudiandae, sed etiam imperitia recte de diuinitate eorum librorum sentientium repellenda, ne impietati istorum aliud agendo seruiatur. In quo genere maxime est acerrimus ille *Millii* accusator *Whitbius*: qui in toto hoc argumento perinepte versatus est, et, quantum in ipso fuit, scepticismum induxit, mire gratum Pontificiis. Quo magis etiam mirandum est, eius librum ac conatum vulgo etiam bonis viris probatum fuisse, omninoque, vt bene cel. *Pfaffius* ait, in hac literarum luce homines talia contra Millianam varietatem, et lectionum variarum multitudinem effutire potuisse, ac non potius cum *Bengelio*, viro docto et pio, agnouisse, a *Millio* Ecclesiam inaestimabili beneficio affectam esse, quod etiam ab ipso et aliis auctius factum sit. Sed lux literarum non est eadem vbique [z]), certe non erat tum in Critica sacra, quod ad initia huius seculi mere dogmatico - scholastica fuit, parum illa literata.

z) Vid. *Griesbachius* Praef. ad N. T. ed. 2. Vol. I. pag. XXXIII. seqq. Neque enim nostrae aetati desunt *Whitbii*, qui bonis seuerisque Criticis inuidiam conflare, suaeque rei criticae imperitiae calumniam dogmaticam praestruere conentur.

§ 5.

§ 5.

Sed varietatis huius, vt ex dictis apparet, *fontes* ſunt *quatuor*. Primus eſt *Codicum ſcriptorum*, alter *Verſionum antiquarum*, tertius *Doctorum Eccleſiae veteris*, quartus *editorum librorum*. De quibus ſingulis quando neceſſaria praecepta tradidimus, nihil addendum hoc loco videtur.

§ 6.

Varietatis, quae a Codicibus venit, plures cauſſae ſunt. Prima et latiſſime patens eſt in *librariis*, eorumque negligentia et inſcitia. Nam dum dictantes male aut literas pronunciant, aut diuidunt verba ac legunt, ſcribentes vero male excipiunt dictata, aut porro exemplum quamuis rectum male deſcribunt, omittentes verba, transponentes, diuidentes, coniungentes, omninoque male legentes, non intellectis notiora ſubſtituentes, gloſſas, item Scholia textui inſerentes, id quod mature factum Clementis Alex. exemplo conſtat; vitia intulere textui plurima, et locum varietati lectionis fecere [a]). Quae qui latius explicata et illuſtrata videre velit, ei adeundi ſunt *Clericus* Art. Crit. P. III. Sect. I. *Pfaffius* de Var. Lect. N. T. c. 9. qui hauſit e Clerico, et omnium diligentiſſimus *Michaelis* in eiusdem argumenti libello §. 3. ſqq.

a) Plures varr. lectt. fontes facile aperire poterit, qui verſatus eſt in tractandis Codd. manu exaratis.

§ 7.

## § 7.

Altera est in *correctorum* inscitia et temeritate, de qua etiam *Origenes* queritur ad *Matth.* c. 19. Hi enim interdum, quae non intelligebant, quae obscuriora, duriora, superuacua, perturbata, omissa, denique regulae doctrinae non consentanea, sed haereticorum opinionibus apta videbantur, ea mutare, corrigere, interpretari, atque ita textum varie interpolare ausi sunt b): ex quo genere in primis fuere latini, qui adeo graeca exempla e latinis interpolauere, vt supra dictum. Vide de his late *Pfaffium* c. 10. *Michaelem* §. 7.

b) Matth. XXVII, 16. 17. legebatur Ἰησοῦς Βαῤῥαβᾶς. Hic deletum est nomen Iesu, *ne conueniat alicui iniquorum.* Marc. XI, 32. pro ἐφοβοῦντο Grammaticus male sedulus ponebat φοβοῦμεν. I. Tim. IV, 3. male interponebatur κελευόντων. I. Tim. V, 5. χήρας. Alia additamenta vide Matth. XX, 28. Marc. XVI, 8. 14. Luc. VI, 5. omissiones Matth. VI, 13. XVI, 2. 3. Marc. XVI, 9—25. Luc. XXII, 42. 44. Ioh. VIII, 1—11.

## § 8.

Accessit *haereticorum et impostorum* impietas, quae tamen omnium minime obfuit, nimis incurrente in oculos impudentia deprauationum c). v. *Millius* Prol. n. 306. f. *Pfaffius* c. 11. Atque etiam, qui, de more veterum,

veterum, Codices instruxere glossis inter versiculos, aut in margine scriptis, ad vsus minus doctorum, aut suos ipsorum, non malo consilio, nec vt ea, quae adscripsissent, in textum reciperentur, variis lectionibus fingendis locum fecere, dum eae per inscitiam in textum recipiuntur: quod mature factum claris testimoniis doceri potest.

c) Haec antiqua vox est. Sic Marcionem legi Mosaicae inimicum mutauisse in sensum contrarium Matth. V, 11. testatur Epiphanius. Vid. *Millii* Prolegom. §. 328—360.

## § 9.

Est autem *lectionum aestimandarum* non idem *modus*. Nam vel in se spectantur, vel e fonte ponderantur. Cum in se spectantur, vel *grauitas* lectionis, vel *bonitas* aestimatur. Nam vt minutias particularum, articulorum, pronominum et ordinis verborum mittamus, quaedam sunt plane et omni modo, verbis et sensu, pares; quaedam autem sensu tantum, cum in altero verbo sit aliquid elegantius aut exquisitius; quaedam denique plane diuersum sensum fundunt, vel diuersitate verborum, vel additione aut detractione aliqua. d)

d) Exempla cuiusuis ordinis sunt, 1) Luc. I, 42. alii Codd. habent *ἀνεφώνησε*, alii *ἀνεβόησε*, 2) Hebr. IX, 12. alii Codd. legunt *εὑρόμενος*, alii exqui-

exquisitius, εὑρἁμενος, 3) Rom. IX, 5. quaedam membranae habent ὅς, quaedam Θεός.

§ 10.

*Bonitas* porro partim *verborum* est, partim *sententiae*. Nam meliorem lectionem dicimus, quae est grammatice vel rhetorice rectior et elegantior, certe exquisitior. In N. T. bonitas etiam hebraismo censeri debet [e]). Sed maxime iudicatur sensu ad consilium scriptoris, ad sententiam totius loci, ad legem doctrinae et ad veritatem accommodato [f]). Sic 1. *Tim.* 3, 16. meliorem caeteris dicimus lectionem Θεὸς, non tam quia dat argumentum pro diuinitate I. C., sed quia cum contextu melius, sola satis consentit, et est grammatice rectior.

e) Sic Matth. V, 47. ἀδελφοὺς melior lectio est, quam φίλους, v. 10. δικαιοσύνη melior, quam ἐλεημοσύνη, Hebr. VIII, 11. πλησίον melior, quam πολίτην: omnes ex hebraismo.

f) Adde et hanc regulam, qua *Bengelium* saepius vsum videmus: illa lectio bonitatis notam prae se fert, ex qua reliquae discessiones oriri poterant.

§ 11.

Cum e *fontis natura* aestimantur lectiones, genera singula sic fere *comparantur*, vt quae e Codicibus graecis, antiquis et non interpolatis sunt, in dissensu plus momenti faciant

faciant iis, quae de Codicibus vel recentioribus, vel interpolatis e latina versione, quamvis antiquis, ductae sunt [g]): item, quae *de versionibus* antiquioribus et e graeco factis recte sumuntur, h. e. vbi euidens est, quid interpres in textu habuerit, praeferuntur iis, quae de versionibus versionum [h]).

g) Vbi ad testes prouocatur, notandum est, debere 1) respici ad aetatem testis; 2) explorari illius ἀξιοπιστίαν, quoad eius fieri potest, omni ex parte; 3) ponderari consensum testium.

h) Ante omnia itaque critica face illustrandus est contextus versionum, priusquam in subsidium vocentur, id quod in plerisque adhuc desideres.

## § 12.

Lectiones porro *Doctorum veteris Ecclesiae graecae*, quae sunt e Commentariis, Scholiis, aut locis iis, vbi dictum aliquod explicatur, aut ad haereticos refellendos adhibetur, denique vbi diserte ad Codices prouocant, recte praeferuntur iis, quae oriuntur e simplici et obiter facta commemoratione alicuius dicti. Variae autem lectiones e Latinis, si ab *Hieronymo* et paucis aliis, qui graeca calluere, discesseris, Italicae potius aut Hieronymianae versionis, quam graeci textus varietates sunt.

§ 13.

§ 13.

*Editionum* denique varietates non editionum fama, sed fonte aestimantur, e quo in editionem quamque venere, h. e. Codicibus, versionibus, et Patrum locis. Nam ex his esse concinnatum textum editionum, supra dictum est. Itaque editiones N. T. per se nullum momentum faciunt in iudicando.

§ 14.

Ita ergo singula genera aestimantur. *Genera* autem *vniuersa* sic comparantur, vt *primum* locum obtineant lectiones Codicum graecorum non interpolatorum, inprimis consentientium [i]); nam ita in omni critico genere iudicamus. Patrum deinde graecorum de primo genere, et *Hieronymi*, et similium; nam et in libris humanis dissentientibus exemplis scriptis et editis e testimoniis v. c. Grammaticorum decernitur. *Secundum* tenent versionum antiquarum e graeco ductarum lectiones, vbi planum est e perspicua lectionis bonitate, aberrationem non esse a vitio interpretis [l]); quae etiam interdum primi ordinis vim assequuntur. In *tertium* denique, velut in subsidia, reiiciuntur caeterae, quae e Codicibus de latino interpolatis, item recentibus, versionum

ver-

verſionibus, et meris citationibus Patrum ducuntur.

i) In diſquiſitione de conſenſu Codicis cum aliis teſtibus ἀξιοπίστοις videbimus; 1) qualem recenſionem ſequatur, eamque vel mixtam, vel puram? 2) num bonarum lectionum, quas continet, numerus antecellat numerum malarum et futilium?

l) Adde et hoc: vbi planum eſt, verſionem antiquam recenſionem exprimere.

§ 15.

Nec mirum videri debet, Patrum antiquiorum teſtimonia, qualia deſcripſimus, itemque verſionum quaedam aequari Codicibus librorum ſacrorum ipſis, interdum etiam praeferri, cum Codices, quibus illi vſi ſunt, et e quibus verſiones antiquae illae factae ſunt, antiquiores fuerint, plerumque etiam accuratius caſtigati, omnibus his, quos nunc habemus [m]). Et ſupra oſtendimus, puritatem Codicum noſtrorum non certius, quam conſenſu cum Patribus graecis antiquioribus iudicari.

m) Sicut in literatura graeca ad emendandos tragicorum aliorumque libros adhibentur Stobaeus, Athenaeus, Pauſanias, ita in N. T. Patres.

§ 16.

His ita conſtitutis, reliquum eſt, vt *vſum*

*vari-*

*variarum lectionum*, atque ita totius Apparatus Critici, per hoc et superiora capita propositi, et necessariis obseruationibus, siue Canonibus, vt vocant, instructi, demonstremus. Est autem vsus duplex: alter *criticus*, alter *hermeneuticus*.

§ 17.

*Criticus* cernitur in *lectionum delectu* faciendo: qui tanto diligentius et modestius fieri debet, quo maiorem sanctitatem habent libri, de quibus agitur, eamque ob caussam etiam reverentiam maiorem iure suo postulant. Quo magis diligenter scriptis Canonibus debet gubernari.

§ 18.

Hoc genus Canonum est superuacuum de sententia eorum, qui a lectione vulgata omnino negant recedendum [n]). Sed hi partim non intelligunt, quid dicant: nam, quae recepta sit lectio, vix possint dicere; nisi vero Elzeuirianae illius editionis lectionem intelligant, quae per inscitiam vulgata facta est: partim homines, et eos quidem, quos etiam numerant in haereticis, ἀναμαρτήτους faciunt; a quibus quaedam, etiam de mera coniectura, e versione latina, vbi non debebant, in textum recepta esse, supra

monuimus, et exemplis pluribus demonſtrat *Bengelius* pag. 436. 437.

n) Ab antiquis placitis recedere in omni fere diſciplina religioni ſibi duxerunt ingenia imbecilla et mediocria. Quis itaque mirabitur, theologos, auctoritatis vi abripi ſolitos, inueteratos errores etiam in re critica N. T. defendiſſe? Qualem v. c. ſenſum fundat lectio εὐσεβείᾳ Act. III, 12. etiamnum in optimas editiones recepta? Reduci debet ἐξουσίᾳ ſuadente *Semlero*: vt de aliis locis taceamus.

§ 19.

Eſt autem hoc genus Canonum ſcribendorum ſane perdifficile; nec vllus Canon ſcribi poteſt, qui vniuerſe valeat, et non habeat magnas in vſu cautiones. Quod fit non modo ipſa huius criſeos natura, quae verſatur in rebus non neceſſariis, ſed etiam natura rerum, et dictionis a ſcriptoribus ſacris vſurpatae. °) Nam quo magis haec a Grammaticorum vulgaribus legibus recedit, hoc minus poteſt ad eas leges ſeuere iudicari.

o) In Cicerone propter ἀκρίβειαν rhetoricam facilius Critice exerceri poteſt, quam in Plinio, et confidentius in Thucydide et Xenophonte, quam in Polybio. Multo difficilius eruitur in N. T. vera lectio propter dictionem hebraizantem, diuerſam et mixtam.

§ 20.

Itaque nonnulli Canones critici, quibus in

in caeteris libris vtimur cum fiducia, conversi interdum sunt in his: v. c. is, quem certissimum putant, vt e duabus lectionibus, quarum altera grammatice rectior et exquisitior sit, altera vulgaris et grammatica aestimatione deterior, illam praeferamus.

§. 21.

In his autem Canonibus scribendis etsi haud facile est, aut omnia complecti, aut omnibus satisfacere; quaedam tamen diligentius, quam vulgo factum est p), sanciri possunt ac debent: vt ostendimus in Disp. de Difficult. Interpr. Gramm. N. T. §. 8. 9. Rem igitur tentabimus omnem paucis obseruationibus complecti, quibus adiuti modesti ac diligentis Critici munere fungi possimus.

p) In canonibus criticis *Mastrichtii* (ante suam N. T. Edit.) et *Pfaffii* (de varr. lectt. N. T.). Meliores suppeditant *Wetstenius*, *Semlerus*, *Griesbachius* et *Hugius*.

§. 22.

Primum igitur in lectionibus variis distinguemus *antiquitatem*, *bonitatem* et *veritatem*, sic, vt veram iudicemus nullam, quae non sit eadem antiqua et bona, sed non contra omnem antiquam aut bonam statim etiam veram. Sunt enim interdum plures lectiones antiquae et bonae, quae tamen

pariter verae esse non possunt: quippe seculo iam secundo variae lectiones extitere, et interdum nec Doctores veteris Ecclesiae decernere audent, sed malunt vtramque explicare, vt *Chrysostomus* 2 *Cor.* 5, 3.

§ 23.

Caeterum si vna antiqua et bona est, vt *Act.* 17, 26. προτεταγμένυς, *Gal.* 5, 7. ἐνέκοψε etc. recte praefertur caeteris: si pariter antiquarum alterutra melior, vt Θεὸς 1 *Tim.* 3, 16. *ibid.* 5, 21. πρόκλισιν, haec sequenda; et e pluribus aeque bonis antiquior deligenda est, vt 1 *Tim.* 6, 5. διαπαρατριβαί.

§ 24.

In lectionibus pariter antiquis et bonis veritas iudicanda est partim e libris, partim ex obseruationibus grammaticis. E libris primum secundum gradus comparationis §. 11. 12. 14. constitutos: e grammaticis obseruationibus fere in hunc modum.

§ 25.

Quae lectio est difficilior, rarior, et exquisitior, vt *Eph.* 1, 11. ἐκληρώθημεν, et prima specie minus recta, vel sententia, vt *Matth.* 5, 22. ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ, et

*Io.*

*Io.* 7, 39. ἔπω γὰρ ἦν πνεῦμα, vel 1 *Cor.* 8, 7. συνειδήσει, cum libri plures habeant συνηθείᾳ, quod facilius explicatur; item forma grammatica, vt *Marc.* 12, 28. εἰδὼς, pro ἰδὼν, *Gal.* 5, 14. ὡς ἑαυτὸν, pro σεαυτὸν, 1 *Theſſ.* 4, 9. ἔχετε, pro ἔχομεν, ea praeferenda planiori, vulgatiori et rectiori: quod in illa correctionis a librariis tentatae caussa eſt, in hac nulla. Ita bene etiam *Gerhardus* noſter iudicat LL. Theol. de resurrect. §. 117. ſecutus *Eraſmum* ad 1 *Cor.* 15, 51. qui ex hac obſeruatione defendit lectionem graecam.

## § 26.

Quae lectio eſt auctoris cuiusque conſuetudini ſcribendi conuenientior, ea potior videri debet. Itaque ſi in his N. T. ſcriptoribus altera eſt hebraizans, anteponi debet bene graecae, quod haec gloſſae notam habet, a Graeco profectae, non illa. q)

q) Ep. Iud. I. ἡγιασμένοις potior lectio eſt prae ἠγαπημένοις, quia prior ſcriptura magis conſentanea eſt conſuetudini Apoſtolorum in ſalutationibus et initiis Epiſtolarum. Act. XVII, 26. lectio ἐξ ἑνὸς αἵματος praeferenda eſt alteri ἐξ ἑνὸς, quamuis haec occurrat Rom. IX, 10. prior enim magis eſt hebraizans.

## § 27.

Si e duabus lectionibus Codicum graecorum

corum antiquis et bonis altera consentit cum Patribus graecis et versionibus antiquis, haec deligetur. §. 14. 24. qq)

qq) Matth. V, 22. εἰκῆ non legitur in cod. B. 48. et 198. Adstipulantur *Iustinus* M. (apol. I. §. 20. p. 24. Thirlb.), *Tertullianus* (apol. adu. gentes c. 45.) et *Hieronymus*, qui *sine causa* in antiquis non legi diserte testatur. Quidni eiicimus vocem ὑποβολιμαίαν, ab oratione contexta alienam, et ab *Eichhornio* recte damnatam?

§ 28.

Omnino autem cauendum, ne in iudicio hoc nimis tribuamus libris, praesertim vni aut alteri r), cui ob aliquam caussam praecipue faveamus: quod fit, cum eos solos spectamus, neglectis obseruationibus grammaticis et consuetudine scribendi scriptoris cuiusque: neue solis his fidamus, neglectis libris: quod sine libris fallere possunt, et potest aliquid bene consentire grammaticis obseruationibus, nec tamen verum esse. In vtroque genere saepe a doctissimis viris peccatur.

r) Sic *Grotius* et *Bengelius* nimiam auctoritatem tribuerunt codd. A. et B., *Kiplingius* cod. D., *Matthaei* testimonio Chrysostomi et codd. Mosquensium.

§ 29.

Itaque non dubitabimus interdum, si res

res et ſententia, et obſeruationes grammaticae poſtulabunt, conſenſum antiquarum verſionum et Patrum praeferre Codicibus graecis, vt omnes editores fecere, etſi non ſatis caute, fecitque in verſione *Lutherus*, aut Codices recentiores antiquioribus. Nam hac lectiones poſſunt ex antiquis et bonis Codicibus ortae eſſe.

## § 30.

Caeterum quoniam totum hoc iudicium non nimis ſaepe plena euidentia nititur, ſed ſaepe coniectura et ἀγχινοία quadam vertitur, modeſtia eſt vtendum in iudicando, quae etiam lapſus noſtros excuſatiores faciet [s]). Ac de vſu lectionum variantium critico ſatis dictum eſt [t]).

s) In re critica veritas vnico, minimo ſaepius, puncto nititur, quod oculos facillime effugere poteſt. Quo magis, noſtra etiam aetate, vrbanitas commendanda eſt criticis, vt modeſtia ſe a quouis ſuperari patiantur.

t) Adde regulas ſequentes: 1) Codices, Verſiones et Patres, quae vnam recenſionem ſequuntur, vnum teſtem ſolummodo conſtituunt: 2) lectio, quam omnes recenſiones praeferunt, eſt veriſſima: 3) in diſſenſu recenſionum illa lectio eſt probabilior, quam optimae editiones antiquae commendant: 4) auctoritas recenſionum conſtituitur bonitate lectionum in vniuerſum cum aliis libris MSS. conferenda et eruenda. Sic v. c. Alexandrina melior eſt occidentali,

quae

quae tamen bonis lectionibus non caret: 5) lectiones in nulla recensionum antiquarum olim obuiae nulla, plurimorum licet, Codicum iuniorum auctoritate defendi possunt.

§ 31.

Etsi autem optabile est, vt rationes omnes, propter quas delectus in alterutram partem fieri debeat, concurrant; tamen, quoniam id non nimis saepe contingit, plures caussae grauioresque valebunt. In quo sane praecepta non sufficiunt. Sed etiam exercitatio quaedam consuetudoque capienda, vt boni quasi ratiocinatores esse possimus, et addendo detrahendoque videre, quae reliqui summa fiat, ex quo, quid potius sit, intelligatur. In quo etiam lectio eorum proderit, qui talia accurate circumspecteque tractarunt.

§ 32.

Est vero etiam vsus aliquis variantium lectionum, qui interpretationem atque Theologiam videtur attingere. Nam interdum Interpretum veterum et recentiorum, itemque disputationum theologicarum rationes intelligi, et vel defendi excusarique, vel refelli non possunt, nisi, quam lectionem secuti sint, scias [u]).

u) Sic Patres latini ex 1. Cor. XV, 51. vniuersalitatem

litatem resurrectionis adseruerunt ex lectione: *omnes obdormient*. Sine notitia varietatis lectionum ne Lutheri quidem versio intelligi et vindicari potest, v. c. 2. Petr. II, 13. vbi pro ἀπάταις legit ἀγάπαις, *von euerem Allmosen*, quod etiam praefert *Griesbachius*. Conf. adhuc Hebr. IX, 14. cum vers. Luth.

§ 33.

Quo magis vtilem operam nauarunt, qui varias lectiones ex iis, quos indicauimus, fontibus collegere. Cuius rei initium, quod quidem commemorari debeat, (nam et ante in Correctoriis biblicis res coepta) factum a *Laur. Valla*, collatis tribus Codicibus graecis, quibus ad latinam versionem emendandam vteretur: quod spectauit et *Fr. Lucas Brugensis*. Auxit id studium, graeci textus edendi, et singulas editiones noua aliqua dote augendi cupido, inde ab *Erasmo*, qui primus varias lectiones addidit in notis, et *Roberto Stephano*, in ed. a. 1550. Sed maxime incensum est eius rei, omninoque criticae huius studium per *Curcellaeum*: non quod ipse aliquid in eo genere fecerit, quod esset eximium, quamquam superiores, qui post *Stephanum* fuere, longe superauit: sed quod primum eius editio *Fellum* impulit ad adornandam editionem nouam, quae variis lectionibus instructa esset, Oxon. 1675. repetitam a *Io. Gregorio*, 1703. et ad *Millium* incitandum, vt ad magnum illud opus molien-

moliendum accederet; deinde quod, cum Theologis videretur in lectionibus variis fauisse Socinianis, et in eorum gratiam lectiones ex ingenio finxisse, Codices diligentius conquisiti et inspecti sunt, atque etiam de rebus criticis diligentius disputari coeptum est, adiuuante etiam tempore, quo res critica vniuersa diligentius tractari coeperat. v)

v) Vid. *Wetstenius* Proleg. p. 170. Adde curas *Michaelis*, *Semleri*, *Griesbachii*, *Birchii*, *Alteri*, *Matthaei* aliorumque.

§ 34.

Principatus in hoc genere haud dubie debetur *Io. Millio*, qui triginta annorum labore confecit opus, quod *Oxonii* 1707. f. primum prodiit, textum Elzeuirianum s. Curcellaeanum exhibens, cum 30000. lectionum variarum, et Prolegomenis historico-criticis eruditissimis. Quod etsi non est sine peccatis, vel ab opinionum temere susceptarum errore, vt quod versioni Italicae et Codicibus ex ea interpolatis plus iusto tribuere videtur, vel ab imbecillitate humana, subinde Codicibus male designatis et Patrum locis et versionibus falso prolatis: tamen merito a *I. A. Fabricio* admirandae industriae et iudicii opus vocatur. Nam quod in Prolegomenis saepe aliter de lectionibus iudicat, quam in notis, id vtentibus qui-

quidem incommodum, caeterum laudi est viro, qui, lecto interea, dum opus excuditur, Simoniano Historiae criticae opere, cum de multis rectius didicisset iudicare, in Prolegomenis ingenue iudicium suum retractauit. *Whitbianum* autem huius operis *examen* etsi imperitis rei criticae probatum fuit, captis titulo libri, profitentis, *lectionem textus hodierni* (i. e. iudicium *editoris Elzeuiriani*, aut *Curcellaei*) *in omnibus defendi posse;* tamen peritis nec professione illa, nec ratione vniuersa, probatur, et decreta sua factis tollit. vid. supra §. 5. c. V. §. 16. IV. §. 29. Ad *Whitbii* autem rationem factos Canones *Mastrichtianae editionis*, comparatio facile docet.

§ 35.

Sed hoc opus vel auctum vel expolitum est praeclare a tribus, *L. Kustero*, *I. A. Bengelio*, et *I. I. Wetstenio*. Nam *Kusterus* in repetitione Millianae editionis duodecim Codicum graecorum excerpta addidit, melius etiam de illa meriturus, si minus festinans, vitia operarum ne repeterentur, cauisset, et notas e Prolegomenis vbique vel correxisset vel auxisset.

§ 36.

*Bengelius* porro in Apparatu Critico non

non modo quindecim Codd. lectiones primus edidit, sed et aliorum ab aliis editas adiunxit, cum multis earum, quae e versionibus et libris Patrum ductae sunt, supplementis, laudem diligentiae, et in tota illa caussa modestiae, meritus. In summa iudicii de lectionibus deligendis non probatur, quod normam delectus maxime fecit Alexandrini Codicis et latinae versionis consensum, non animaduertens, id quod erat in promtu, in tanta lectionum similitudine, Codicem illum ex hac interpolatum esse. Cui addiderim, quod, contra sua praecepta, in iudicando obseruationibus grammaticis ac bonitate lectionum minus, quam debebat, vtitur, et contra eas saepe male decernit e solis libris, (vid. §. 23.) praesertim iis, quos ante diximus. Velut *Eph.* 5, 9. praefert καρπὸς φωτὸς, cum aliis, nixus solis latinizantibus Codd. et latinis auctoribus maxime, non cogitans, καρπὸς φωτὸς frigide dici, et contra consuetudinem diuinorum librorum, eamque ob caussam et consulto a Paulo mutatum tropum, et καρπὸς πνεύματος dictos. Sed ille omnino satis graece doctus non fuit [x]). In variis etiam lectionibus praetermisit, quae non debebat: vt alia mittamus. Repetitus est Apparatus eius Criticus a. 1763. additis libellis variis eristicis: in quo nec auxit sua e *Wetstenio*, *Blanchino*,

*Saba-*

Sabatierio et aliis, nec iudicium de Codice Alex. mutauit.

x) Neque etiam, profanae literaturae praeſidio deſtitutus, iuſtas de genealogia Codicum habuit notiones. Viris admiſſa rarius retractauit in gnomone, caſtigatus propterea a *Wetſtenio*, *Wolfio* et *Baumgartenio*.

§ 37.

*Wetſtenius* denique multorum annorum magno labore Codices plures et antea non collatos excerpſit, alios denuo contulit, verſiones et loca Patrum inſpexit, et ſuperiorum lapſus ſaepe correxit, vſum lectionum, deſcribenda Codicum indole, et aetate vtcunque definienda, paratiorem reddidit, atque hac ex parte caeteris palmam eripuit: in iudicio lectionum vniuerſo praeter caeteros probandus, quod id ad Codices pure graecos et non interpolatos e latina verſione, Patresque graecos veteres maxime dirigit y); in locis ſingulis illici ſe in fraudem paſſus eſt a cupiditate adiuuandae ſententiae ſuae de I. C. diuinitate. Quo nomine merito reprehenſus eſt a Cl. *Venema* in Exerc. *de vera diuinitate Chriſti*, et a nobis in *Caſtigationibus Wetſten.*, in quibus et alia notauimus, quae in hoc labore deſiderari iure poſſint. Reprehendendus eſt et in hoc, quod Varietatem Lectionis Vaticani Mſ. vt haberet et insereret, non curauit.

y) Ne-

γ) Neque hoc merito fraudandus, quod coniecturis parum, aut nihil tribuit. Momenta versionum vero, orientalium inprimis, saepius e translatione latina aestimat; in excitandis Patrum locis saepius labitur, subindeque sententias profert a festinantiori indicio conceptas, v. c. ad Ioh. VIII, 1—11.

## § 38.

Sed quidam etiam separatim edendis Codicum vel singulorum vel plurium lectionibus operam nauarunt, quos omnes commemorare non est necesse. *Velesius* autem, cuius Excerpta XVI. Codd. in *Cerdani* Adversar. S. c. 91. edita sunt, ne bona quidem fide egisse videtur, cum lectiones varias dedit, non modo non commemoratis nominatim ac descriptis Codicibus, e quibus hausit, sed etiam sub illo generali Codicum nomine abscondenda, vt videtur, fraude, quae hoc agebat, vt Vulgatae auctoritatem stabiliret. Res ipsa autem docet, non modo e manuscriptis Florentino Concilio posterioribus, et ad Vulgatam refictis, vt *Mariana* iudicabat praef. ad Schol. V. et N. T. sed etiam e latinis ductas esse, vt *Wetstenius* demonstrauit. add. *Michaelis* V. Cel. §. 87. Nec *Caryophili* lectiones, a P. *Possino* ad calcem Catenae in Marcum editae, multum prosunt, cum Codicum indoles ignota sit, immo pateat, e latina interpolatos fuisse, cuius etiam stabiliendae consilium *Caryo-*

*philo*

*philo* fuit: (v. *Bengel.* App. p. 439.) quamquam interdum praefert lectionem ab latina diuersam, et id faciendum indicat, quoties maior Graecorum numerus consentiat. Caeterum in iis esse etiam lectiones Codicis Vaticani, excerptas ad vsum eorum, qui editionem N. T. ad exemplum Sixtinae V. T. graecis auctore Vrbano VIII. moliebantur, et e literis viri docti Romae didici, et ex eo intellexi, quod omnes lectiones, quas e Cod. illo memoratas reperi, inesse vidi.

§ 39.

Caeterum cum ex iis, quae de variarum lectionum collectoribus tradita sunt, appareat, quantum erroris in delectu obiecerint viris doctissimis opiniones temere susceptae vel de Codicibus ipsis, vel de versionum quarundam, vt Italicae, vt Vulgatae, auctoritate, vel denique de religionis ipsius dogmatibus: nihil magis cauendum est iis, qui in hac re velint recte atque ordine versari, quam ne tali aliqua opinione imbuti ad iudicandum accedant.

§ 40.

Id vitabimus, si, quae de quoque variarum lectionum fonte tradidimus, bene percepta habebimus, et in iudicando omnia ad praecepta delectus faciendi referemus, nec

fuſcepta aliqua opinione de lectione loci cuiusquam, quid ad eam firmandam valere poſſit, quaeremus, ſed omnibus momentis ad regulas ponderatis, tum demum, quid ſequendum ſit, indicabimus.

§ 41.

Nec oportet exiſtimare, omnia iam exhauſta, omnia accurate notata, nec quicquam noſtrae diligentiae relictum eſſe, ſed omnia explorare, et in legendis veterum et recentiorum libris attendere, ſi quid, ad hanc rationem pertinens, occurrat, idque ſuis locis notare [z]). Nos quidem permulta ab ſuperioribus vel praetermiſſa, vel non animaduerſa, aut perperam tradita obſeruavimus. Sed ſatis multa, ac fortaſſe nimis multa, de hoc genere diximus: ad ea, quae reſtant ad interpretandi vſum, veniamus.

z) Ablegamus lectores ad Matth. V, 22. VI, 13. Marc. XVI, 9—20. Luc. I, 66. II, 22. Ioh. XVIII, 1. Act. II, 30. III, 12. VIII, 37. X, 33. XI, 20. XIII, 18. XVII, 26. XVIII, 5. XX, 28. XXIII, 9. Rom. VIII, 33. ff. X, 16. 1. Cor. III. 4. vt intelligant, quid in locis iſtis rectius conſtituendis et interpungendis adhuc praeſtandum reſtet?

---

CAP.

# CAP. VII.

## *De Vſu Verſionis LXX. Vet. Teſt. et fragmentorum Aquilae, Symmachi etc.*

### § 1.

In quibus primum locum tenent Graeci hebraicorum V. T. librorum Interpretes, inprimis hi, quos, de vulgari fabula, ſeptuaginta numeramus, rectius Alexandrinos appellabimus [a]). Nam Alexandriae factam eſſe verſionem illam, in eo conſentit antiquitas: etſi id fortaſſe de iis modo libris intelligendum, qui tum in Synagogis legebantur, nam quorundam librorum verſionem eſſe ſerioris aetatis, vix dubitandum: in quibus Iobum, Prouerbia, Canticum et Eccleſiaſtem poſuerim, quem nonnulli ab Aquila eſſe putant, et non ab eodem omnes libros verſos eſſe, ipſum ſcribendi genus euidenter arguit, quod quibusdam in libris diligentius hebraiſmum conſeruat, eſtque a graeca puritate et elegantia remotius, in aliis ab hebraiſmo longius recedit, atque etiam exquiſitiora verba vſurpat, inprimis in Iobo, Prouerbiis etc.

a) Vid. omnino *Eichhorn* Repert. Lit. Or. T. I. p. 266. Ex traditionibus ibi diligenter excuſſis conficitur hoc, Iudaeos Alexandrinos eiusmodi commentis verſionem ſuam V. T. graecam popularibus in Palaeſtina pro diuina vendere, et vt archetypo illam non inferiorem facerent, *θεοπνευστίας* gloriam et famam illi, vt fieri ſolet, conciliare voluiſſe. Sed diverſa aetate et a variis interpretibus facta eſſe videtur, (conf. *Hodius* de text. orig. L. I. c. 7—9.) primum Pentateuchus, poſtea Pſalmi, deinde libri hiſtorici, denique Ieſaias, vltimum Iobus et reliqua ſcripta V. T. Hucusque duas tantum habemus editiones principes, Sixtinam, vel Vaticanam 1587. fol. recuſam a Boſio, et *Grabianam*, quae ſequitur Cod. Alexandrinum, Oxon. 1707. repetitam a Breitingero. Multa nun ſperari poſſunt de contextu LXX. interpretum reſtituendo poſt *Holmeſii* Angli aliorumque VV. DD. curas et ſtudia.

§ 2.

Huius verſionis graecitas hebraizans [b]), ſiue per inſcitiam vſurpata eſt ab interpretibus, quod verba et phraſes hebraicas non poſſent bene graece exprimere, praeſertim in rebus ad religionem proprie pertinentibus, ſiue per religionem aliquam exiſtimantium, res ſacras inquinari graecae elegantiae imitatione, quae certe poſteriorum temporum opinio fuit, orta illa fortaſſe per Antiochinae afflictionis tempora; [c]) ea vero poſt fuit, inter Iudaeos graece loquentes, pro lege, quam ſequerentur, qui de religione

gione ſcriberent, ſi quidem patrii moris eſſent tenaces, et popularibus vellent probari. V. Progr. noſtrum *de odio Iudaeorum in lingu. graec.* Itaque etiam nouae graecitatis verſio Pentateuchi eam imitatur, et verſiones Bibliorum Italicae Hiſpanicaeque, a Iudaeis curatae, ad eam formam expreſſae ſunt. vid. *Simon* Bibl. Crit. P. IV. p. 133.

b) Graecitas LXX. interpretum eſt triplex: ſiue plane hebraizans, vt in verſione Eccleſiaſtae: ſiue pura et interdum exquiſita, vt in verſione Iobi, Prouerbiorum et Cantici, vbi verba etiam poetica occurrunt: ſiue mixta, vt in plerisque V. T. libris. Vid. *Mücke* de origine verſionis LXX. interpretum. Züllich. 1789.

c) Iudaei in lingua graeca nunquam excellebant, neque eminere inter alios barbaros poterant. Primum enim animum adpellebant ad hanc linguam addiſcendam commercii cauſa: poſtea, vbi Antiochiae et Alexandriae aulae beneuolentiam captare coeperunt, exquiſitam in ſcholis diſcere quidem ſtudebant graecitatem, ſed ſine ſucceſſu. Vbi denique Antiochus Epiphanes, vt ſacra gentilium ſuſciperent, voluit illos Graecorum mores imitari ſaltando, canendo, certando; tunc plane inuiſa fieri coepit Iudaeis lingua graeca.

## § 3.

Itaque cum hoc genere ſcribendi, vt ſupra demonſtrauimus, vſi ſint in Noui Teſtamenti libris viri diuini, facile intelligitur id, quod doctiſſimi Interpretes iudicarunt,

ad cognoſcendum vſum loquendi Nou. Teſt. interpretandosque eius libros plurimum prodeſſe lectionem verſionis graecae Vet. Teſt. recte inſtitutam, atque adeo haud paullo plus, quam caeterorum graecorum librorum. v. in primis *Pearſonii* Praefatio paraenetica in edit. *Cantabrig.* et *Grabiana.* add. *Carpzou.* Crit. S. p. 547. [cc])

cc) Cum *Bielio*, *Schleusnero*, *Paulo*, *Beckhuſio* et al. Vid. *Bretſchneideri* exc. II. ad Ieſ. Siracid. Ratisb. 1806. p. 709. ff.

## § 4.

Quo magis Interpretes recentiores atque eruditiores ea verſione ſibi vtendum cenſuerunt, ad explicandas formas loquendi N. T. et illuſtrandas, nec ante ſatis feliciter dictio N. T. cognita eſt, quam inde ei lux eſt accenſa. In quo genere principatus debetur haud dubie *Grotio*, qui primus iuſta diligentia et ſcientia in hoc genere eſt vſus, caeterisque omnibus in eo praeluxit. [d])

d) Patres verſione LXX. in explicando N. T. non vſi ſunt, quod plerique hebraica non intelligerent. Etiam Melanchthon et Camerarius rariſſime illos in ſubſidium vocauerunt. Poſt Grotium celebrandus eſt *Raphelius* Obſeru. in N. T. ex LXX.

## § 5.

Nec parum in hoc genere profuere, qui he-

hebraiſmos N. T. illuſtrarunt [e]), vſi inprimis verſione illa, partim exemplis ex ea afferendis, vt intelligeretur, quid verba graeca hebraice ſonarent, partim varietate interpretandi hebraica commemoranda, vt quid verbum hebraizans eſſet bene graece appareret: quamquam poſterius vellem ſaepius factum. Caeterum quoniam exemplis magis res acta eſt, quam praeceptis; eamque ob cauſſam, qui illam rationem imitarentur, ſaepe lapſi ſunt; faciendum nobis putamus, vt eam ad pauca et perſpicua praecepta redigamus, atque ita vſum illius verſionis faciliorem et certiorem reddamus.

e) In his *Wyſſius* in Dialectologia ſacra. Melior eſt *Vorſtius*, ſed compendioſior *Leusdenus*, vterque ex Ed. *Fiſcheri*.

§ 6.

Primum igitur obſeruationibus quibusdam grammaticis opus eſt, ad indolem illius, qua imitatur hebraicam conſuetudinem, recte cognoſcendam, vt hinc praecepta et cautiones, quibus vſus eius dirigatur, duci legitime poſſint.

§ 7.

Obſeruationes autem latiſſime patentes ſunt hae. Primum, quod verbum graecum hebraico maxime ſimile eſt etymologia ſ.

prima

prima ſignificatione, id contulere interpretes non modo ad primam et maxime ſolennem verbi hebraici ſignificationem exprimendam, ſed etiam ad omnes caeteras tropicas, vt in בָּחַר, קָרָא, הֵרִיק, עֵדוּת, בְּרִית, צְדָקָה, et aliis, quibus cum proprie reſponderent κενῦν, καλεῖν, ἐκλέξαϑαι, δικαιοσύνη, διαϑήκη, μαρτύριον, his verbis et eorum coniugatis etiam vſi ſunt in exprimendis illorum verborum tropicis ſignificationibus, quas graeca conſuetudo non agnoſcit [f]).

f) Adde דבר, *verbum*, deinde *res*, *negotium*: ſic explicanda vox ῥῆμα Matth. IV, 4. Luc. I, 37.: ברית, *pactum*, *foedus*: deinde, *conſtitutio*, *oeconomia religionis*, διαϑήκη: רזא *res occulta*, deinde *profunda ſapientia*, μυστήριον.

§ 8.

Secundo, in verbis hebraicis, quae multiplicis ſignificationis eſſent, non facile per troporum varietatem explicandae, et a prima ſignificatione deriuandae, variae ac diuerſae interpretationes permutantur, vt in תמים, τέλειος, δίκαιος, εὐλαβὴς [g]) etc. In hoc genere explicando in primis diligens eſt *Gatakerus*, vt in priori *Vorſtius*.

g) Sic נתן eſt *dare* et *ponere*: quapropter τιϑέναι et διδόναι permutantur in N. T. Ioh. X, 11. ψυχὴν τιϑέναι: נדיב *beneficus* et *princeps* eſt in hebraico: hinc εὐεργέτης, *princeps*, Luc. XXII, 25.

§ 9.

§ 9.

In iisdemque vno eodemque verbo graeco varias illas significationes exprimunt: vt, quia μαρτύριον respondet τῶ עֵדָה vel עֵדוּת, propterea etiam, vt hebraica, pro lege, doctrina, hinc μαρτύριον Χριςȣ pro doctrina Christi, et μαρτυρεῖν pro docere; similiter νόμος, vt תּוֹרָה, non modo de lege, quae latine dicitur, vt apud Graecos, sed etiam de religione vniuersa, et qualibet eius parte, vt promissionibus, dicitur. Cuius rei ignoratio mirabiles et contortas interpretationes ac sententias peperit, etiam *Vitringae* Obs. III, 1. Cui simile est, quod, cum praefixo ב proprie aut maxime respondeat graecum ἐν, huius vsus non minus late patet, quam praefixi illius apud Hebraeos: in quo ipso ignorantia hebraismi mirifice, saepe ridicule se torsit [h]).

h) Exempla sunt ἐν Χριςῷ εἶναι, Christianum esse: ἐν ἁμαρτίαις ἀποθνήσκειν, in morte peccatorum esse plenum. Neque haec negligenda est obseruatio, permutari saepius in N. T. ἐν et εἰς ex consuetudine hebraici ב et ל.

§ 10.

Sunt etiam verba graeca, in quibus ex hebraica et graeca consuetudine intelligi non potest, quare iis sint vsi οἱ ὁ ad verbum hebraicum

braicum explicandum: in quibus forte, vt *Lud. de Dieu* et aliis visum est, Chaldaica et Arabica consuetudo spectata est, aut prima hebraici verbi significatio nunc ignoratur, quae forte in Chaldaica et Arabica superest i). Velut, quod פתר interpretantur συγκρίνειν pro ἑρμηνεύειν aut ἐπιλύειν, forte ea significatio est hebraici verbi etymologica, aut tum in Chaldaismo vel in Arabismo valuit: quae ipsa interpretatio in N. T. venit.

i) Hoc rarius occurrit. Conf. tamen ad Rom. XI, 9. Ies. XXIX, 10. vbi תרדמה, somnus profundus, a LXX. interpretibus conuertitur *κατάνυξις*, *compunctio*. Hanc autem potestatem habet arab. רדם, *consuit*, *compunxit*. Vid. *Michaelis* Supplem. p. 449. Inde solemnis est formula apud Arabes: *somnus mihi consuit oculos*. Conf. *Michaelis* Chrestom. arab. p. 66. (Meliora dabit Lennep in Etymol. v. *νυστάζω*, quae descendit a *νύω*, *nuto*, vnde *κατάνυξις*, *sopor*.)

§ 11.

Interdum tamen etiam formas prorsus hebraicas, qua sensum, quem locus desiderat, bene graece, neglecto hebraismo, exprimunt, vt אֱמֶת ἐλεημοσύνη, et איש אֱמֶת ἀγαθὸς, benignus, אַחֲרִית non modo ἔσχατος, sed etiam ἐπιών, et cum הימים non modo ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, sed etiam μετὰ ταῦτα etc. Et nihil dicimus de hebraismis, qui sunt in constructione, et aliis generibus, quibus

quibus ſignificatio non admodum adficitur, neque ambigua redditur: vt cum feminina pro neutris ponunt [1]), et ſimilia.

1) V. c. Matth. XXI, 42. *θαυμαστὴ* pro *θαυμαστόν*. Adde et hoc: interdum hebraiſmi ex parte tantum explicantur, v. c. Geneſ. XIX, 21. נשא פנים, *θαυμάζει πρόσωπον*, quod non eſt graecum: ſed inde deriues formulam N. T. *λαμβάνειν πρόσωπον*.

## § 12.

Hae igitur obſeruationes in genere, et in ſingulis verbis, inprimis frequentius ſic vſurpatis, et, vt ita dicam, dogmaticis, debent eſſe in promtu, vt nobis in tempore ſuccurrant, et adiuuent in ſenſu reperiendo. Quod efficiemus, ſi verſionem illam ita legerimus, vt ſemper cum hebraicis graeca conferamus, item graeca cum graecis diuerſorum locorum, in quibus eadem verba hebraica ſunt, et illas generales obſeruationes ante oculos habeamus, vt iis admoniti de ſingulis verbis, quae conſuetudo illius verſionis ſit, cognoſcamus.

## § 13.

Ipſius autem verſionis per tales obſeruationes ad vſum in indagando N. T. ſenſu conferendae methodus habet maxime praecepta haec: Primum, vt, quae in N. T. bene

bene graece dicta non ſint, id quod cognita linguae graecae indoles et analogia docebit, ſaepe etiam ipſe ſenſus verborum bene graecus, abhorrens a contextus ſententia, ea requiramus in illa verſione, et, quibus verbis hebraicis reſpondeant, videamus, vt ex hebraicis intelligamus graeca: vt in verbis κλῆσις, ἐκλογὴ et coniugatis, in μογιλάλος, *Marc.* 7, 32., quod reſpondet hebraico אִלֵּם, κωφὸς, *Eſ.* 35, 6. m) In quo cautio eſt, vt hebraicorum vim recte teneamus, non latine e Lexicis vulgaribus vertamus: in quibus etiam latinitas plerumque eſt hebraica, ſaepe ex ipſa graeca verſione, verbis graecis etymologice interpretandis, hauſta: quae ratio non modo nihil profuerit, ſed etiam deceperit. Itaque praecepti illius, quod ſupra poſuimus, memores eſſe oportet tirones, vt libellos de hebraiſmis ſibi familiares reddant, omninoque verborum poteſtates e vera linguae indole recte et perſpicue cognoſcere ſtudeant.

m) Nequit μογιλάλος verti, *difficulter loquens:* qui enim naturaliter ſurdi ſunt, illi etiam muti eſſe ſolent. Collato itaque loco excitato, patet, μογιλάλος poſitum eſſe pro ἄλαλος.

## § 14.

Secundo, quae in illa verſione ex hebraico bene graece vertuntur, quod fieri ſubinde,

inde, supra diximus, ea in N. T. oportet conferre ad intelligenda ea, in quibus clarum est, ex indole graecae linguae rem aestimanti, hebraica esse etymologice verbis graecis expressa. Quod optime cognoscetur, si graeca hebraice, verbum de verbo, vertantur. Vt si 1 *Cor.* 15, 54. εἰς νῖκος vertas hebraice לנצח, memineris que, id etiam bene graece ab iisdem interpretibus verti εἰς τέλος, διαπαντὸς, εἰς τὸν αἰῶνα, χρόνον πολὺν, non modo εἰς νῖκος, sensum verum tenebis. Itaque oportet ea, quae sunt huiusmodi in versione illa, notata habere, vt sint in promtu, vbi eorum vsus venerit.

## § 15.

Atque etiam in bene graecis, V. et N. T. communibus, proderit conferre hebraica, quibus ea in V. T. respondeant; ne in illis ipsis bene graecis, si non omnino, at hactenus decipiamur, vt plenum sensum non assequamur. Nam interpretes illi interdum vage, vt ita dicam, et crassius interpretantur, item antecedente pro consequente, genere pro specie, et contra, ponendo, aut similia permutando: vt cum התהלך את יהוה vertunt εὐηρέστησε τῷ θεῷ, *Gen.* 5, 24. 6, 9. consequente pro antecedente posito, quod servatum ab Apostolo *Ebr.* 11, 5. [n])

n) Ioh.

n) Ioh. I, 14. μονογενὴς est בן יחיד, quod LXX. Gen. XXII, 2. explicant, υἱὸς ἀγαπητός.

§ 16.

Sunt etiam multa, quae, in vtroque, bene graeca sunt sono, et tamen hebraicam interpretationem desiderant: qua ignorata, mirabiles sententiae existunt. Veluti κατώτατα μέρη τῆς γῆς Eph. 4, 9. Ps. 62, 9. etc. non bene intelligentur, nisi compares hebraica, תחתיות ארץ. Quod genus inprimis est lubricum, fallitque interpretes. Et sunt huius generis prope innumera. (vid. P. I. S. II. c. 3. §. 8.) Quo magis in his indagandis et ad vsum in loco conferendis diligens esse interpres debebit. o)

o) Non sine laude huic labori operam suam impenderunt *Bielius* in thesauro philologico et *Schleusnerus* in supplementis ad h. l. Vtroque opere diligens interpres carere vix poterit.

§ 17.

In hac re proderit, vbi haerebimus, item exercendi ac discendi gratia, etiam indicibus versionis huius vti, vt videamus, quibus hebraicis verbis graecum quodque respondeat, et si quid inde lucis accedere possit locis obscuris: cuius generis a *Conr. Kirchero* et *Abr. Trommio* confectos habemus p). Sed in hac re multiplex cautio est:

pri-

prima, ne affectatione aliqua, aut inſcitia hebraiſmi, aut interpretum graecorum vaga interpretandi ratione decepti, peccemus; in quo genere merito reprehenditur *Dan. Heinſius* [q]) a *Salmaſio* de *Foen. trapezit.* p. 805; ſecunda, ne illorum indicum vitiis et peccatis, quae ſunt multa et magna, in fraudem inducamur, quod accidit multis, praeſertim Kircheriano opere vſis, cuius latina ſunt e verſione *Pagnini*, vt eidem *Heinſio*, vt *Calouio* ad 1 *Cor.* 12, 4. in verbis ἀνάθεμα et ἀνάθημα: tertia, ne, cum illi interpretes aliam, quam nunc textus hebraicus habet, lectionem interpretati ſunt, eorum verba ex lectione textus noſtri interpretemur, et inde verbo graeco ſignificationem temere affingamus: quod accidit *Pearſonio* l. c. in *Ebr.* 10, 38; denique, ne pravas interpretationes verborum hebraicorum, quas non paucas eſſe conſtat, ſequamur. Vid. dicta a nobis in Diſp. de Diffic. Interpr. Gramm. N. T. §. 17. 18. 19. Quibus incommodis magno cum diſcentium fructu occurri poſſet, ſi quis vir ſatis graece et hebraice doctus, rei criticae bene peritus, et in hac, quam deſcripſimus, ratione exercitatus, Lexicon Graecitatis illius, quae eſt in verſione V. T. graeca, conficeret: quod in animo habuiſſe *Druſium*, ex eius praef. in Praeterita etc. patet. [r])

p) *Kir-*

p) *Kircherus* ediderat concordantiam a. 1607. 4. ita, vt verba hebraica primo loco poneret, addito indice graeco, quod valde erat incommodum. Sed contra *Trommius* graeca primo loco posuit, addito indice hebraico, a. 1717. fol. Hic liber melior est priori, cuius auctor vsus erat editione τῶν ό Wecheliana, in qua multa vitiose sunt expressa.

q) Heinsius vsus Pagnini Lexico hebr. mere etymologico ἄρτον ἐπιούσιον explicuerat, *panem crastinum*, quasi esset לחם תמיד, panis instans, תמיד falso ab עמד deriuato. Sic bona explicatio inani eruditione vanisque argumentis erat suffulta.

r) Vid. not. ad §. 16.

## § 18.

Haec igitur maxime praecepta tenenti, praesertim exercitatione aliqua, et vsu rei, legendis aut audiendis bonis interpretibus, adiuncto, licebit magno cum fructu ea interpretatione vti: ex qua profecto nondum omnia eruta sunt, quae vtiliter ad interpretationem N. T. conferri possunt.

## § 19.

Enimuero etiam alios non contemnendos vsus habet illa versio: primum valde necessarium in comparatione locorum, quae de Vetere Testamento commemorantur in Nouo: nec contemnendum alterum, in iudicio ac delectu lectionis; qui est criticus: tertium

tertium ad intelligendos Commentarios veterum Ecclefiae doctorum, qui fere ex hac verfione pendent.

§ 20.

Satis enim conftat, fanctos N. T. fcriptores interdum verba V. T. ita protuliffe, vt ea de verfione graeca fumta effe videantur. Nam etfi in nonnullis ipfi ex hebraico vertiffe videri poffunt, exprimendo verbum de verbo, vbi etiam fortaffe noftrum quisque pari modo, aut non multum aliter, verterit; praefertim cum non raro ipfos vertiffe, loci indicio fint ii, in quibus cum hebraico textu contra graecum confentiunt, vt *Matth.* 8, 17. ex *Ef.* 53, 4. item *Io.* 19, 37. e *Zach.* 12, 10. tamen haud paucis in locis clarum eft, verba e verfione graeca deprompta effe, hoc eft, in iis, vbi non modo nihil ab hac, fed etiam ab hebraico perfpicue difcrepant, qui diffenfus faepe fententiam adficit, eftque interdum eiusmodi, vt fupra fidem fit, duobus eadem verba in vertendo veniffe in mentem: vt *Ebr.* 10, 38. 11, 21. In quibus locis fi Apoftolos ipfos ex hebraico vertiffe dicamus, vt placuit quibusdam viris doctis, aut lapfos effe interpretando, fequetur, aut textum noftrum hebraicum in iis locis vitiofum effe; quorum neutrum probari poteft; aut denique verfione Apoftolica fublata, a libra-

librariis insertam esse versionem vulgatam τῶν ό, quod ipsum nonnulli statuerunt: de quo est lata disputatio Lud. Capelli in Append. Criticae S. p. 443. [s])

s) In re multorum obseruationibus agitata pauca disputare attinet. Excitatur V. T. in nouo ab auctoribus θεοπνεύστοις vel ex contextu hebraico, vel ex versione LXX. interpretum, vel ex alia nunc deperdita, vel ex memoria. Conf. *Eichhornius* Allg. Bibl. d. bibl. Lit. T. II. p. 948. seqq. et *Eckermannus* in symbolis theologicis. In vniuersum notandum est, tunc temporis morem aliorum scripta excitandi ita fuisse comparatum, vt

1) magis ad sensum loci, quam verba respiceretur, multa itaque adponerentur et omitterentur:

2) vt sensus loci excitati notionibus auctoris accommodaretur:

3) vt quilibet auctor etiam in excitandis aliorum scriptis ingenium suum proderet.

Petrus certe Act. II, 25. s. et Iacobus c. XV, 16. s. versione Alexandrina Hierosolymis vti non poterant; Graeci enim male ibi audiebant, et vterque apostolus non graece, sed syriace verba faciebat. Loca igitur V. T. ab iis excitata e Lucae memoria fluxerunt.

## § 21.

Caussas varietatis huius in auctoritatibus illis ponendis, itemque consuetudinis vsurpandi versionem graecam, etiam tum, cum ab hebraico discrepat, curiose exquirere, non

non est necesse, praesertim in hac institutione: caeterum, cum ex versione graeca, quamquam aberrante a veritate hebraica, interdum pendeat tota ratio et vis argumentationis, nec modo in sententiis integris ac pluribus, sed interdum etiam in singulis verbis: facile intelligitur, ad intelligendas demonstrationes et rationes scriptorum sacrorum illius versionis comparationem et intelligentiam valde esse necessariam.

§ 22.

Vsum criticum habet, primum in illis ipsis locis, qui ex ea proferuntur. Nam in iis discrepant interdum libri veteres, vt decernendum sit, quid sequi velimus. In quo genere vniuerso, sane vix dubitari potest, quin lectio ea sit praeferenda, quae in versionis bonis exemplis reperitur, praesertim, si habeat aliquid exquisiti, aut insolentior sit. Veluti *Hebr.* 1, 12. praeferetur vulgatum ἑλίξεις τῷ ἀλλάξεις, contra quam *Bengelio* atque *Wetstenio* videtur, quod ἑλίξεις est in versione graeca, e qua totus ibi locus sumtus est [t]), glossaeque simile est ἀλλάξεις e versione N. T. latina, quae hoc verbum habere videtur ex Hieronymi correctione; quamquam sane hoc hebraico חלף similius est. Potest tamen accidere, vt ab eius auctoritate discedendum sit, propriis alicui

 loco

loco cauſſis: veluti, cum res et ratio argumentandi aliquid habet eiusmodi, propter quod aliquid conſulto mutatum videatur, ſalua tamen ſententia vniuerſa: vt *Paulus Ebr.* 10, 5. pro ὠτία videtur σῶμα poſuiſſe e *Pſ.* 40. vt aptius rationi ſuae, cum vellet demonſtrare, Ieſum corpore ſuo immolando Deum placaſſe u).

t) Neque tamen ſilentio praeteriri debet, editionem τῶν ό Grabianam habere ἀλλάξεις, Pſalm. CII, 26—28.

u) Etiam verſio Philoxeniana habet ὦτα h. l. atque ſic etiam legendum eſſe cenſet *Michaelis* colleg. crit. de Pſalmis praecip. de Chriſto agentibus, p. 358. ſeqq.

## § 23.

Atque etiam in aliis locis adiuuare in iudicando poteſt, cum, in pari librorum auctoritate atque ſenſus bonitate, e verborum ratione, decernendum eſt (c. VI. §. 25.). Nam vix dubitari poteſt, quin tum lectio ea, quae ſit conſuetudini verſionis huius conuenientior, praeſertim durior, ſi graeca conſuetudine aeſtimetur, praeferri debeat. Quid quod etiam per eam caueri poteſt deprauatio textus, et lectio vera firmari. Non, vt opinor, Interpres latinus *Act.* 15, 2. omiſſurus erat καὶ συζητήσεως, quod videbatur lenius, quam pro ϛάσεως verbo, ſi ϛάσιν, quam

quam *seditionem* interpretatur, de more τῶν ὁ intellexisset *altercationem*, quae est in disputatione ac dissensu.

§ 24.

Sed in tota hac re videndum est, vt vtamur exemplis versionis, quae e bonis Codicibus ducta sint, ne vitiis librorum decipiamur. Atque etiam plures editiones interdum conferendae, aut variae lectiones inspiciendae sunt. Itaque nemo 2 *Cor.* 13, 1. pro ςαθήσεται e versione illa tentet rescribere ςήσεται, quod *Deut.* 19, 15. in illa sententia habent Romana editio, et quae ex ea expressae sunt: quamquam hoc quoque sensu passiuo intelligi potest: cum ςαθήσεται in Aldina et Grabiana repererit.

§ 25.

Sed quamquam in hoc genere dominatur versio illa: tamen nec negligendae sunt reliquiae caeterarum versionum graecarum, *Aquilae* inprimis ac *Symmachi*, primum a *Petro Morino*, vt ipse narrat in epist. n. 31. iuuante *Ant. Agellio* e scriptis Patrum, inprimis Hieronymi, et Catenis collectae, et a *Flaminio Nobilio* in Bibliis Graecis Romae editae, inde in pluribus editionibus repetitae, post a *Drusio* separatim, et ad vsum aptius, sed e manuscriptis libris Grae-

corum Commentariorum, vt *Euſebii*, *Procopii* etc. longe auctius in Hexaplorum Origenianorum reliquiis editae a *Montefalconio* Pariſ. 1713. cum Lexico hebraico et graeco: quod opus in compendium redegit et auxit *Bahrdtius* Lipſ. 1769. v) Plura promiſit ſupplementa e Codice Chiſiano *Blanchinus*, ſed non dedit, praeuentus morte.

v) Theodotion maximam partem conſpirat cum LXX. interpr. proptereaque hoc loco minoris pretii eſt. Sed vid. de hoc reliquisque fragmentorum hexaplarium auctoribus *Eichhornius* Einl. in d. A. T. T. I. ed. 3. p. 335. ſſ.

§ 26.

Nam *Aquila*, Iudaico ingenio obſecutus, ita vertit hebraica, vt ſingula verba exprimeret graecis, quae illis eſſent propria ſignificatione ſimillima: vnde κατ' ἀκρίβειαν vertiſſe dictus eſt, mirificeque operam ſuam Iudaeis probauit, non diſſentientibus multum Chriſtianis, qui eam etiam *Veritatem hebraicam* appellarunt, veluti, eam cum legerent, ipſa hebraica legerent: vnde ſaepe doctores graeci, cum hebraica memorant, verſionem hanc intelligunt.

§ 27.

Hinc fit, vt adiuuare nos eius reliquiae poſſint, cum quaerimus, cui verbo hebraico grae-

graecum, in quo haeremus, respondeat, vt inde, quam vim in sermone hebraeo-graeco habere possit, videamus. Veluti, κανόνος verbum vsurpatum ad exprimendum hebraicum קו, cum de funiculo mensorio dicitur: quod prodest ei verbo intelligendo atque illustrando 2 *Cor.* 10, 13. etc.

§ 28.

*Symmachum* autem veteres tradunt, atque id etiam reliquiae versionis ab eo factae docent, in vertendo puritatem linguae graecae conseruare studuisse. Nam quae inter eas non pura sunt, ea per errorem scribentium ex *Aquila*, aut alio quo, irrepsisse videntur: sicut et *Symmachi* quaedam in excerpta *Aquilae*. Quo nomine vt laudatur mirifice ab *Hieronymo*, item *Theodoreto*, ita malam gratiam a popularibus suis, Iudaeis, iniit, qui ea ratione profanari oracula diuina putabant. Vid. Cl. *Thiemii* Disp. de Puritate Symmachi. x)

x) Videant et iudicent hic viri docti, num in N. T. interpretatione ex antiquis Hellenismi monumentis instituenda alicuius pretii sit *noua V. T. versio graeca Veneta* a Villoisono (Argentor. 1784.) et nobis (Erlangae 1790. s. T. I—III.) edita, tum in disquirenda ratione, qua notiones hebraicae graece exprimi soleant, cuius rei scientia egregium est adcuratioris explicationis subsidium; tum in singulis verbis formulisque, v. c. in v. γάμος, משתה, quod huius versionis auctor bene

bene conuertit in δόκος: in v. ἐκνεύειν Ioh. V, 13. quo vocabulo noſter exprimit תנה Deut. XXXI, 18.

§ 29.

Ex quo intelligitur, eas reliquias prodeſſe poſſe, vt verba formasque loquendi hebraicas bene intelligamus, nec earum interpretationes graecas hebraizantes in ſenſum alienum trahamus. Ex quo genere eſt, v. g. quod εὐεργεσίαν interpretatur, quam οἱ ὁ ἀνταπόδοσιν *Pſ.* 103, 2. etymologiam hebraicae vocis גמול ſecuti: quod etiam ad μισθὸν trahere licet, qui pariter pro beneficiis ac bonis, ſ. felicitate, a Deo accepta, ſine reſpectu actionis praegreſſae dicitur *Gen.* 15, 2. Quodſi non proſunt in multis locis proprie, at proſunt ad rationem vniuerſam cognoſcendi vſus loquendi in libris N. T. nec modo in ſingulis verbis, ſed etiam in conſtructionibus, a graeca ratione aberrantibus. Legantur *Io. Frid. Fiſcheri* V. C. Proluſiones de Interpretibus V. T. graecis, hebraicae linguae intelligendae magiſtris. (Lipſ. 1772. 8.)

CAP.

# CAP. VIII.

## *De vſu ſcriptorum Iudaicorum.*

### § 1.

Cum ſint in N. T. et verba, et formae loquendi, denique etiam ſententiae, quae vel vi, vel ſtructura diſcrepant a graecae linguae conſuetudine, nec tamen ex hebraiſmo, quoad e libris ſacris cognoſcitur, aut ex interpretatione Alexandrina, explicari poſſunt: neceſſe eſt, vt eae fluxerint e conſuetudine Syro-Chaldaica, quae tum in Palaeſtina valuit, in haud paucis a vetere hebraica diſcrepans, ſiue de rebus vulgaribus, ſiue ad religionem pertinentibus, loquerentur. y)

y) Duplex vſus eſt ſcriptorum Iudaicorum in N. T. 1) ſecundum res, antiquitates et ritus Iudaeorum, ad quos in N. T. adluditur, vt et ſecundum opiniones illorum praeiudicatas, de Satana, de angelis, de Meſſia eiusque praenuntiis, de ſabbato, de Deo Iudaeorum tantum Patre: 2) ſecundum verba et orationem in gnomis, parabolis, v. c. in Ἀδὰμ ἀρχαῖος, γλῶσσαι καιναὶ, ἕτεραι etc.

§ 2.

§ 2.

Huius reliquiae quaedam vix dubitari poteſt, cum res ipſa loquatur, quin reperiantur in libris Iudaicis, ſi non omnibus et cuiuscunque aetatis, at antiquioribus, et propioribus aetati Apoſtolorum, aut qui eius aetatis ſcriptorum fragmenta conſeruauere. In priori genere *Targumim* z), *Miſchna* Hieroſ. e Sec. II. liber *Sohar*, eiusdem prope aetatis, in poſteriori multi alii numerantur; qui etſi aliquot ſeculis recentiores ſunt, velut *Gemarici* et *Rabbothani*, vel *Midraſchici*, tamen verba veterum Doctorum conſeruauere: de quibus libris praeter *Wolfium* in Bibl. hebr. adeundi *Schoettgenius* Lect. Rabbinic. L. I. *Gillius* in praef. Comm. in Euangelia, et *Harenbergius* in Proleg. ad Comm. in Apocal. Ioan.

z) Optima translatio תרגום eſt *Onkeloſi* in legem et *Ionathanis* in Prophetas. Miſchnam latinitate et notis illuſtrauit *Guilielm. Surenhuſe*. Amſtelaed. 1698. fol. theodiſce facta eſt a *Rabio*, presbytero Onoldino, VI tomis. Onoldi 4. 1760. ſeqq. Ex Gemara idem vir doctus tranſtulit in noſtram linguam tract. Brachot. Halae 1777. 4.

§ 3.

Itaque, etſi non cuiusuis eſt, hos ſcriptores excutere: tamen diligenter legenda et conſulenda ſunt ſcripta eorum, qui lectum ex

ex hoc ſtercore aurum vſibus communibus ad interpretationem Nou. Teſt. tradidere. Quorum principes ſunt poſt Cartwrightum in mellificio hebr. *Io. Druſius, Lightfootus* et *Schoettgenius*, qui ex inſtituto hanc partem ſunt perſecuti, ille in *Praeteritorum* opere, hi in *Horis Talmudicis* [a]). In quibus tamen omnibus locum habet, quod de Britanno monet *Simon Hiſt. Crit. T. III. pag. 795.*, cum eum dicit eſſe copioſiorem in ritibus, quam in verbis, et nimis ſequi eorum opiniones, denique cogere interdum Iudaeos dicere, quae ipſi placeant. His addi poſſunt etiam praeter *Hakſpanum* de libris Iudaeorum, ad calcem *Lipomanni* Nizachon c. 3. Sect. II. de vſu ſcriptorum Iud. ad interpretationem N. T. *Balth. Scheidii Praeterita Praeteritorum*, in Meuſcheniana Collectione. Pauciora, ſed magis delecta et exquiſita, collegere *Capelli* [b]), Ludouicus quidem per occaſionem edendi *Cameronis* Myrothecii. Ex Interpretibus primus prope, certe ſatis diligenter, hoc genere vſus eſt *Hugo Grotius*: et notarum *Wetſtenii* in N. T., itemque *Gillii* Britanni in Euangelia, optima fere pars eſt ea, quae Iudaicorum ſcriptorum excerptis conſtat. De *Gaulmini* ineditis ex hoc genere notis v. *Simonis Bibl. Crit.* IV. p. 183. Patet, tantam huius generis iam copiam eſſe, vt

alio

alio viro docto opus sit, qui delectum ex omnibus faciat [bb]).

a) *Drusius* edidit opus Praeteritorum, ab Erasmo nimirum et Beza 1612. 4: *Lightfootus* horas Hebraicas et Talmudicas Cantabrig. 1658. 4. repetitas Lipsiae cur. Carpzouio: *Schoettgenius* horas Talmud. Dresdae 1733. 4.

b) In Capellis tres sunt distinguendi: Iacobus vterque et Ludouicus, Iacobi filius, Buxtorfii aduersarius et Criticae sacrae auctor. Collectiones Meuschenii vide in eius N. T. e Talmude illustrato. Lips. 1736. 4.

bb) Multa enim a *Drusio*, *Lightfooto*, *Schoettgenio* et *Wetstenio*, qui archetypis rarius, versione latina autem saepissime vtitur, congesta sunt e scriptoribus Iudaicis, quibus recta N. T. interpretatio parum adiuuatur. Supersunt tamen haud pauca, quae locis difficillimis lucem adfundant, tum e Mischna, inprimis libro פרקי אבות, tum e libro Sohar, cuius compendium dedit *Knorr a Rosenroth* in Kabbala denudata, tum e recentioribus Iudaeorum scriptis excerpenda. Exempla vide in diss. nostra, *Adscensus I. C. in coelum historia biblica*, in nou. opusc. theol. Gotting. 1803. p. 57. ss. *De vestigiis theologiae Iudaicae in epistola Pauli ad Romanos*, ibid. p. 72. ss. *De linguis nouis*, Erlang. 1803. p. 9. s. Neque negligi velim Maimonidem in libro מורה נבוכים, cui obseruationes grammaticae insunt optimae frugis, et in vtroque tractatu de *doctrina legis* et *poenitentia*, ed. *Clavering*, Oxonii 1705. Vide pag. 58. 59. 63. 73. 75. 87. Adde eiusdem tractatum de iureiurando ed. *Dithmar*, Lugdun. 1706.

§ 4.

§ 4.

Neque vero verborum modo intellectum adiuuant Iudaici scriptores, sed etiam rerum explicationi interdum seruiunt. Nam ritibus, moribus et opinionibus, ad quas alludunt non paucis locis scriptores Nou. Test. subinde lucem affundunt. In quo genere, praeter superiores illos, omnes ii laborarunt, qui Antiquitates hebraicas e Iudaicis scriptoribus illustrarunt. c) De quo genere, praeter *Relandi* Orationem, *Gillii* Disputatio adiri potest, inserta *Catenae Britannicae Commentar. in N. T.* T. I.

c) Vtilitatem horum auctorum exempla doceant. Parabola Luc. XVI. intelligi nequit, nisi teneas, Lazarum esse Irum Hebraeorum, qui ex more orientis vitae aeternae gaudia sub imagine conuiuii, quo locus princeps erat in sinu Abrahami, adumbrabant et angelos piorum animas illuc deducere, impios autem in flammas sulphureas coniicere, statuebant. Adde locum Matth. V, 34. μὴ ὀμόσαι ὅλως e tractatu Mischnae שבועות illustrandum; Act. II, 3. γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς a *Vitringa* (de syn. vet. p. 146.) sententia parallela e Schalschelet Hakabbala explicitum; orationem dominicam e Iudaeorum precibus *Kadisch* deriuatam.

§ 5.

Sed in hoc genere plures sunt cautiones: prima, vt inconstantiam fugiamus eorum, qui, vt quoque loco commodum ipsis est,

et susceptae ab ipsis opinioni consentaneum videtur, quod Iudaei tradunt, aut ex iis profertur, nec ne, ita Iudaicorum scriptorum vsum et auctoritatem vel extollunt vel deprimunt: altera, vt κακοζηλίαν quorundam, qui studio suo capti, omnia, quae de Iudaeis proferuntur, sine delectu probant, et ad interpretandum N. T. accommodant. In quo genere vtique saepe peccauere *Lightfootus* inprimis et *Gillius*.

§ 6.

His igitur cautionibus facilius et rectius parebimus, omninoque hoc genere rectius vtemur, si certum praeceptum tenebimus, quod delectus faciendi modum praescribat. Nam qui nihil aliud, nisi hoc, praecipiunt, cauendum, ne in huius generis vsu in alterutram partem peccemus, vel excedendo modum, vel citra modum subsistendo, delectum et iudicium non relinquunt: quod nemo se aut plus, aut minus, quam debebat, facere putat. [d])

d) In vniuersum haec regula tenenda est: quidquid in N. T. ad ritus religionis, ad docendi et orationis formam spectat, maximam partem e scriptoribus Iudaicis illustrari debet. Sic e. c. Paulus in Epistola ad Romanos multa profert, quae Gamalielis discipulum prodant. Breuior per exempla est via, quam vel suo, vel aliorum adparatu instructus, praeiuit *Wetstenius* in

in notis ſuis ad N. T. Delectum bonarum obſeruationum e ſcriptoribus Iudaicis inuenias etiam in *Eichhornii* Commentario in Apocalypſin, Gotting. 1791.

§ 7.

Atque non negem, in eo delectu plus prope valere ſenſum aliquem ingenii, datum ab natura, quem vſus, et exercitatio, et elegantia literarum humaniorum acuerit. Caeterum profuerit tenuiſſe hoc, vt ab illis ſcriptoribus auxilium petamus tum modo, cum neceſſitas aliqua vrgeat, h. e. vbi neque graecae neque hebraicae veteris linguae ſcientia ſuppeditet, per quod ſenſus commodus et contextui aptus reperiri poſſit [e]). Et haec eſt illa ipſa media via, quam tenendam in hoc genere nonnulli praecipiunt. Nam vbi ab his auxilium eſt, ſtultum ſit, ab Iudaeorum magiſtris petere. Profuerit etiam legiſſe eos, qui in hoc genere caute et eleganter ſunt verſati; in quo *Capelli* inprimis *Spicilegium* commendem, et *Grotii* ex eo genere notas in N. T.

e) Exemplum illuſtre exſtat Act. XIII, 48. τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Qui hoc ex ſenſu Iudaico explicant, illis τεταγμένος idem eſt, ac ערוך, *ordinatus*, h. e. deſtinatus. Sed meliorem ſenſum fundit graecitas loci: τάττειν ἑαυτὸν εἴς τι eſt, *ſtudioſum eſſe alicuius rei: τεταγμένος, compoſitus*. Vide tamen *Koppium* ad Rom. IX, 22.

§ 8.

§ 8.

In ea autem parte, quae ad antiquitates pertinet, adiungendi, atque adeo Rabbinicis scriptoribus longe praeferendi sunt *Philo* et *Iosephus*: quippe et antiquiores istis et eruditiores: neque vllo modo audiendi sunt, qui amore Rabbinorum, aut suarum adeo opinionum capti, hos potius, quam illos, vbi dissentiant, sequendos putant. Nam in rebus ad templum Hierosolymitanum spectantibus, et in ritibus religiosis, aut cum templo aliquam coniunctionem habentibus, vt in caussa Paschali, in adyto, et templo Herodis, maior profecto fides esse debet iis, qui suis oculis ista viderunt, et ipsi factitarunt, quam caeteris, qui excisa cum templo vrbe, et sublato ritu Iudaico, vixere [f]. Legatur etiam *Heinius* Obs. S. I, 9. II, 3. de ignorantia Iudaeorum et crassis mendaciis in antiquitatibus hebraicis.

f) Sic v. c. Talmudici tradunt, sacerdotes mactavisse agnum paschalem, sed Philo quemuis patremfamilias hoc factitauisse perhibet. Templum Hierosolymitanum non totum ab Herode fuisse destructum, tradunt Rabbini: Iosephus autem etiam sanctuarium destructum esse docet. Vtrobique Iosephus et Philo maiorem fidem merentur. Aliis N. T. locis adhuc lucem adfundunt literae Samaritanae publicatae in Repert. Lit. Or. et Bibl. *Eichhorn*. Tom. IX. et in Repert. *Paul*. Tom. I. p. 120. sqq.

§ 9.

## § 9.

*Philo* vero etiam rationi allegoricae et mysticae, qua *Paulus* inprimis vtitur, illustrandae et accuratius cognoscendae plurimum proderit: in quo tantum ei similitudinis cum *Paulo* intercedit, etiam interdum in modis loquendi, vt quidam etiam *Philonis* libros a *Paulo* lectos coniicerent [g]), in his *Wetstenius* T. II. N. T. pag. 384. Quod nobis tamen non magis credibile videtur, quam quod *Ottio* in Spicileg. pag. 397. placebat, e *Pauli* libris *Iosephum* profecisse. Nam vt vix credi potest, *Paulum* graecae linguae ita peritum fuisse, vt *Philonis* orationem, plane abhorrentem ab hebraica indole, et Platonicae ac Demosthenicae aemulam, intelligeret: ita nihil impedit, quo minus vtrique ex iisdem antiquiorum scriptorum fontibus hauserint. Legantur a studiosis *Loesneri* V. C. Lectiones Philonianae.

g) Magna omnino similitudo intercedit inter scripta Pauli et Philonis: vide Gal. IV, 24. s. et Philon, allegor. ed. Pfeifferi t. I. p. 385. Neque tamen exinde colligi potest, vnum ex altero hausisse: intelligitur potius, vtrumque linguam graecam adcuratius didicisse.

## § 10.

Nec verum est, quod traditum vidi a Philologis nonnullis parum peritis, cum *Io-*

*sephi*

*sephi* lectionem ad intelligentiam N. T. vilem dicerent, quod eodem genere scribendi vteretur. Nam *Iosephus* bene graecos scriptores, inprimis Polybium, et in verbis singulis, et in forma orationis, diligenter ac satis feliciter imitatur, rarissime admistis hebraismis, desciscens in eo, vt ipse dicit, a gentis suae consuetudine. Sunt tamen et in phrasi, quae obseruasse non poenituerit. Ea ex instituto congessit et illustrauit *Ottius* l. c. diligentius multo Cl. *Krebsius* in *Obseruat. ad N. T. e Iosepho.* h) Et ab his quoque nonnulla, vt fit, praetermissa sunt: velut, quod τὰ βλεπόμενα de euentu promissionis dixit A. V, 10. extr. quod prodest ad Hebr. XI, 1. it. quod ἐκλογὴν de libertate, B. I. II, 8. 14. quod prodest illustrando loco *Rom.* 9, 11. vbi ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις, in qua se tantopere torquent, qui ex Compendiis doctrinae interpretantur, nihil aliud est, quam libera Dei voluntas, omninoque libertas Dei in beneficiis tribuendis; ducto modo loquendi partim ex hebraismo, qui libertatem, nisi per verbum בחר, exprimere non potest, partim ex natura rei. Nam fundamentum libertatis est in facultate eligendi. Sed ad interpretationem N. T. multum proderit in legendo Iosepho obseruasse, quomodo tradens res Iudaicas e libris sacris, exprimat hebraica: quale est, cum in caussa Core,

Core, verba לפני יהוה, quae οἱ ὁ vertunt *κατέναντι τοῦ Κυρίου* (Num. XVI.), ipse interpretatur *κατέναντι τοῦ προτεμενίσματος*. Et hoc genus obseruationis fere neglectum vidimus.

h) Iosephus admodum feliciter imitatur Thucydidem et Polybium, rarissime admistis hebraismis, v. c. *κοινὸς* pro *βέβηλος*, *σάκκους περιτίθεσθαι*, *amictum funebrem induere*. Ne autem dictione Iosephi abutantur interpretes ad explicandum N. T. obseruent quaeso, illum magis illustrare historiam V. et interdum etiam N. T., quam singula verba. — Multae bonae obseruationes e scriptis Iudaeorum in N. T. inueniuntur adhuc in Raymundi *Martini* pugione fidei aduersus Mauros et Iudaeos. Lips. 1687.

X CAP.

## CAP. IX.

### *De Interpretibus N. T. eorumque vſu.*

§ 1.

Interpretandi genera plura vſurpauit antiquitas, *myſticum* ſ. *allegoricum*, *dogmaticum* et *grammaticum* ſiue *grammatico-rhetoricum*. Nec eodem genere ſcribendi vſi ſunt omnes. Nam alii *Commentarios* ſcripſere, alii *Scholia*, alii *Homilias*.

§ 2.

Antiquiſſimum genus eſt *allegoricum*, ortum haud dubie e Synagoga, quae ab ea re בית־מדרש magiſtris Iudaeorum dicitur, et ſcholis Doctorum Iudaicorum. Nam in Synagogis licuiſſe commentari in loca ſacrorum librorum, Euangelia docent. Et in ſcholis Doctorum, quae pariter Synagogae dicuntur, quod in iis docebant fere magiſtri, et poſt ſublatum templum nihil magis agebatur, quam vt ratio et modus explicandi legem et Prophetas traderetur, in quo ſumma et vna eruditio Iudaica erat [i]).

i) Qua tamen in re ſine vllo guſtu, ſine vllo veri

et

et pulchri sensu sunt versati. Vide *Vitringam* de synagoga vetere pag. 137. ss.

§ 3.

Id olim, ab ipsis Prophetis vsurpatum, quoad incorruptum ab humani ingenii vanitate et lusibus mansit, habuit explicationem vaticiniorum de Iesu Christo, typorumque, et fortasse etiam rerum ipsarum, inprimis historicarum, accommodationes ad diuina et humana, per quas dogmata et praecepta vitae illustrarentur, et omnia ad vsum fidei ac vitae conferrentur: idque adeo fuit mysticum genus, quod proprie ab allegorico differt, vt apud Graecos θεωρία ab ἀλληγορία. 1)

1) Historia interpretationis S. S. docet, tum mysticam, tum allegoricam N. T. explicationem ad formam Iudaicam fuisse expressam. Quae cum verae theologiae admodum sit perniciosa, plane fugienda est a liberali religionis doctore.

§ 4.

Sed paullatim ab ingeniis, parum subactis doctrina, et acuminis gloriam captantibus, mire corruptum est, omissaque meliori parte, quae ad vaticinia et typos pertinet, omnia ad accommodationes relata sunt, per quas et res minutissimae quaeque, et verba ipsa misere et inepte torquerentur, et

luſibus omnia replerentur: quo genere etiamnum quidam in parabolis interpretandis vtuntur. Melius tractat hoc genus Philo, quippe literis ſubacti vir ingenii, ſed tamen nimis philoſophatur.

§ 5.

Hoc ergo genus ab Iudaeis acceptum, coepit a Doctoribus Eccleſiae Chriſtianae vſurpari, primum omnium in Aegypto, imitatione Philonis, qui nihil aliud egit, quam vt ab ſenſibilibus homines adduceret ad inuiſibilia intelligenda et appetenda; et, quamuis poſt inducto grammatico, tamen frequentatum eſt inprimis ab his, qui, propter inſcitiam linguae et hiſtoriae, etiam neceſſario allegorias conſectabantur, quod de ſe iuuene fatetur *Hieronymus: allegorice interpretatus ſum*, inquit, *Abdiam, cuius hiſtoriam neſciebam*, eiusque inſcitiae veniam rogat. *Praef. ad Abdiam.* Nec minus prope ingenio indulſere etiam doctiſſimi, vt *Origenes*, quam Iudaei indulſerant: et tamen haec ratio plurimum aduerſus Chiliaſtas, Anthropomorphitas et Gnoſticos profuit. m)

m) Barnabas, Clemens Rom., Iuſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus et Origenes, omnes vſi ſunt interpretatione allegorica, admiſſa etiam gentilium philoſophia. Vid. *Schulzii* Hiſtor. Interpretat. S. S. popularis

laria theod. ſcripta. Tubing. 1787. *Semleri* librum: Verſuch, die Auslegung des N. T. zu befördern. p. 185. ſeqq. et *Roſenmülleri* Commentatt. de fatis interpretationis ſacrarum literarum in Eccleſia Chriſtiana, nunc etiam theodiſce factas. Lipſ. 1789—1791.

§ 6.

Sed adiunctum eſt ab Chriſtianis huic generi, quod ad *οἰκοδομὴν*, h. e. non tam ad intelligendas ſcripturas, quam ad dogmata et praecepta religionis inculcanda et commendanda, et ad gloriam ingenii vſurpabatur, *grammaticum*, quod verba, hiſtorias, ſententias, difficiles et obſcuras explicaret, lectiones varias commemoraret ac diiudicaret, auctore, id quod ſatis conſtat, *Origene*, non theologica magis quam literarum ſcientia et vſu praeclare inſtructo, quas illae Alexandriae docebat, auctore *Euſebio* H. E. a)

a) Origenes interpretationem allegoricam, quam primum ſecutus erat, doctrina philologica imbutus in ſcriptis poſterioribus reliquit. Idem noſtris temporibus euenire videmus: quo magis theologus eminet doctrina ſolida veraque linguarum notitia, eo melior eſt S. S. interpres, ſibique temperat, quo minus doctrinas fidei et morum inanibus ſuperſtruat allegoriis, quibus auditorum animi magis obruuntur, quam flectuntur.

§ 7.

Ad extremum, cum inter Graecos maior nume-

numerus esse coepisset Doctorum, qui eruditi essent literis humanioribus, et exculti elegantia doctrinae, allegoricum genus plane repudiari coepit, auctore *Diodoro* Tarsensi (v. *Socrat.* VI, 3. *Sozom.* VIII, 2.) cuius rationem discipuli, inprimis *Theodorus Mopsuestenus* et *Io. Chrysostomus*, imitati sunt. Nam quod, siue *Diodorus* ipse, siue *Theodorus*, siue vterque, in vaticiniis interpretandis ea ratione dicuntur abusi, historico sensu Prophetarum in accommodationes conuerso, ea, siue criminatio fuit hominum allegoricae interpretationi nimis faventium, et per hoc grammaticam, atque adeo ipsos illos libros, quorum gloriae invidebant, infamare cupientium, siue vera accusatio fuit, tamen non impedit, quo minus de interpretatione scripturarum vniversa in genere grammatico optime meriti sint. De *Theodoro* v. *Buddei* Isag. pag. 1405. a quo in enarrandis interpretibus *Diodori* mentionem nullam factam, mirabile est, e cuius libris excerpta in Catenis PP. reperiuntur, quamquam nihil, quod nos quidem repererimus, admodum eximii inest.

§ 8.

In Ecclesia latina et ipsa allegoricum genus inualuit, partim ab eadem necessitate (§. 5.), partim per versiones latinas Origenianorum

norum Commentariorum, aut quod, qui Graece docti eſſent, vt *Hilarius* et *Ambroſius*, ex *Origenis* et ſimilium libris haurirent.

§. 9.

*Dogmaticum* genus interpretandi eſt eorum, qui in interpretando non tam verba accurate interpretantur, quam ſententias vtcunque intellectas illuſtrant diſputationibus de capitibus fidei et morum, controuerſias etiam tractant, et veritatem doctrinae ab deprauationibus haereticorum vindicant: cuius generis eſt *Cyrilli* Alexandrini in Iohannem Commentarius, cui tamen interdum quaedam adſperſa ſunt e grammatica ratione; eique ſimiles multi, praeſertim de latinis, et recentioribus, proxime ab repurgatorum ſacrorum tempore ſcriptis. Quod genus ad intelligentiam rerum theologicarum vtile, ſaepe ad interpretationem eam, quae proprie dicitur, parum prodeſt. °)

p) Dogmaticum interpretandi genus probatur, ſi ſuperſtructum ſit explicationi grammaticae, v. c. Ioh. X, 30. ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν Quodſi hic notetur vnio moralis Ieſu et Patris, quae conſiſtit in communione conſilii de beandis hominibus, tunc bene obſervatur dogmatice, ſaluatorem diuinum ſingulari ratione cum Patre eſſe coniunctum. Si autem ſtatim ex doctrina Eccleſiaſtica de Trinitate cogitetur de vnitate eſſentiali, aliis ex locis comprobanda, tunc locus explicatur

plicatur dogmatice, et quidem male, quia contextus orationis Iohanneus negligitur.

§ 10.

Est etiam quoddam genus ex omnibus, praesertim posterioribus duobus, mixtum, quod et verba curiose tractat, et sententias theologicas persequitur: quod, si modum adhibet eum, quem supra descripsimus, non modo non est contemnendum, sed etiam vehementur probandum p). Sed leges interpretandi supra proposuimus.

p) Cum interpretatio S. S. adcurate et ex regulis artis instituta dogmatibus publica auctoritate olim descriptis non semper faueat, abstinebit fortasse prouidus interpres ab omnibus obseruationibus dogmaticis, eo lubentius, quia dogmata in vniuersum stabilienda non ex vno loco, vel altero, sed ex tota Nou. Test. analogia elici et probari debent.

§ 11.

In genere librorum, in quibus scripturae tractarentur, principatus dabatur *Commentariis* q): in quibus copiosius et vberius, olim allegoriae, intermistis tamen subinde grammaticis obseruationibus, vt in *Origenis Tomis*, post sententiae scriptorum tractatae essent. Huius generis quae ratio fuerit, bene *Hieronymus* explicat: *Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt: quae*

*quae obſcure ſcripta ſunt, pleno ſermone manifeſtant: multorum ſententias replicant, et dicunt: hunc locum quidam ſic ediſſerunt: alii ſic interpretantur: illi ſenſum ſuum et intelligentiam his teſtimoniis et hac nituntur ratione firmare, vt prudens lector, cum diuerſas explanationes legerit, multorum vel probanda vel improbanda didicerit, iudicet, quid verius ſit,* etc. adv. Rufin. L. I. p. m. 202.

q) Commentarius eſt perpetua explicatio auctoris ratione habita difficultatum, cum in verbis, tum in rebus obuiarum. Exemplum boni Commentarii eſt Heyniana interpretatio Virgilii. Multum difficultatis habet iſte labor: inde mira bonorum Commentariorum paucitas.

§ 12.

Aliud genus eſt *Homiliarum*, in quibus vel longiores ῥήσεις libri ſacri, vel ſingulae ſententiae breuiter explicantur, et ad vſum, h. e. ad docendum, monendum, conſolandum conferuntur: proprie deſtinatum vſibus Eccleſiae r). Latini *ſermones*, inprimis *tractatus* appellant, et *tractatores* ipſos auctores; quos hodie concionatores appellant; quamquam etiam totum genus interpretum *tractatores ſcripturarum* dicuntur. *Gloſſae* quidem ὁμιλίαν *tractatum*,

ὁμιλη-

ὁμιλητικὸν *tractatorem* interpretantur. v. inpr. *Cangius* in Gloſſar. in his verbis.

r) Quod noſtris diebus ſunt orationes in ſingula S. S. loca, primis ſeculis Chriſtianorum erant homiliae h. e. practicae locorum explicationes, fabulis ſanctis illorumque temporum philoſophia refertae. Optimae ſunt *Origenis* et *Chryſoſtomi*.

§ 13.

Tertium genus eſt *Scholiorum*, quae et σημειώσεις dictae, item ἐκβολαὶ vel ἐκλογαὶ, (*Euſtathius* παρεκβολὰς appellat) *excerpta*, quo verbo, non ſatis vulgo intellecto, *Hieronymus* σημειώσεις bene interpretatur: *Hieronymus genus commaticum*, a breuitate, appellat in *Comm. ad Matthaeum*.

§ 14.

Ante *Origenem* vtrum Commentarii extiterint, nec ne, quaeri ſolet, adfirmantibus aliis, vt *Huetio*, *Tillemontio*, *Buddeo*, cum alii ab *Origene* primo exemplum Commentarii ſcribendi propoſitum in Eccleſia Chriſtiana dicant. Me non poenitet, illius ſententiae eſſe; nam *Origenes* Tom. VII. in Ioan. prouocat ad Commentarios ſuperiores; ſed ita, vt de allegorico et dogmatico genere intelligatur: *Origenes* vocat ſcriptores *eccleſiaſticos*. Nam literalem inter-

terpretationem in vniuerſum N. T. primum *Origenem* edidiſſe in σημειώσεων opere, certum eſt; v. dicta in Diſp. noſtra de *Origene* etc. §. 26.

§ 15.

Omnino principatus inter veteres interpretes debetur *Origeni*, non modo, quod primus grammaticae interpretationis exemplum propoſuit, aut, quod in omni genere interpretationis excelluit, vt qui *Tomos* allegoricarum interpretationum, σημειώσεις literales, et *Homilias* ſcripſit, ſed etiam, et multo magis, quod prope, quicquid boni habent veteres graeci et latini interpretes N. T. id ab eo acceptum tenent; vt demonſtrauimus l. c. §. 27. 28. vbi inprimis §. 25. de σημειώσεσι dictum, i. e. de argumento et nomine operis.

§ 16.

Quo facilius etiam ferimus iacturam voluminis Origeniani, quod Scholia illa habuit: cum ea prope tota exhauſta ſint a ſequentibus, *Chryſoſtomo*, et aliis. Nec contemnendi ſunt *Tomi* [s]), praeſertim, quos graece ab *Huetio*, et nuper, cum aliis *Origenis* reliquiis graecis, ab *Ruaeo* editos habemus: quamquam et in latinis, vt in epiſt. ad Rom. multum boni ineſt. Nam adſperſa ſunt

sunt etiam ἀλληγορίαις quaedam haud vulgaria, ad grammaticam rationem pertinentia: vt nihil dicamus de fragmentis Commentariorum, quae vel in Philocalia extant, vel in Catenis reperiuntur. Atque etiam allegorica, etsi non ad interpretandi rationem, at ad sensus pios vel instillandos vel alendos prodesse possunt; quo nomine etiam *Erasmus*, quamquam alienus alias ab hoc genere, et grammaticus haud dubie interpres, tamen interpretes allegoricos commendat in *Enchir. mil. Christ.* cap. 2. et forte hac de caussa quaedam allegorica immiscuit Paraphrasi N. T. quod reprehendit *Clarkius* in Praefatione Paraphraseos suae N. T.

s) *Origenes* in Iohannem XXXII. tomos vel sectiones scripsit: reliqui tomi illustrant librum Iosuae, Matthaeum et Epistolam ad Romanos. Vid. *Origenis* commentaria in sacras scripturas, ed. Huetii. Colon. 1685. et *Roesleri* Bibl. Patr. Eccles. theod. II. p. 270. sq. Homiliae Origenis latine tantum exstant. *Philocalia* est Epitome operum Origenis praeclare concinnata a *Spencero*, Cantabrig. 1668.

§ 17.

Ei proximus est ex iis, quorum libri aetatem tulere, *Chrysostomus*, cuius *Homiliae* in *Matthaeum*, *Iohannem*, *Actus Apost.* et *Epist. Pauli* extant, in has primum separatim *Veronae*, 1529. ab *Giberto* Epi-

Epiſcopo editae, vniuerſae, praeterquam in Operum Voluminibus, etiam ſeparatim ab *Sylburgio*, quae ſunt miſtae e grammatico et dogmatico genere, breui et perſpicuae verborum interpretationi ethica tractatione, vt appellatur in editis, ſubiecta. In epiſtolas quidem Pauli nil melius aut par tota antiquitas habet; et quicunque de Graecis poſt in has Epiſtolas ſcripſere, ex *Chryſoſtomo* pendent. In hiſtoricos libros optimus eſt et pleniſſimus Commentarius in Matthaeum inprimisque dignus lectu.

§ 18.

Eius diſcipulus fuit *Iſidorus Peluſiota*, cuius Epiſtolarum libros quinque ab *Kittershuſio* et *Schotto* per partes editos habemus, de Interpretatione Scripturae S. h. e. ſuper locis ſcripturarum, et quaeſtionibus dogmaticis, e ſenſu locorum quorundam pendentibus. Inprimis ſaepe vindicat loca, quae ad praedeſtinationem abſolutam trahebantur, vt I, 56. IV, 59. etc. Eas magis ab aliis valde laudatas, quam vſu admodum dignas tali laude reperi. Sequitur fere *Chryſoſtomum* praeceptorem: caeterum grammaticae interpretationis fautor, atque etiam Criticae amans. Oportet ſtudioſum interpretandarum ſcripturarum percurrere opus,

et

et deligere, quae ad hanc rationem pertinent.

§ 19.

Haud paullo vtilior et melior est *Theodoretus*, Cyri Episcopus, cuius Commentarium in Epistolas Pauli graece edidit *Sirmondus* (T. III. Opp. *Theod.*), quamquam Scholiorum potius, quam Commentarii formam habet. Ipse excerpta de Patrum, *Theod. Mopsuesteni* inprimis et *Chrysostomi*, scriptis appellat in Praefat. Nec modo verba breuiter explicat, sed etiam de interpunctionibus passim monet, vt *Rom.* 9, 5. et sententias breuiter illustrat, argumenta aduersus haereticos, inprimis Arianos, demonstrat, et a deprauationibus haereticorum, qui tum erant, vindicat. Itaque ab eius lectione initium fieri velim. t)

t) Dignus est inprimis, qui adcuratius inspiciatur, Commentarius eius in Epistolas Pauli minores. Commoda est editio a *Schulzio* et *Noesselto* curata 5 tomis, Halae 1769. f.

§ 20.

Similis huic est *Theophylactus*, Bulgariae Episcopus, inde vulgo *Vulgarius* olim appellatus, etiam *Melanchthoni*, *Erasmo* et *Camerario*, cuius in Euangelia, Acta Apost. et Epistolas Pauli Commentarios, siue

siue potius Scholia, habemus, vt quae etiam in Codicibus nonnullis ἐπιτομαὶ inscribuntur. Nam et ex iisdem fontibus hausit, et eadem methodo vsus est; nisi quod, praeter dogmatica, etiam allegorica subinde lususque admiscuit: nisi ea ab aliis addita sunt: nam interpolatum esse subinde, diuersitas librorum arguit, nuperis etiam editoribus Venetis notata, aliis alio loco Codicibus modo breuioribus, modo copiosioribus, et, *Simoni Hist. Crit. T. IV. Cap. 28.* videtur, formula καὶ ἄλλως: quamquam haec Scholiastis graecis, nominatim Oecumenio, valde vsitata est. Caeterum Commentarius in Epist. Pauli accuratior est caeteris et verum compendium Chrysostomi. De nupera editione v. Bibl. theol. T. V. p. 771. s.

§ 21.

Ex eodem genere sunt *Oecumenii* [u]) in Acta Apost. et Epistolas Pauli Scholia, si tamen sunt *Oecumenii*, cuius etiam aetas ignoratur. Nam ei tantum de coniectura editoris primi, *Donati* Veronensis, sine librorum auctoritate tribuuntur, per quos *Theophylacti* potius esse, nuper *Finettus* iudicauit, *praef. ad T. III. Opp. Theophyl.* Haec sunt, quae *Scholiorum* nomine commemorari solent ab *Erasmo*, *Camerario*, *Beza*, et aliis illius aetatis scriptoribus.

bus. Et sunt potius ab ignoto e pluribus excerptae notae, quam vnius opus. Nam et *Oecumenii* nomen interdum est in margine, vt et *Ioannis*, i. e. *Chrysostomi*, et *Photii*. Ex *Origenis* Scholiis quaedam fluxisse, etiam hoc indicio est, quod in iis Origenianarum opinionum vestigia deprehensa sunt. v. *Erasmus* ad *Hebr.* VII, 25.

u) *Theophylactus* et *Oecumenius* sunt meri compilatores Chrysostomi, quibus parum frugis inest. Patebit iudicii veritas ex hoc specimine: sunt IV. euangelistae, ait Theophylactus, quia IV. sunt virtutes cardinales.

§ 22.

Nec dispar est *Io. Damasceni* v) in Epistolas Pauli Commentariolus, inter eius Opera T. II. ab editore Benedictino in lucem prolatus, vt qui etiam inscriptione profitetur, nihil nisi Excerpta esse e *Chrysostomi* Opere.

v) Damascenus, Syriae monachus, Sec. VIII. florens, non tam propter merita in interpretationem inclaruit, quam propter systema dogmaticum a se conditum in libro: περὶ ὀρθοδόξης πίστεως.

§ 23.

His *Theophylacti Oecumeniique* Operibus simillimae sunt, quae sub *Catenarum*, ab *Thoma Aquinate* inuento nomine, vel editae

editae ſunt, vel in Bibliothecis latent; Graecis ἐπιτομαὶ ἑρμηνειῶν dicuntur. x) Ea ſunt excerpta e Commentariis, et aliis Patrum libris, quae etiam ſingula ſuis plerumque auctoribus nominatim redduntur, collecta et digeſta ab *Olympiodoro*, *Niceta*, *Procopio Gazaeo*, et aliis: de quibus qui volet cognoſcere, praeter *Ittigium* de Catenis Patrum, adeat inprimis *Simonem* l. c. c. 30. ſ. et *Noeſſeltum*, V. C. in Diſſ. de Catenis Patrum graecorum: qui ſoli ad vſum accommodate de iis ſcripſere: caeteri, vt *Wolfius*, *Fabricius* etc. tantum hiſtorice.

x) Catenae celebrantur propter vſum triplicem: 1) ſeruarunt enim *Aquilam* et reliqua fragmenta hexaplaria, 2) continent extractus ex operibus ignotorum interpretum, et 3) multas bonae frugis variantes lectiones. Num autem nomen, *catena*, ab Aquinate inuentum ſit, merito dubitatur. Praecipuae catenae ſunt *Nicephori* in Octateuchum 1581. *Olympiodori* in Iobum, Venet. 1587. *Poſſini* in Matthaeum 1646. *Corderii* in Lucam, Antuerp. 1648.

§ 24.

Nec praetereundus *Euthymius Zigabenus*, Panopliae Dogmaticae ſcriptor e Sec. XII. cuius Commentarios in Euangelia latine editos a *Io. Hentenio* habemus, pariter e *Chryſoſtomo* maxime, ſed tamen et aliis ductos, z) et doctis valde probatos, vt *Sadoleto*,

*doleto*, quem vid. Epist. p. 214. b. ed. nov. add. *Fabric.* Bibl. Graec. T. VII. p. 474. Et memorantur Codices scripti Comment. in Epist. Pauli, item Catholicas.

z) Nimirum Basilio, Origene et Gregorio Nazianzeno. Opus iussu Alexii Comneni contra omnes haereses exaratum est: insunt tamen hinc inde obseruationes egregiae, v. c. ad Matth. IV, 11. quo loco tentationes Iesu Christi ad sollicitationes internas τῆς γαστριμαργίας, τῆς κενοδοξίας καὶ τῆς φιλοπλουτίας refert: οὗτοι γὰρ οἱ πειρασμοί εἰσιν οἱ ἄρχοντες τῶν παθῶν. Facile intelligitur, quam prope haec absint a *Beckeri*, *Heumanni*, *Eichhornii* et *Herderi* interpretationibus. Commodam *Euthymii* editionem curauit Matthaei, textu Graeco, qui nunquam antea editus erat, diligenter recensito, Lips. 1792. 4 tom. 8.

## § 25.

Consulto ad hunc locum distulimus *Cyrillum Alexandrinum*, cuius Commentarius in Iohannem exstat, graece, etsi non integer, ab *Auberto* inter Opera eius (T. IV.) editus: quod dogmata potius et controuersias, inprimis Arianas, tractat, quam interpretem agit, qui proprie dicitur. Insunt tamen nonnulla e ratione grammatica, in qua non dubitat ab auctoritate superiorum omnium discedere. Ex quo genere est, quod *Io.* 5, 39. primus defendit, ἐρευνᾶτε non imperatiue, sed indicatiue accipiendum esse: item εὐλογεῖν et εὐχαριστεῖν esse eadem, et

et alia. Et ſunt etiam in aliis eius ſcriptis, quae ad hanc rationem pertineant, et ad phraſeos intelligentiam. Excerpta huius Commentarii dedit *Semlerus* V. C. in Selectis capp. Hiſt. Eccl. pag. 285.

§ 26.

Haec de Graecis. Latinorum longe princeps eſt *Hieronymus*, [a]) ſolus hebraice et graece doctus, qui plures N. T. libros Commentariis illuſtrauit, ſecutus maxime *Origenem*, cuius in *Praef. ad Quaeſt. in Geneſ.* etiam cum inuidia nominis Origeniani, optat habere ſcientiam ſcripturarum: id quod e praefationibus patet, in quibus commemorat auctores, e quibus profecerit, inprimis in Epiſt. ad Galatas. Etſi potius aliorum ſententias refert, quam ipſe ſuas explicat, quo nomine etiam tum a nonnullis reprehenſus eſt: v. *Praef. Comm. in Ierem.* et *L. I. c. Ruf.* tamen et ipſe nonnunquam bona ſua in critico, grammatico et dogmatico genere profert. *Lutherus* noſter cum feliciorem in aliis libris, quam in Commentariis interpretari iudicat, vt ſupra memorauimus.

a) *Hieronymus* melius interpretatur S. S. in Epiſtolis, quam in Commentariis, melius V. quam N. T. Inſunt tamen etiam commentariis obſeruationes bonae frugis, v. c. Matth. VI, 11. quo loco *ἄρτον ἐπιούσιον*

in euangelio secundum Hebraeos לחם מחור adpellari scribit, h. e. panem *crastinum*, siue *futurum*: quae vnice vera est h. v. explicatio. Animum attentum sibi deposcunt notitiae eius geographicae, quia per longum tempus commoratus est in Palaestina. Vid. beati *Oelrichsii* Commentar. de scriptor. Ecclef. Lat. Lips. 1791. p. 512. f.

§ 27.

Nec tamen inutile fuerit, alios quoque consuluisse: quorum antiquissimus est *Hilarius* Pictauiensis, cuius Commentarius in Matthaeum extat, literalis ille quidem, sed subobscurus, vt sunt illius omnia, et e Graecis, inprimis *Origene*, ductus. Melior est alter *Hilarius*, Diaconus, (si tamen est auctor Commentarii in Epistolas Pauli, qui inter *Ambrosii* Opera editur,) vt videtur *Blondello Apol. Hieron.* pag. 47. 48. multos adstipulatores nacto, contra dicente *Petauio* de *Hierarch.* I, 12. quem sequitur *Oudinus* in Comment. de Script. Eccl. *Blondelli* sententia videtur potior, quae *Augustini* testimonio nititur, proferentis verba Hilarii, quae sunt in hoc Commentariolo. Nam v. c. vestigia Pelagianismi, a quo alienus fuit *Hilarius*, vel dubia sunt, vel ab interpolatione: cuius suspicionem video iam in mentem venisse editori Parisiensi a. 1529. in subiecta Epistolae ad Rom. admonitione. Certe qui dicit p. m. 490. a. 2. *nos peccasse*

in

*in Adamo, in maſſa Adami*, is Pelagianus non fuit: vt neceſſe ſit, ea, quae Pelagiana videantur, aut aliter ab eo intellecta, aut non ſcripta eſſe. Et ſunt tamen in his Commentariis, quae graecae linguae imperitum arguant, vt qui lectionem aliquo loco graecam ita commemorat, vt ab obiiciente, et de fama acceptam, ad Rom. XII, 11. Caeterum vt interdum valde ineptiat, vt in iis, quae de *praetorio* et *epiſcopis* ad *Phil.* I. dicit: tamen et multa bona habet, quae vix ab homine graecarum et hebraicarum literarum imperito exſpectes. [b])

b) *Oelrichs* l. exc. pag. 62. „in interpretando Codice ſacro non magna laus Hilarii: ſatis enim conſtat, eum Origenem, niſi interpretatum, certe in plurimis ſecutum eſſe.“

## § 28.

Nec contemnendus eſt ſimilis *Pelagii* Commentariolus in Pauli omnes, praeterquam ad Hebraeos, Epiſtolas, a quibusdam *Hieronymo*, inter cuius Opera editur, male tributus; quem nec *Caſſiodorus* ſubtiliſſimum vocare, *Lect. diu. cap. 8.* nec Orthodoxi, praeſertim poſterioris aetatis, ſaepe vſurpare dubitauere: [c]) quamquam inſunt ſemina opinionum de peccato inprimis originali, et alii errores. v. *Voſſius* Hiſt. Pelag. I, 4. et *Noriſ.* Hiſt. Pelag. I, 3.

c) Conf.

c) Conf. de hoc Pelagii Commentariolo *Walchii* Hiſtor. Haer. T. IV. p. 547. ſeqq. et b. *Schoenemann* biblioth. hiſtorico - liter. patrum latin. Lipſ. 1794. t. II. p. 433. ſ.

§ 29.

*Auguſtinus*, ſi hebraice et graece doctus fuiſſet, pro ingenii magnitudine et ſubtilitate, ſuperaſſet haud dubie omnes. d) Nunc vir in Dialecticis et Rhetoricis exercitatior, quam in Grammaticis, literisque graecis et hebraicis, Commentarios repleuit allegoriis, et digreſſionibus dogmaticis, ſaepe valde bonis, quaeſiuitque myſteria in verbis, quae ſaepe adeo torquet, vt ludere voluiſſe videatur. Interdum tamen, felicitate ingenii, non modo ſequitur meliores ſuperiorum interpretationes, ſed etiam ſua ſponte, maxime in libris dogmaticis, verum videt. Caeterum haec ratio interpretandi, quia non opus habet literis, ſed ratiocinatione Dialectica vtitur e verbis verſionis, ſenſu vulgari latino acceptis, et ad analogiam doctrinae relatis, ſequentibus ſeculis, quae et ipſa illis literis carebant, lectores et admiratores reperit plures, quam *Hieronymus*. Itaque interpretes latini, qui poſt fuere, vsque ad inſtaurationem ſacrorum, toti pendent ex *Auguſtino*, cuius interpretationes non modo e Commentariis, ſiue Sermonibus in libros ſacros, ſed etiam

e

e libris caeteris omnibus, inprimisque iis, qui aduerſus Arianos, Pelagium et aſſeclas, item Manichaeos ſcripti ſunt, laborioſe collegerunt, vt *Thomas* in *Catena aurea*, et totam interpretationem N. T. Auguſtinianam fecere. Nam quae ab Anglis, vt *Beda* et *Alcuino*, poſtquam literae graecae inter eos coli coepiſſent, e Graecis, vt *Chryſoſtomo*, et e literatura hebraica a *Nic. Lirano* et *Paulo Burgenſi*, Lirani continuatore, ducta ſunt, ea tenuia ſunt et pauca, quamquam non contemnenda. Atque etiam proximis ab inſtauratione ſacrorum temporibus, cum primi Theologi eſſent ei rationi adſueti, inprimis *Lutherus*, nec dum literis hebraicis et graecis ad noſtrorum temporum modum inſtructi, *Auguſtinus* plurimum valuit, vt quem etiam *Victorinus Strigelius*, vir elegantiſſimae doctrinae, et inter optimos illius aetatis interpretes numerandus, *Loc. Theol.* P. III. p. 29. non dubitat, caeteris omnibus praeferre: *nullus ex Patribus melior interpres eſt, quam Auguſtinus.* Caeterum commentariorum optimus eſt in Epiſtolam ad Galatas, parcior ille in allegoriis, magisque caeteris grammaticus.

d) *Auguſtinus*, omnis orthodoxiae pater, hic commemorari debet propter CXXIV. ſermones in Iohannem, Commentarium in orationem montanam, in Epiſtolam ad Romanos et propter quaeſtiones in Euangeliſtas.

listas. Neque praetermittendi sunt libri IV. de consensu euangelistarum, qua de re multa ingenue disputauit singularem quasi inspirationem diuinam in hoc argumento tractando sibi vindicans. In vniuersum *Augustinus* non tam inter interpretes verborum, quam rerum referendus est. Vid. *Oelrichs* l. c. p. 514. seqq. et *Schoenemann* l. c. p. 24. ff.

§ 30.

Itaque non est, quare de caeteris Latinis dicamus, aut de glossis, quarum ea, quae *Ordinaria* dicitur, a *Rabano Mauro*, [e]) s. potius *Walafrido Strabone* ex *Rabani* Commentariis, collecta altera breuior, quae *Interlinearis* appellatur, ab *Anselmo* Cantuariensi scripta est.

e) *Rabanus Maurus*, primum abbas Fuldensis, deinde Episcopus Moguntinus, Alcuini discipulus, scripsit catenam Patrum in Ev. Matthaei et Epistolas Pauli. Plura vide in *Simon*. Hist. Crit. T. III. c. 25.

§ 31.

Instauratis studiis linguarum, et mox sacris ipsis, commutata est paullatim ratio tractandi libros sacros, et emendata: [f]) sed nec omnes eodem modo tractarunt rem, nec omnibus temporibus eadem ratio valuit. Nam alii grammatica modo secuti sunt, vt sensus verborum explicaretur: alii sententias et dogmata, alii vtrumque genus complexi

plexi ſunt, et alius alio vberior fuit. Et in principio primum genus a pluribus cultum; poſt alterum, deſerto prope penitus primo, obtinuit; denique primum et tertium reuocatum eſt. Fuerunt etiam extremis temporibus, qui in locis difficilioribus per Obſeruationum libros explicandis et illuſtrandis ſtudium ſuum collocarent.

f) Poeſis mater fuit philoſophiae: hanc ſecutus eſt dogmatiſmus: hoc aedificio operoſe exſtructo, multa diruit ſcepticiſmus. Similia fata experta eſt interpretatio S. S. Luſus imaginationis in fabulis ſanctis creauit myſticiſmum et allegoriarum amorem: fides hiſtorica et arbitraria, rationis tyrannus, enixa eſt dogmatiſmum: auctorum veterum amor et ſtudium peperit interpretationem grammaticam, quam ne ἀπιστία aliquando excipiat, verendum eſt.

## § 32.

Ex primo genere olim fuere *Laur. Valla*, *Ioach. Camerarius*, *Flacius*, *Nic. Zegerus*, *R. Stephanus*, *Caſtellio*, quibus et *Stunica* et *Lucas Brugenſis* addi poſſunt: propioribus noſtrae aetati, atque noſtris adeo temporibus *Pricaeus*, *Eraſmus Schmidius*, *Heinſius*, *de Dieu*, *Millius*, *Georgius*, *Bengelius*, *Wetſtenius*, *Heumannus* etc. g)

g) Ad priores refer etiam *Vatablum* et *Druſium*: ad poſteriores *Michaelem*, *Roſenmüllerum*, *Koppium*, *Hezelium*, *Schleuſnerum*, *Pottium* aliosque.

§ 33.

§ 33.

Ex genere altero, quod quidem verba non plane negligit, ſed tamen res et dogmata magis et latius tractat, ſunt *Lutheri*, *Melanchthonis*, (v. infra §. 49.) *Aeg. Hunnii*, *Balduini*, et aliorum, qui nunc fere negliguntur, *Calouii*, et extra Eccleſiam noſtram *Petr. Martyris*, *Caluini*, *Pellicani*, *Cocceii* et aſſeclarum, *Lampii*, *Turretini*, et aliorum, quos omnes commemorari non eſt neceſſe. [h])

h) Multa, quae huc pertinent, ſuppeditabit *Semlerus* in libro: Verſuch die gemeinnützige Auslegung des N. T. zu befördern. Halae 1786. p. 195. ſqq. *Meyer* Geſchichte der Schriſterklärung t. II. p. 335. ſſ.

§ 34.

E genere mixto, quod vtrumque, verba et res, ſed breuius, niſi vbi aliter neceſſitas aut alia cauſſa poſtulat, tractat, princeps fuit *Eraſmus*, cuius Adnotationes profecto viam bene interpretandi patefecerunt, in quarum etiam velut fundamentis omnes, qui poſt fuere boni interpretes, aedificauere: etſi ille in multis lapſus eſt, ignorantia inprimis hebraiſmi. Ei proxime adiungendus eſt *Victorinus Strigelius*, minus clarus, atque etiam ignotus *Simoni*, Hiſtoriae Criticae N. T. auctori, ſed in multis melior

*Eraſmo*,

*Eraſmo*, et ad vſum ſtudioſorum aptior. Et in interpretando non, vt ille, verſionem latinam maxime, ſed graeca, explicat et illuſtrat, nec modo e literis graecis, ſed etiam hebraicis, permulta melius *Eraſmo*. Atque etiam ſententias tractat, breuiter rerum notiones perſpicue tradit, eſtque, in vtroque genere, *Eraſmo* aequabilior, qui ſaepe digreſſionibus, etiam declamationibus indulget. In vno inferior eſt *Eraſmo*, quod Critica non attingit, neſcio an conſulto. *Hypomnematum* nomine editum eſt opus, duobus voluminibus. Lipſiae a. 1565. 8.

§ 35.

Secuti ſunt poſt alii: quorum princeps eſt *Beza*, veris interpretationis ſubſidiis pro facultate illorum temporum bene vſus, libris manuſcriptis, literis hebraicis, graecis, verſione etiam V. T. graeca, et aliis. Certe parem non habuit ante *Grotium*, in iis, quae ad verba et phraſin pertinent, omnibus ſuperiorem, et primum omnibus praeſidiis ſatis inſtructum, ingenii, linguarum omnium, verſionis τῶν ό, quam primus recte contulit, et vſurpandae rationem exemplo demonſtrauit, literarum etiam Iudaicarum et aliarum orientalium; vt vere *Turretinus* iudicet, eum de phraſi N. T. hoc eſt, de grammatica ratione, omnium optime

me meritum esse. In sententiis autem indulget opinionibus suis, et saepe a veritate aberrat. i)

i) Quapropter etiam, vt fieri solet, a conuiciis sibi non temperauit Calouius, Grotiumque Socinianum, Arianum, Antitrinitarium et Atheum adpellavit. Quae tamen nos non impediunt, quo minus illum inter optimos interpretes N. T. referamus eumque tironibus praesertim, postquam grammaticas difficultates superauerunt, commendemus. Exempli loco sit Ioh. VI, 17. de vero Bethsaidae situ, qui vel recentiores interpretes latuit. Conf. *Herderi* librum: Briefe das Stud. d. Theol. betr. Tom. II. p. 357. sqq.

## § 36.

Qui post fuere ex hac ratione, omnes, etiam qui vituperant *Grotium*, ex eius fontibus, qua grammatica scilicet, hausere; vt Britanni, *Whitbius*, *Hammondus*, l) item *Clericus*, *Infans* et *Bellosobrius*, *Calmetus*, vt multos alios, qui in singulos libros aut locos scripsere, praetermittamus: vt ille profecto caput sit hodiernae interpretationis grammaticae.

l) *Whitby* in Examine critico: *Hammondus* in Obseruationibus in N. T. quas Clericus ex Anglis latinas fecit, typis postea repetitas Francof. 1714. fol.

## § 37.

Qui noluerunt integros Commentarios scri-

ſcribere, in quibus neceſſe eſt, ab aliis dicta et nota repetere, vel omnium, vel aliquot librorum verba, phraſes et ſententias illuſtrare ex obſeruationibus ſuis ſtuduere. Ex quibus quidam ſunt mere grammatici: in his plures ſcriptoribus graecis modo vſi, vt *Lamb. Bos*, *Elsnerus*, *Albertus*, *Raphelius*, *Kypkius*, [m]) et alii minus clari aut probandi: alii literatura orientali maxime, vt *Capelli*, *Druſius*, in Praeteritis, *Camero*, *Lightfootus*, *Schoettgenius*: alii denique verſione Vet. Teſt. graeca, vt *Keuchenius*.

m) Adde *Valckenarii* adnotatt. crit. in loca quaedam N. T. cum *Kloſii* examine 1790. (opuſc. edit. Lipſ. t. II. p. 229. ſſ.). In corpus redigere coepit obſeruationes priorum ſcriptorum omnes *Hetzelius*: ſucceſſu tamen hucusque caruit opus. Huc etiam referri debent coniecturae Bowyeri in N. T. theodiſce verſae a Schulzio Tom. I. II. Lipſ. 1774. f.

## § 38.

Fuerunt etiam, qui per omnes libros ita vagarentur, vt ſelecta et difficiliora loca, diligentius ſcriptis diſputatiunculis, ex quocunque genere literarum, illuſtrarent, rerum etiam non obliti, vt vindicarentur ab deprauationibus et παρερμηνείαις τῶν ἑτεροδοξέντων, vt *Tarnouius*, *Hackſpanus*, *Spanhemii*, *Werenfelſius*, *Deylingius*, *Oederus*, [n]) et alii.

n) Tar-

n) *Tarnouius* in Exercitatt. Bibl. *Hackspanus* Miscellan. in N. T. *Spanhemius* pater in dubiis euangel. filius in vindiciis euangelicis. *Werenfelsius* Obseruatt. in N. T. *Deylingius* Obseruatt. in 3 tom. distrib. Lips. 1720—36. *Oederus* Obseruatt. in N. T. Adde exercitatt. *Mori*, *Seileri*, *Noesselti*, *Knappii*, *Reinhardi* (2 voll. Lips. 1809.).

## § 39.

Nec defuere, qui ex omnibus, aut delectis, quasdam quasi Catenas contexerent, vt vno loco esset, quicquid in quemque locum dictum esset ab aliis, aut melioribus. Ex illo genere sunt *Ant. Walaei* in N. T. Annotationes, non admodum probatae, et *Poli* Synopsis e Criticis Anglicanis, et *Curae J. C. Wolfii*, °) qui tamen et suum iudicium interponit; haud paullo melior et copiosior illis, nec tamen semper satis accuratus: ex hoc Opus nouum, quod ex Interpretibus Anglicanis delectas notas habet, ante francice editum, nunc et germanice cum eruditis *Bruckeri*, V. Cel. notis apud nos editum est Tomis VIII, 4.

o) *Walaeus* edidit Euangelia et acta cum scholiis, suis etiam adnotationibus adspersis. *Poli* synopsis est epitome Criticorum Anglorum, sed nimis cara, neque etiam adprime vtilis. Curae *Wolfii* philol. et crit. (ed. 2. Hamb. 1733 — 35. 4 Voll. in 4.) pleniores sunt titulorum, quam rerum; expressit tamen subinde auctor argumenta librorum, quos excitauit.

§ 40.

§ 40.

Commentariorum denique integrorum Bibliothecae inſtitutae ſunt: ex quo genere ſunt *Biblia magna* et *maxima*, Pariſiis ſuperiori ſeculo edita: in quibus et verboſiſſimi et parum probati Commentarii, vt *Menochii*, editi ſunt. Melior eſt, quae *Criticorum Anglicanorum* nomine, auctore *Pearſono*, in Britannia, ſeptem Voluminibus prodiit, cum auctario duorum Voluminum Francofurti repetita: qui tamen quosdam admiſit, quos rectius repudiaſſet, vt *Clarium* et alios quosdam.

§ 41.

Sed ſatis de Interpretibus, eorumque generibus, et interpretandi varietate dictum: reſtat, vt de vſu admoneantur ſtudioſi. Is eſt duplex: alter ad methodum bene interpretandi proprie pertinens, qui noſtro iudicio eſt princeps: alter ad interpretationem ſingulorum verborum et ſententiarum.

§ 42.

Debebit igitur ante omnia futurus interpres ſibi deligere vnum et item alterum notae et confeſſae inter peritos praeſtantiae Interpretem, et quidem ex genere grammatico primum et maxime: quod ab intelligentia recta ver-

verborum etiam rerum intelligentia vera ducitur, nec ſine ea contingere poteſt, h. e. talem, qualem ſupra deſcripſimus (P. I. c. vlt.), eumque crebro legendo, excutiendo, et ſubſidia modumque interpretandi conſiderando, ſe paullatim ad eius rationem conformare, et dum hoc agit, caeteros tantum per occaſionem alicuius neceſſitatis conſulere. Ii qui ſint, e dictis facile eſt iudicare. E Grotianis Commentariis inprimis commendem hoc conſilio eum, qui eſt in Matthaeum, omnium ille diligentiſſime ſcriptus.

§ 43.

In caeteris hoc curabit, vt, ad quod genus quisque pertineat, non ignoret, verba potius an res, et quomodo tractet: quo aut quibus generibus praeſidiorum bene ſit vſus. Ita, qui vniuerſe rationibus ſuis maxime conducant, qui quoque in genere difficultatis aut neceſſitatis conſulendi ſint, ſtatim tenebit, nec inter plures incertus errabit. Id qui ipſe nondum iudicare poteſt, aut cognoſcendorum librorum facultatem non habet, conſulet *Rich. Simonem*, qui de Interpretibus Nou. Teſt. non ille quidem ſic, vt nihil erraret, at omnium, quos nos quidem cognouerimus aut ſciamus, accuratiſſime, et ad illum vſum accommodate, expoſuit, et in plerisque rectiſſime iudicauit, *T. IV. Hiſt. Crit.*

vt

vt ſit in promtu vniuscuiusque character. V. c. cum didicerit, *Maldonati* haec eſſe inter vitia, quae a ſectae ſtudio contraxit, bona, vt primum hebraiſmos, praeſertim difficiliores, bene explicet, deinde ſententias Patrum ſuper vnoquoque loco diligenter commemoret; nec repudiabit omnino Commentarium eius in Euangelia, quia eſt Ieſuitae ferocioris, et in tempore vti bonis eius poterit. oo)

oo) Τὰ ἀρχαῖα παρῆλθε. Magni aeſtimamus R. *Simonem*, ſed bene valere iubemus *Maldonatum*, in grammaticis ieiunum, in dogmaticis λύκον βαρύν. Adeant *Grotium* tirones, *Roſenmüllerum*, *Paulum*, *Kuinoelium*: Ieſuitae commentario facile carebunt.

§ 44.

Plurimum autem proderit, notata habere loca cuiusque libri ſacri difficilia, et ab interpretibus in varias ſententias tractata, itemque lectionis nomine memorabilia, et in quibus nobis nondum nec alii ſatisfecere, nec nosmetipſi ſatisfacere potuimus. Ita, vbi Commentarius aliquis in manus venerit, licebit breui tempore cognoſcere, an habeat aliquid noui aut praecipui boni, omninoque aliquid, quo deduci ad verum ſenſum poſſimus. ooo)

ooo) V. c. Matth. V, 3. Marc. IX, 49. Act. XXVII, 12. Gal. III, 20. Col. I, 15. ſ.

§ 45.

Qui autem excellere volet in hac ratione, debebit etiam interdum integros Commentarios percurrere, alio tempore alium. Nam, vt non dicam, multa a multis subinde bene tradi, quae illo loco non quaerat quisquam, quod fit inprimis ab iis, qui ostendendae doctrinae occasionem solent quaerere: saepe vtiliter admonebimur de locis, quorum interpretationem certam et minime dubiam videbamur tenere, quod eam a puerili institutione, cum iudicandi facultas non erat, e libris doctrinae vulgaribus suscepimus, et saepe repetendo velut corroborauimus.[p])

p) Vbi cum aoristis semel inducias fecerit interpres, auctores N. T. singulos legat bono vocabulario instructus. Repetita lectione consulat bonam versionem, deinde idoneum interpretem, *Grotium*, *Koppium*, aut alium. Hoc bene ponderato, adeat etiam alios cum iudicio et delectu, ita tamen, vt reliqua subsidia critica haud negligat.

§ 46.

Inprimis auctor sim, vt Graecos, quos supra descripsimus, inde a *Chrysostomo*, eo, quo supra diximus ordine, excutiat, et inter se comparet. Et sunt nec nimis multi, nec nimis magni, vt non nimis multum aut temporis aut laboris insumendum sit ei, qui iam medio-

mediocrem profectum in eo genere cepit. Ea res praeter alias multas, etiam hanc vtilitatem habebit, vt interpretationes latinorum, atque popularium nostrorum, inde a repurgatis sacris, ortas e versione latina, aut vernacula, vel plane aberrante a graeco, vel male, h. e. ex etymologia, aut latina vernaculaue consuetudine accepta, et de manu in manum traditas agnoscat, fontem erroris videat, et rectius verba sacra intelligere discat, nec credat amplius, vulgarem interpretationem esse antiquam, et vel hanc ob caussam orthodoxam. Exempla supra aliquot locis quaedam posuimus, quibus addi potest locus *Ebr.* 2, 16. in verbo ἐπιλαμβάνεται quod cum recentiores quidam interpretari coepissent, *auxilium fert*, *asserit*, novitas et propemodum ἑτεροδοξία iis obiecta est, cum conferenti graecos interpretes pateat, eam esse solam antiquam totius Ecclesiae graecae interpretationem; vulgarem nostrorum hominum et libellorum dogmaticorum esse nouitiam, ortam ab latinis, qui interpretationem graeci verbi in Vulgata puerilem, et ex etymologia graeci verbi factam, *assumit*, latine capiendo, ad incarnationem transtulerunt, nec profecto, sua modo lingua nixi, alio transferre potuerunt. Et talia non pauca licebit obseruare, quae ignorasse ei, qui interpretem se ferat, turpe fuerit.

§ 47.

Illud autem praeceptum commune eſt in omnium cum veterum, tum recentiorum lectione, vt non modo in bonis interpretationibus, praeſertim inſignioribus et difficiliorum locorum, videamus, qua via quisque et ratione ad verum ſenſum peruenerit, ſed etiam, vt in vitioſis et abſurdis cauſſas erroris indagemus, atque ita ingenium et ad verum videndum et ad errorem cauendum acuamus. q)

q) V. c. Col. I, 16. quo loco *θρόνους*, *κυριότητας*, *ἀρχὰς* etc. non ad *magiſtratus politicos* relatum fuiſſent interpretes bene multi, ſi Judaeorum doctrinam de variis angelorum ordinibus perſpectam habuiſſent.

§ 48.

In obſeruationum autem ſcriptoribus hunc delectum habebimus, vt non multum temporis tribuamus Philologicis iis, qui ſolas literas graecas ad illuminandum N. T. contulerunt: propterea, quod raro aliquid aut multum bonae frugis, aut verae lucis ineſt. In ipſis Elſnerianis, quibus propemodum principatus a nonnullis tribuitur, vix decem alicuius momenti obſeruatiunculas meminimus nos reperire, plerisque Lexico graeco locupletando, quam Nouo Teſtamento illuminando aptioribus. Meliores ſunt, quae verba ambigua et obſcura e literis

ris hebraicis et verſione graeca Veteris Teſtamenti interpretantur, veras lectiones vindicant, res et ſententias ipſas illuminant, et a dubitationibus liberant.[qq])

qq) Quaeritur, quid ſit *σκεῦος* 1. Theſſ. IV, 4.? Fuere, qui loca colligerent e *Lucretio* et *Cicerone*, quibus corpus adpellatur *vas* et *receptaculum* animi; Eraſmus ipſe de *vaſe fictili* cogitauit; alii *τὸ σκῆνος* Pythagoreorum in ſubſidium vocauerunt; iterum alii *uxorem* deſignari e linguae Hebraicae vſu probaturi erant. Falſo: locus 1. Sam. XXI, 5. docet, כלל נערים, *σκεύη τῶν* LXX eſſe *genitalia*.

## § 49.

Nec vero contemnendi aut prorſus negligendi ſunt Commentarii hi, qui dogmata inprimis tractant: non quo iis ad ipſam interpretandi rationem multum adiuuemur, ſed quod ex iis dogmatum ſcientiam augere poſſumus, quae in Commentariis biblicis veterum et recentiorum ſaepe diligentius et vberius tractantur, quam in libris iis, qui proprie ad dogmatum explicationem pertinent. Et inſunt etiam bonae interpretationes e genere grammatico, vt in Commentariis *Melanchthonis:* in quibus etiam interdum monet, melius rem expediri grammatica ex graeciſmo aut hebraiſmo explicatione, quam ſubtilitate philoſophandi ſcholaſtica. v. ad 1 *Cor.* 15. pag. 299. vbi eſt egregium ſpecimen

men loci hebraici e Vet. Test. bene tractandi, ad *Coloss.* 5, 14. vbi bene *primogenitum* et *thronos* explicat.*)

*) **Negari tamen nequit, Melanchthonem in interpretando N. T. saepius theologi, quam grammatici officio functum esse. Vide comment. in ep. ad Rom. c. V. de peccato originali p. 148. edit. Viteb. 1540.**

## § 50.

Atque etiam iis, qui vel in Ecclesia, vel in Schola interpretaturi sunt literas sacras, hinc exempla petenda, rerum, vel ad popularem captum, vel ad scholae subtilitatem accommodate tractandarum. r) Nam etsi in schola maxime probamus interpretem eum, qui verborum veritatem et sensum maxime amplectitur, quid vbique insit rerum, argumentorum dogmaticorum, breuiter modo monet, vt supra diximus: tamen interdum etiam maiori copia vtendum est, et difficiliora, itemque vtiliora ad fidem et pietatem, enucleatius et latius edisserenda sunt: cuius generis vix melius exemplum et imitatione dignius extat inter recentiores Turretinianis in Epistolam Pauli ad Romanos, quamquam postumis, Exercitationibus. Commendem etiam *Melanchthonis* Comment. ad *Coloss.*, qui non est nimis copiosus, et Luthero inprimis placuit. s)

r) In

r) In vniuerſum teneant futuri religionis doctores, interpretationem N. T. coram concione non ad canonum hermeneuticorum rigorem inſtitui, ſed potius ad ſenſus pios attemperari, qua in re optimi oratores ſacri exempla eſſe debent.

s) Profligata interpretationis hiſtoria, qua ſcopulos praeteruehere docemur, ad quos priorum temporum doctores plurimi adliſi ſunt, ſupereſt, vt de *explicatione N. T. hiſtorica* quaedam diſſerantur. Conſtat nimirum inter bonos interpretes, auctores θεοπνεύστους ſuum ſcribendi genus attemperauiſſe ingenio temporum, quae, vt multis, Chaldaeorum inprimis, philoſophematis et opinionibus praeiudicatis, v. c. de Satana, de daemonibus, de angelis, de regno Meſſiae, de vitae aeternae gaudiis praemiisque, ita dedita erant, vt vix ac ne vix quidem ab iis ſe auelli paterentur, non repente et vno velut ictu, meliora doceri poterant. Quae cum ita ſint, ſponte ſua patet, diſtinguendum eſſe in N. T. inter veritatem abſolute declaratam, et inter veritatem pro captu et neceſſitate temporum adumbratam. Plura propter varias rationes hic ediſſeri nequeunt: neque enim poſt *Storrium* (Diſſert. de ſenſu hiſtorico. Tubing. 1778.) et multo magis *Keilium* (Diſſ. de interpretatione hiſtorica. Lipſ. 1788.) legiſſe poenitebit *Semlerum* in libro: Verſuch die gemeinnützige Auslegung des N. T. zu befördern. p. 237. ſqq. et *Bretſchneideri* hiſtoriſch-dogmatiſche Auslegung des N. T. Lipſ. 1806.

---

CAP.

# CAP. X.

## *De vſu diſciplinarum.*

### § 1.

Cum interpretatio verſetur in ſenſu verborum indagando et explicando, eoque grammatico, isque vnus ſit ſenſus verus, et qui proprie dicitur: vel ſic patet, Grammatices vſum in interpretando N. T. eſſe et neceſſarium et maximum.

### § 2.

Neque vero ſine ea aut verus verborum ſenſus, in linguis inprimis mortuis, reperiri, aut veri ſenſus certitudo eſſe, quoad ea ab humanis artibus naſcitur, aut ſatis ab aduerſariis defendi, aut denique falſae interpretationes, praeſertim ſi ſententiam efficiant per ſe non abſurdam aut ab analogia doctrinae abhorrentem, refelli poſſunt.

### § 3.

Atque etiam periculoſum eſt, ad interpretandum accedere, qui non ſit bene peritus linguarum ad grammaticam ἀκρίβειαν, a

qua

qua iuſta linguae cuiusque ſcientia venit. Caret enim freno, quo licentia fingendi, et libido torquendi ſcripturas ad ſuarum opinionum arbitrium coerceri poſſit, vagaturque ſaepe incertis viis, nec habet, vbi tuto poſſit conſiſtere.

§ 4.

Quod cum praeclare intelligerent Theologi eruditi, *Lutherus*, *Melanchthon*, et alii, ſtudium Grammatices ſaepe multumque ſtudioſis ſacrarum literarum commendarunt, et de incommodis a Grammaticae neglectu et inſcitia venturis monuerunt: quibus qui non paruerunt, graues ſaepe poenas dedere. Teſtimonia dabit *Sixt. Amama* in *Antibarb. bibl.* pag. 122. add. *Melanchth.* in *Conſiliis et iudiciis theol.* pag. 578. extr.

§ 5.

Nam quod *Lutherus* Comm. in Geneſ. c. 16. *Grammaticam quidem neceſſariam*, ait, *eſſe et veram*, *ſed eam non regere res*, *ſed ſervire rebus debere:* id non hanc habet ſententiam, vt calumniatur *Simon Hiſt. Crit.* T. I. p. 435., quae det licentiam, verba contra grammaticas rationes ad ſuarum opinionum arbitrium explicandi: nam ita neceſſaria Grammatica non foret: ſed, quae doceat, verba non eſſe ex grammaticis rationibus vbique premenda et ad res aliunde perſpicue

cogni-

particulam *αὐξητικὴν* esse iubet, quae eleganter vsurpetur interrogationem interrogationi iungendo. Quidni significationem verbi propriam eamque aduersatiuam retinemus? Oratio est imperfecta propter responsionem suppressam: Ἰωάννης βέβαιός ἐστι ἐν τοῖς ῥήμασιν αὐτοῦ· οὐ μὲν ἄρα ἐξήλθετε θεάσασθαι κάλαμον. Vide versum sequentem.

## § 9.

Sed multo etiam magis necessaria est *συντάξεως* scientia, non modo hactenus, vt ordinem verborum recte inuenire possimus, in quo saepe est magna vis ad bene intelligendum, sed etiam, vt modos cuiusque verbi, etiam particulae, struendae primum per se teneamus, quod prodest ad iudicium puritatis, vtrum bene graeca sit phrasis nec ne, idque refert, vt supra demonstratum est, plurimum, sed etiam, vt cuiusque constructionis vim et sensum ex vera linguae indole. Nam qui ea scientia caret, et illas formas, verbum de verbo vertendo in quamcunque aliam linguam, interpretatur, saepe numero peccat necessario, propter dissimilitudinem linguarum: cuius generis peccatis pleni sunt interpretum libri: nec potest peccata Interpretum et Criticorum vel agnoscere certa ratione, vel conuincere.*)

*) Exempli loco sit versus 21. cap. I. ad Philippenses. Vide, quam male habeantur interpretes a protasi *εἰ δὲ*, cuius apodosis est *καὶ τί*. Resolue locum: ἀλλ'

ἀλλ' εἰ (*quamuis: Viger.* ed. Zeunii p. 492.) καὶ τὸ ζῆν ἐν σαρκὶ τοῦτόν μοι ἔχει καρπὸν ἔργου, καὶ (*tamen*) τί αἱρήσομαι ὀ. γ.

§ 10.

In hac parte ſunt etiam praecepta de ſiguris orationis, vt ellipſi, pleonaſmo et aliis, in quibus ſaepe argutantur interpretes, torquentque ſcripturas, niſi earum vim in vſu loquendi calleant accurate. In quarum nonnullis tamen etiam Rhetorum praecepta ſunt cognoſcenda, vt veram vim in vſu ſcribendi teneamus, nec aut emphaſes fruſtra quaeramus, aut vitium orationis fingamus. Nam, vt hoc vtamur, pleonaſmus in rhetoricis prodeſt et ad augendum et ad ornandum, nec tamen ſemper, ſed eſt interdum vel ex antiquiſſima linguae ſimplicitate, cuius generis plures ſunt in lingua hebraica, et inde in N. T., vel quacumque alia de cauſſa in conſuetudine loquendi ortus, atque etiam ab eleganter loquentibus vſurpatus: vnde vitii argui non poteſt, nec tamen ad vim aut ornatum torqueri debet. Similisque ratio eſt ſynonymiae aut tautologiae, quod eſt genus pleonaſmi, cuius exempla multa ſub pleonaſmi titulo congeſſit noſter *Glaſſius* Phil. S. L. IV. tr. II. obſ. 15. ſ.[t]) Quae qui ignorant, ſe nunquam ſatis in iis vel explicandis vel defendendis expediunt.

t) Me-

t) Melius dispofita notisque illustrata haec sunt in Editione Phil. *Glassii* Dathiana, quam vide. Neque carere potest idoneus interpres *L. Bosii* libro de ellipsibus graecis, praesertim secundum editionem *Schaeferi* (Lips. 1808.), quae reliquis palmam longe praeripit.

§ 11.

Nec, quae vitia orationis dicuntur, ignota esse debent, ne in quaestionibus de barbarismis ac soloecismis N. T. in alterutram partem, vel affirmando vel negando, peccetur: u) quod accidit plerisque, cum aut prorsus, inuitis Grammaticorum praeceptis, negant, in N. T. aliquid inesse, quod his nominibus appellari possit, vt dignitati librorum consulant, aut ita adfirmant, vt ad contemtum scriptorum ipsorum trahatur: quorum neutrum probari potest. Imo formae dicendi tales tum demum sunt in vitio, cum per inscitiam et negligentiam, et nulla idonea et graui de caussa, temere vsurpantur; quod in scriptores Nou. Test. non cadere, patet ex iis, quae de hebraismis eorum dicta sunt.

u) Quod in nullo N. T. libro facilius accidere poterit, quam in apocalypsi Iohannea. Vid. *Michaelis* Introd. in N. T. Ed. 4. §. 284.

§ 12.

Summum autem Grammaticae fastigium est

eſt in *Critica:* quamquam non modo Grammaticorum praeceptis et obſeruationibus nititur, ſed etiam aliarum diſciplinarum et rerum ſcientia atque praeceptis adiuuatur. Eius eſt, quid genuinum ſpuriumue ſit, integrum et incorruptum, vitioſumue et corruptum, iudicare, et corrupta emendare, eiusque rei modum ac rationem tenere. v)

v) Huic ſcientiae latiſſimus apertus eſt campus in diſquiſitione de γνησιότητι priorum capitum Matthaei, loci 1. Ioh. V, 7., Rom. IX, 5., Ioh. VIII, 1—12. in diſputatione de lingua, qua Euangelium Matthaei ab initio conſcriptum fuerit: de Euangelio ad Hebraeos, de fontibus Euangeliorum etc.

§ 13.

Eius etiam in interpretando neceſſitas inde intelligitur, quod ſine ea ſaepe ne locum quidem habet interpretatio. Fruſtra enim interpretari coneris, quod eſt ſpurium aut corruptum: vnde mirabiles interdum interpretationes naſcuntur. Vnde recte *Quinctilianus* I, 4. *init.* primum in interpretando eſſe dicit, videre, an integer locus ſit nec ne, et corrupta emendare: *Enarrationem*, inquit, *praecedat emendata lectio.*

§ 14.

Nec minor neceſſitas eſt ex eo, quod, qui eius expers eſt ac rudis, diſputationes criticas

criticas super locis sacrorum librorum non modo intelligere ac diiudicare, aut lectiones veras a falsis discernere, perite defendere, aut falsas denique, itemque inanes coniecturas aut deprauationes satis refellere non potest, sed etiam saepe se necessario in difficultates inextricabiles induit, atque adeo in ridendos ac pudendos errores incidit; cuius generis multa exempla commemorare possemus. Vel illud quam alienum est ab iis, qui hos libris bene tractare velint, quod plerisque accidit, qui rei criticae sunt expertes, nec eius vllum vsum habent, vt, quae ab *Erasmo* et *Beza* in textum de iudicio suo, etiam e latina versione, non bene recepta sunt, aut per operarum errorem irrepserunt, et in editiones minores et vulgares propagata sunt, ea pro veris auctorum verbis teneant, explicent atque etiam defendant, et, si quis talia corrigat, etiam Spiritum sanctum corrigi clament. x)

x) Eiusmodi voces nondum plane exspirauisse, docet *Griesbachius* Praef. ad N. T. Vol. II. pag. XI. seqq. ed. I.

## § 15.

Itaque merito Critica apud Theologos vere doctos semper in magno honore ac pretio fuit, eiusque bene periti Interpretes inter principes Theologorum sunt numerati, vt

vt *Origenes*, de cuius ſcientia et meritis in hoc genere ſupra diximus, *Gregorius Nazianzenus*, *Baſilius*, *Chryſoſtomus*, *Hieronymus*, et alii, quos enumerat *Henr. Valeſius* de Critica I, 23. ſqq. tantum abfuit, vt eam locum habere in ſacrorum librorum interpretatione negarent. *Auguſtinus* quidem, *Codicibus emendandis primitus inuigilare debere ſolertiam eorum*, iudicat, *qui ſcripturas diuinas noſſe deſiderent, vt emendatis non emendati cedant*, etc. Adeatur etiam *Caſaubonus* Exerc. Baron. I. n. 28. XVI. n. 110. et *Heinſius* Proleg. ad Exercit. in N. T. p. 4.

§ 16.

Nec ſolum ea κρίσις tolerata et vſurpata eſt, quae libros e libris emendat, ſed etiam coniecturalis, quae ingenii et doctrinae, inprimisque analogiae ope, nititur, vt docent Commentarii Patrum, Iſid. Peluſ. IV, 112. 113. et *Caſaubonus* l. c. *Glaſſius* quidem noſter clare locum huic Criſi relinquit in Philol. S. L. I. Tr. II. pag. 168. probans etiam correctionem talem *Bezae* Act. VII, 14. quamquam non probandam. *Wetſtenius* autem in Proleg. N. T. ſeparatim editis p. 170. prope ducentas tales coniecturas Theologorum commemorat, quarum numerus etiam augeri poſſet. y)

y) Et auctus etiam est in *Bowyeri* coniecturis in N. T. a Schulzio editis. Lipſ. 1774. ſ.

## § 17.

Oportet igitur futurum librorum ſacrorum interpretem in tempore, curare, vt Criticae veram indolem ac naturam cognoſcat, non praeceptis modo, aut maxime, cognoſcendis per libros, qui eius diſciplinam profitentur inſcriptione ſua, quae ſolet eſſe fallax, ſed vſu, per modeſti ac ſeueri Critici diſciplinam, et lectionem Criticorum ſeuerorum ac modeſtorum, quales *Caſaubonum*, *I. F. Gronouium*, *Graeuium*, *P. Burmannum*, *Perizonium*, et alios, nouimus. Ac tutius eſt, initium facere in genere librorum humanorum, vbi, adhuc quidem, magis et felicius vſurpata eſt Critica, et vbi etiam excuſatius peccatur. Raro, qui non ab tali diſciplina et vſu venit, in ſacris operae pretium fecit: et qui nullis litteris graecis ac latinis, aut mediocriter modo, inſtructus ad Criticam ſacram accedit, profecto operam inanem ludet.

## § 18.

Vbi autem rite praeparatus venerit, primum operam det, vt inſtrumentum Criticum cognoſcat, eiusque in iudicando verum vſum, per Canones Criticos, cum de ſingu-

ngulis generibus fontium, e quibus lectio-
es ducuntur, tum de comparationis modo.
ı quo poterit vti his, quae a nobis ſupra
ıp. 2. 3. 4. 5. tradita ſunt.

§ 19.

Sed hoc magis vſu rerum tractandarum, uam praeceptis ediſcendis ſibi agendum pu- :t. Itaque vel audiet interpretes, qui Cri- ca non prorſus negligunt, et in eo genere : verſatos ac tritos factis oſtenderunt, vel :get, quae viri in hoc genere exercitati, *Iillii*, *Bengelii*, *Michaeles*, aliique, qui ınt ſane perpauci [z]), ſuper locis illuſtribus ıaxime, ſcripſere, et ad praecepta illa exa- ıinabit, vt paullatim bene iudicandi facul- ıs veniat.

z) V. c. *Griesbachius*, *Noeſſeltus*, *Morus*, *Doederlinus*, *Eichhornius*.

§ 20.

Cum, profectu facto, volet ipſe aliquid ıoliri, hanc ſibi legem dicat, vt nihil fa- ıle ſine libris probet aut ſtatuat, coniectu- ns doctorum hominum in locis iis, in qui- us alia ratio ſe expediendi aut nulla aut nniſi dura ac difficilis datur, non illas idem omnino ſpernendas putet, ſi ſint rſpicuae, conſentaneae rei, contextui,

ſtilo ſcriptoris, et a veſtigiis vulgatae, h. e. quae in omnibus libris ſcriptis et editis reperitur, non multum diſcrepent: qualis eſt v. c. Camerariana *Ioh.* 19, 29. pro ὑσσώπῳ, in quo ſe ſatis torquent interpretes, coniicientis ὑσσωτῷ vel ὑσσῷ τῳ, et perpaucae, quas nos quidem repererimus, aliae: *) caeterum in notis potius, Commentariis aut Obſeruationum libris, proponendas, quam textui inferendas putet. **)

*) V. c. ἐξουβίαν 1. Cor. XI, 10. σιαίνεσθαι 1. Theſſ. III, 3. Sunt tamen coniecturae iſtae, a *Camerario*, *Godofredo* et *Reiskio* profectae, meri luſus ingenii.

**) Niſi a codicibus manu exaratis confirmentur, v. c. ἀπολέσει Matth. X, 42. ad quem locum vid. *Wetſtenius*. Lectionem ἀπολέσῃ, in auctore bene Graeco praeferendam, ex Itaciſmo ortam eſſe puto.

§ 21.

Enimuero vt religio magna adhibenda eſt, ne in textu, qui nunc in manibus eſt, refingendo nimis faciles ſimus: ita contra indocta ſuperſtitio eſt vitanda, quae omnes voces ac literas vulgaris alicuius editionis ſanctas et velut manu diuina poſitas et conſecratas putat, a quibus diſcedendi ius et facultatem nec libri nec ratio vlla dare poſſint. Non minus cauendum eſſe, ne Spiritui S.

tri-

tribuantur, quae eius non ſunt, quam ne ei detrahantur, quae ab eo profecta ſunt, ſupra admonuimus. [a])

a) Quod inprimis caueri poteſt poſt notionem *θεοπνευστίας* adcurate finitam, cuius rei periculum fecimus in libro: *Ausf. Unterricht in der chriſtl. Glaubenslehre.* Norimb. 1807. t. I. p. 113. ſſ.

## § 22.

Hi vero abutuntur Critica, ſiue indigni potius ſunt Critici nomine, qui ita procliues ſunt ad coniecturas, vt, vbi primum aliquid non ſatis intelligunt, ad excogitandas lectiones conuertuntur: a quo quemque et ratio et exempla temerariarum et inanium coniecturarum deterrere debent. Non enim quod quisque, etiam non indoctus, parum intelligit, et commode explicare non poteſt, aut legibus orationis parum conuenire videtur, id ſtatim falſum aut vitioſum eſt: nec quisquam ſibi hanc fiduciam ſumere debet, vt ſe nihil fugere in talibus rebus putet. Et cum omnes propemodum tales coniecturae inanes repertae, et a peritioribus refictae ſint, modeſti et cauti Critici eſt, non praecipitare iudicium, et potius ignorantiam ſuam agnoſcere et fateri, quam ad corrigendum feſtinare; quod etiam in humanis ſcriptis boni Critici facere ſolent.

§ 23.

§ 23.

Quo magis etiam impia arrogantia et mera ἀκρισία eorum repellenda est, qui suarum de rebus diuinis opinionum stabiliendarum caussa, non modo lectiones, in vno et altero libro, nec eo valde bono, repertas, recipere in textum aut defendere conantur, sed etiam excogitant nouas. [b]) In vtroque genere Socinianos et eorum fautores esse, satis constat; in illo nuper *Wetstenius* pluribus locis peccauit.

b) Huius vitii inuidia iure conflata est *Bahrdtio* in examine Vers. N. T. theodiscae ad Ioh. I, 1.

§ 24.

Quod vero Pontificii quidam, vt *Laubrusselius* in libro Francico *de abusu Criticae in rebus sacris* P. I. p. 168. etiam hos inprimis abuti Critica in libris sacris defendunt, qui eius vsurpandae potestatem non ab Ecclesia, siue Pontifice Rom. vt *Hieronymus* a *Damaso*, nacti sint, id merito repudiandum est penitus, cum caeteris, quae ab illo, inter bene monita, ad defendendas Ecclesiae Romanae opiniones superstitionesque ita disputantur, vt in iis accusandis ac refellendis Criticae abusum cerni dicat: quo fere inclinant istius Ecclesiae doctores.

§ 2

§ 25.

Illud inprimis debet eſſe perſuaſum ſtudioſis, nihil eſſe vel in comparando vel in vtendo difficilius Critica: adeo multarum ac prope infinitarum, in hisque minutarum, rerum accurata ſcientia tenetur, et in vſu multas ac difficiles cautiones habet: in quibus adeo facile eſt labi, vel memoriae fraude, vel iudicii errore, vt, quemadmodum cuilibet condonandus eſt lapſus, ita quisque magis ſibi diligentiam et modeſtiam in iudicando adhibendam putare debeat. *) Legant ſtudioſi *Mabillonium* de ſtudiis Monaſt. P. II. c. 13. *de Critica et regulis in ea obſeruandis.*

*) Exempla ſunt Matth. V, 22., quo loco *εἰκῆ* delendum putamus, et Act. XXI, 15. quo lectionem *ἀποσκευασάμενοι* tuemur, quamuis eam ridiculam eſſe iudicauit *Morus*, adſtipulantibus criticis bene multis. Defenditur enim non ſolum auctoritate codicum, verſionis Syriacae et vulgatae recte explicitae, ſed etiam linguae vſu Hebraico, quo *ἀποσκευάζεσθαι* idem eſt ac פנה Levit. XIV, 36. Alexandrini interpretantur *ἀποσκευάσαι*, Aquila *ἐκφορεῖν*, *efferre ſarcinas*, quod loco noſtro egregie conuenit.

§ 26.

Grammaticae iuncta eſt *Rhetorica* in inſtrumentis interpretandi. Ea maxime prodeſt, qua docet naturam et vim troporum.

rum. Nam ea ignorata, mirifice inepti interpretes esse solent. Sed quae ex eo genere prosunt, a nobis supra commemorata, et ad interpretandi rationem collata sunt. Prodest vero etiam nosse, quae de generibus dicendi et virtutibus orationis, inprimis de altitudine et caeteris virtutibus sententiarum, in rhetoricis traduntur, vt iis in interpretando bene vti, hoc est, agnoscere facilius, sentire, inprimisque explicare possimus vim et praestantiam sententiarum, quae in libris sacris, inprimisque sermonibus Iesu Christi et Epistolis Paulinis, frequentes sunt. Nec tamen opus est, in interpretando lectoribus vel auditoribus, velvti pueris, annumerare vbique nomina vulgaria troporum et figurarum, et cum nihil prosunt ad bene intelligendum vel sensum ipsum vel eius aliquam virtutem.

§ 27.

Nec parum adiuuetur interpres *Philosophia*, si ea recte vti didicerit. Ea autem non tam prodest rebus et sententiis, quam modo rerum tractandarum. Neque enim res in Scripturis traditae e Philosophia iudicandae, aut ad eius decreta, multo minus incertas opiniones, quas hypotheses vulgo vocant, accommodandae sunt: diligenterque cauendum est, ne notiones verborum e philosophi

losophi

loſophi alicuius definitionibus inferamus Scripturae, et ex iis ſuper rebus philoſophemur; quo nimis fere inclinant, qui philoſophia ſe dicunt vti in interpretando, ſi ſunt parum triti literis: vnde omni tempore magnae noxae ortae, plurimumque incommodi in interpretatione ſacrorum librorum natum eſt. *)

*) Conſtat interpretibus doctiſſimis diſplicuiſſe creationem mundi, quae Meſſiae tribuitur Col. I, 16. Traxerunt itaque locum ad emendationem hominum moralem per abuſum philoſophiae non probandum: conf. Ioh. I, 3. Epheſ. III, 9. Hebr. I, 2. Notum enim eſt, ea, quae in Pſalmis verbo Dei, in prouerbiis et libris V. T. apocryphis ſapientiae diuinae tribuuntur, in N. T. referri ad λόγον, vel naturam Chriſti ſublimiorem. ? R. S

## § 28.

Res igitur fere redit ad *Dialecticam*, quae in interpretando non vno modo prodeſſe poteſt. Ac primum hoc non paruum eius munus eſſe in hac re dixerim, quod docet ideas rerum diſtinguere a ſono verborum, vt, quid intelligas, nec ne, poſſis iudicare: cuius iudicii neceſſitatem ſupra indicauimus. Id autem fit dupliciter. Et in iis quidem rebus, quae ſenſibus externis ſubiectae ſunt, videndum eſt, an poſſimus ſpeciem earum animo praeſentem reddere, easque

easque per talem ſpeciem ipſas contueri; vbi autem internis ſubſunt, an meminiſſe perceptionis earum ac ſenſus. In intelligibilibus porro iudicium fit ex eo, cum verborum definitiones tenemus, quibus notiones puris et perſpicuis verbis exprimantur. Sed in rebus ſenſibilibus ſufficit interdum, eas ad ſuum genus reuocare poſſe: idque locum habet tum, cum cernendarum ac ſenſu cognoſcendarum nulla facultas eſſe poteſt, vt in quibusdam generibus plantarum, piſcium etc. Sunt et aliae huius iudicii rationes, ſed quae ad Dialecticam nihil pertineant.

## § 29.

Alterum eius munus cernitur in notionibus verborum, quas ea docet conficere, vel partibus earum diſperſis in vnam ſummam apte colligendis, vel ab exemplis, in quibus eae latent, ducendis, et, vt Dialectici noſtri loquuntur, abſtrahendis, denique perſpicue et breuiter exprimendis. Quo ſane vehementer opus eſt interpreti, ne obſcuris aut vagis et parum determinatis notionibus contentus vagetur et erret. [c]) In quo tamen plus vſus, et facultas bene dicendi, quam praecepta, certe non haec ſine illis valent. Poteſt enim, vt Cicero dicit, fieri, vt aliquis recte rem intelligat,

nec

nec tamen poſſit recte aut ſatis perſpicue ac circumſcripte enunciare, quae bene intelligit: quod ſine accurata linguae ſcientia et exercitatione ſcribendi contingere nemini poteſt.

c) Quod vulgaribus interpretibus praecipue occurrit in finiendis vocibus, *βασιλεία τῶν οὐρανῶν, πνεῦμα, μετάνοια, πίστις, παρουσία Χριστοῦ*, aliisque maximam partem iam egregie explicitis in libro *Telleri*: Wörterbuch des N. T. Ed. 4. 1785.

## § 30.

Tertium eſt, ſimilia diligenter comparando diſtinguere, ne ambiguitate decepti confundamus diuerſa. In quo tamen ipſo vſus loquendi bene cognitus eſſe debebit, ne diſtinguamus, quae diuerſa non ſunt: quod facile accidit iis, qui e Lexicis ſapere coguntur.

## § 31.

Omnino etiam atque etiam cauendum eſt, ne ſubtilitate dialectica et metaphyſica abutamur in verborum ſenſu aeſtimando, et rebus diſtinguendis: quod etiam in humanis libris, qui populo ſcripti ſunt, aut de rebus ad popularem intelligentiam et vſum pertinentibus, repudiatur ac ridetur. Itaque in iis v. c. quae vniuerſe aut abſolute dicuntur, diligenter videndum erit, quid res

res subiectae patiantur. Rectissime Aristoteles Ethic. I, 1. τὸ ἀκριβὲς ἐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον, vt non in scribendo, quod illi placet, cum de rebus ad vitam humanam pertinentibus sermo est, sic nec in interpretando; nec modo operam perdit, sed etiam in periculum venit, falsa, ridicula, certe aliena comminiscendi, quisquis in talibus metaphysicam subtilitatem requirit, vt bene *Theodorus Hackspanus* Misc. S. pag. 36.

§ 32.

In quo etsi sensus communis sufficere potest ad iudicandum, vt in aliis scriptoribus interpretandis, tamen non inutile erit, rerum naturas sic distinguere, vt, quae ad Deum et religionis formam proprie pertineant, in iis nullam subtilitatem alienam censeamus: quod in iis nihil incerti est, nihil, quod temporibus varietur: quae autem cum hominis natura et vita aliquam coniunctionem habent, in eas τὸ ἀκριβὲς non cadere putemus. d)

d) Egregie haec praecipi, dubitatione caret; scindimur tamen facile in studia contraria quaerentes, quaenam proprie ad Deum pertineant. Animis enim hominum multa adblandiuntur in iis, quae de redemtione, de resurrectione corporum et iudicio Dei adspectabili docentur, a veritatis coelestis indice non

semper

ſemper probata. Formanda itaque erunt ingenia ad interiorem veri cognitionem, vt dubitationis ſcopulos euitent.

§ 33.

Itaque etiam illa, quam iactarunt nonnulli, ἀνάλυσις notionum Dialectica magna cum cautione vſurpanda, ne aut in notione ipſa conſtituenda decipiamur, vt ſupra monuimus §. 27., aut ex ea per talem ἀνάλυσιν colligamus, quae non inſunt, comminiſcamurque, quae a mente ſcriptorum diuinorum ſunt aliena.

§ 34.

Nec illud paruum aut parum neceſſarium munus Dialecticae eſt, videre, quid repugnans ſit, quid conſequens. Nam et concluſionum in ſacris libris paſſim occurrentium ratio et vis explicanda eſt, et interdum repugnantiae ſpecies oritur, etiam in dogmaticis, qua apte remouenda, conſenſio dictorum componenda eſt. In quo tamen tenenda ſunt ea, quae de hac compoſitione ſupra praecepimus, cauendumque, ne inſcitia ſermonis temere fingamus diſſenſum, aut in eo componendo ſubtilitate aliena ab indole rei et ſcriptorum vtamur.

§ 35.

Et quoniam Dialectica etiam docet, quae debeat

quae tamen bonis lectionibus non caret: 5) lectiones in nulla recensionum antiquarum olim obuiae nulla, plurimorum licet, Codicum iuniorum auctoritate defendi possunt.

§ 31.

Etsi autem optabile est, vt rationes omnes, propter quas delectus in alterutram partem fieri debeat, concurrant; tamen, quoniam id non nimis saepe contingit, plures caussae grauioresque valebunt. In quo sane praecepta non sufficiunt. Sed etiam exercitatio quaedam consuetudoque capienda, vt boni quasi ratiocinatores esse possimus, et addendo detrahendoque videre, quae reliqui summa fiat, ex quo, quid potius sit, intelligatur. In quo etiam lectio eorum proderit, qui talia accurate circumspecteque tractarunt.

§ 32.

Est vero etiam vsus aliquis variantium lectionum, qui interpretationem atque Theologiam videtur attingere. Nam interdum Interpretum veterum et recentiorum, itemque disputationum theologicarum rationes intelligi, et vel defendi excusarique, vel refelli non possunt, nisi, quam lectionem secuti sint, scias [u]).

u) Sic Patres latini ex 1. Cor. XV, 51. vniuersalitatem

litatem resurrectionis adseruerunt ex lectione: *omnes* obdormient. Sine notitia varietatis lectionum ne Lutheri quidem versio intelligi et vindicari potest, v. c. 2. Petr. II, 13. vbi pro ἀπάταις legit ἀγάπαις, *von eurem Allmosen*, quod etiam praefert *Griesbachius*. Conf. adhuc Hebr. IX, 14. cum vers. Luth.

§ 33.

Quo magis vtilem operam nauarunt, qui varias lectiones ex iis, quos indicauimus, fontibus collegere. Cuius rei initium, quod quidem commemorari debeat, (nam et ante in Correctoriis biblicis res coepta) factum a *Laur. Valla*, collatis tribus Codicibus graecis, quibus ad latinam versionem emendandam vteretur: quod spectauit et *Fr. Lucas Brugensis*. Auxit id studium, graeci textus edendi, et singulas editiones noua aliqua dote augendi cupido, inde ab *Erasmo*, qui primus varias lectiones addidit in notis, et *Roberto Stephano*, in ed. a. 1550. Sed maxime incensum est eius rei, omninoque criticae huius studium per *Curcellaeum*: non quod ipse aliquid in eo genere fecerit, quod esset eximium, quamquam superiores, qui post *Stephanum* fuere, longe superauit: sed quod primum eius editio *Fellum* impulit ad adornandam editionem nouam, quae variis lectionibus instructa esset, Oxon. 1675. repetitam a *Io. Gregorio*, 1703. et ad *Millium* incitandum, vt ad magnum illud opus molien-

molliendum accederet; deinde quod, cum Theologis videretur in lectionibus variis fauisse Socinianis, et in eorum gratiam lectiones ex ingenio finxisse, Codices diligentius conquisiti et inspecti sunt, atque etiam de rebus criticis diligentius disputari coeptum est, adiuuante etiam tempore, quo res critica vniuersa diligentius tractari coeperat. v)

v) Vid. *Wetstenius* Proleg. p. 170. Adde curas *Michaelis*, *Semleri*, *Griesbachii*, *Birchii*, *Alteri*, *Matthaei* aliorumque.

§ 34.

Principatus in hoc genere haud dubie debetur *Io. Millio*, qui triginta annorum labore confecit opus, quod *Oxonii* 1707. f. primum prodiit, textum Elzeuirianum s. Curcellaeanum exhibens, cum 30000. lectionum variarum, et Prolegomenis historico-criticis eruditissimis. Quod etsi non est sine peccatis, vel ab opinionum temere susceptarum errore, vt quod versioni Italicae et Codicibus ex ea interpolatis plus iusto tribuere videtur, vel ab imbecillitate humana, subinde Codicibus male designatis et Patrum locis et versionibus falso prolatis: tamen merito a *I. A. Fabricio* admirandae industriae et iudicii opus vocatur. Nam quod in Prolegomenis saepe aliter de lectionibus iudicat, quam in notis, id vtentibus qui-

quidem incommodum, caeterum laudi est viro, qui, lecto interea, dum opus excuditur, Simoniano Historiae criticae opere, cum de multis rectius didicisset iudicare, in Prolegomenis ingenue iudicium suum retractauit. *Whitbianum* autem huius operis *examen* etsi imperitis rei criticae probatum fuit, captis titulo libri, profitentis, *lectionem textus hodierni* (i. e. iudicium *editoris Elzeuiriani*, aut *Curcellaei*) *in omnibus defendi posse*; tamen peritis nec professione illa, nec ratione vniuersa, probatur, et decreta sua factis tollit. vid. supra §. 5. c. V. §. 16. IV. §. 29. Ad *Whitbii* autem rationem factos Canones *Mastrichtianae editionis*, comparatio facile docet.

§ 35.

Sed hoc opus vel auctum vel expolitum est praeclare a tribus, *L. Kustero*, *I. A. Bengelio*, et *I. I. Wetstenio*. Nam *Kusterus* in repetitione Millianae editionis duodecim Codicum graecorum excerpta addidit, melius etiam de illa meriturus, si minus festinans, vitia operarum ne repeterentur, cauisset, et notas e Prolegomenis vbique vel correxisset vel auxisset.

§ 36.

*Bengelius* porro in Apparatu Critico non

non modo quindecim Codd. lectiones primus edidit, sed et aliorum ab aliis editas adiunxit, cum multis earum, quae e versionibus et libris Patrum ductae sunt, supplementis, laudem diligentiae, et in tota illa caussa modestiae, meritus. In summa iudicii de lectionibus deligendis non probatur, quod normam delectus maxime fecit Alexandrini Codicis et latinae versionis consensum, non animaduertens, id quod erat in promtu, in tanta lectionum similitudine, Codicem illum ex hac interpolatum esse. Cui addiderim, quod, contra sua praecepta, in iudicando obseruationibus grammaticis ac bonitate lectionum minus, quam debebat, vtitur, et contra eas saepe male decernit e solis libris, (vid. §. 23.) praesertim iis, quos ante diximus. Velut *Eph.* 5, 9. praefert καρπὸς φωτὸς, cum aliis, nixus solis latinizantibus Codd. et latinis auctoribus maxime, non cogitans, καρπὸς φωτὸς frigide dici, et contra consuetudinem diuinorum librorum, eamque ob caussam et consulto a Paulo mutatum tropum, et καρποὺς πνεύματος dictos. Sed ille omnino satis graece doctus non fuit [x]). In variis etiam lectionibus praetermisit, quae non debebat: vt alia mittamus. Repetitus est Apparatus eius Criticus a. 1763. additis libellis variis eristicis: in quo nec auxit sua e *Wetstenio*, *Blanchino*, *Saba-*

*Sabatierio* et aliis, nec iudicium de Codice Alex. mutauit.

x) Neque etiam, profanae literaturae praesidio destitutus, iustas de genealogia Codicum habuit notiones. Viris admissa rarius retractauit in gnomone, castigatus propterea a *Wetstenio*, *Wolfio* et *Baumgartenio*.

## § 37.

*Wetstenius* denique multorum annorum magno labore Codices plures et antea non collatos excerpsit, alios denuo contulit, versiones et loca Patrum inspexit, et superiorum lapsus saepe correxit, vsum lectionum, describenda Codicum indole, et aetate vtcunque definienda, paratiorem reddidit, atque hac ex parte caeteris palmam eripuit: in iudicio lectionum vniuerso praeter caeteros probandus, quod id ad Codices pure graecos et non interpolatos e latina versione, Patresque graecos veteres maxime dirigit y); in locis singulis illici se in fraudem passus est a cupiditate adiuuandae sententiae suae de I. C. diuinitate. Quo nomine merito reprehensus est a Cl. *Venema* in Exerc. *de vera diuinitate Christi*, et a nobis in *Castigationibus Wetsten.*, in quibus et alia notauimus, quae in hoc labore desiderari iure possint. Reprehendendus est et in hoc, quod Varietatem Lectionis Vaticani Mſ. vt haberet et insereret, non curauit.

y) Ne-

y) Neque hoc merito fraudandus, quod coniecturis parum, aut nihil tribuit. Momenta versionum vero, orientalium inprimis, saepius e translatione latina aestimat; in excitandis Patrum locis saepius labitur, subindeque sententias profert, a festinantiori iudicio conceptas, v. c. ad Ioh. VIII, 1—11.

§ 38.

Sed quidam etiam separatim edendis Codicum vel singulorum vel plurium lectionibus operam nauarunt, quos omnes commemorare non est necesse. *Velesius* autem, cuius Excerpta XVI. Codd. in *Cerdani* Adversar. S. c. 91. edita sunt, ne bona quidem fide egisse videtur, cum lectiones varias dedit, non modo non commemoratis nominatim ac descriptis Codicibus, e quibus hausit, sed etiam sub illo generali Codicum nomine abscondenda, vt videtur, fraude, quae hoc agebat, vt Vulgatae auctoritatem stabiliret. Res ipsa autem docet, non modo e manuscriptis Florentino Concilio posterioribus, et ad Vulgatam refictis, vt *Mariana* iudicabat praef. ad Schol. V. et N. T. sed etiam e latinis ductas esse, vt *Wetstenius* demonstrauit. add. *Michaelis* V. Cel. §. 87. Nec *Caryophili* lectiones, a P. *Possino* ad calcem Catenae in Marcum editae, multum prosunt, cum Codicum indoles ignota sit, immo pateat, e latina interpolatos fuisse, cuius etiam stabiliendae consilium *Caryo*-

*philo*

*philo* fuit: (v. *Bengel.* App. p. 439.) quamquam interdum praefert lectionem ab latina diuersam, et id faciendum indicat, quoties maior Graecorum numerus consentiat. Caeterum in iis esse etiam lectiones Codicis Vaticani, excerptas ad vsum eorum, qui editionem N. T. ad exemplum Sixtinae V. T. graecis auctore Vrbano VIII. moliebantur, et e literis viri docti Romae didici, et ex eo intellexi, quod omnes lectiones, quas e Cod. illo memoratas reperi, inesse vidi.

§ 39.

Caeterum cum ex iis, quae de variarum lectionum collectoribus tradita sunt, appareat, quantum erroris in delectu obiecerint viris doctissimis opiniones temere susceptae vel de Codicibus ipsis, vel de versionum quarundam, vt Italicae, vt Vulgatae, auctoritate, vel denique de religionis ipsius dogmatibus: nihil magis cauendum est iis, qui in hac re velint recte atque ordine versari, quam ne tali aliqua opinione imbuti ad iudicandum accedant.

§ 40.

Id vitabimus, si, quae de quoque variarum lectionum fonte tradidimus, bene percepta habebimus, et in iudicando omnia ad praecepta delectus faciendi referemus, nec

suscepta

suscepta aliqua opinione de lectione loci cuiusquam, quid ad eam firmandam valere possit, quaeremus, sed omnibus momentis ad regulas ponderatis, tum demum, quid sequendum sit, indicabimus.

§ 41.

Nec oportet existimare, omnia iam exhausta, omnia accurate notata, nec quicquam nostrae diligentiae relictum esse, sed omnia explorare, et in legendis veterum et recentiorum libris attendere, si quid, ad hanc rationem pertinens, occurrat, idque suis locis notare [z]). Nos quidem permulta ab superioribus vel praetermissa, vel non animaduersa, aut perperam tradita obseruavimus. Sed satis multa, ac fortasse nimis multa, de hoc genere diximus: ad ea, quae restant ad interpretandi vsum, veniamus.

z) Ablegamus lectores ad Matth. V, 22. VI, 13. Marc. XVI, 9—20. Luc. I, 66. II, 22. Ioh. XVIII, 1. Act. II, 30. III, 12. VIII, 37. X, 33. XI, 20. XIII, 18. XVII, 26. XVIII, 5. XX, 28. XXIII, 9. Rom. VIII, 33. ff. X, 16. 1. Cor. III. 4. vt intelligant, quid in locis istis rectius constituendis et interpungendis adhuc praestandum restet?

---

CAP.

# CAP. VII.

## *De Vſu Verſionis LXX. Vet. Teſt. et fragmentorum Aquilae, Symmachi etc.*

§ 1.

In quibus primum locum tenent Graeci hebraicorum V. T. librorum Interpretes, inprimis hi, quos, de vulgari fabula, ſeptuaginta numeramus, rectius Alexandrinos appellabimus [a]). Nam Alexandriae factam eſſe verſionem illam, in eo conſentit antiquitas: etſi id fortaſſe de iis modo libris intelligendum, qui tum in Synagogis legebantur, nam quorundam librorum verſionem eſſe ſerioris aetatis, vix dubitandum: in quibus Iobum, Prouerbia, Canticum et Eccleſiaſtem poſuerim, quem nonnulli ab Aquila eſſe putant, et non ab eodem omnes libros verſos eſſe, ipſum ſcribendi genus euidenter arguit, quod quibusdam in libris diligentius hebraiſmum conſeruat, eſtque a graeca puritate et elegantia r.motius, in aliis ab hebraiſmo longius recedit, atque etiam exquiſitiora verba vſurpat, inprimis in Iobo, Prouerbiis etc.



a) Vid.

a) Vid. omnino *Eichhorn* Repert. Lit. Or. T. I. p. 266. Ex traditionibus ibi diligenter excuſſis conficitur hoc, Iudaeos Alexandrinos eiusmodi commentis verſionem ſuam V. T. graecam popularibus in Palaeſtina pro diuina vendere, et vt archetypo illam non inferiorem facerent, *θεοπνευςίας* gloriam et famam illi, vt fieri ſolet, conciliare voluiſſe. Sed diverſa aetate et a variis interpretibus facta eſſe videtur, (conf. *Hodius* de text. orig. L. I. c. 7—9.) primum Pentateuchus, poſtea Pſalmi, deinde libri hiſtorici, denique Ieſaias, vltimum Iobus et reliqua ſcripta V. T. Hucusque duas tantum habemus editiones principes, Sixtinam, vel Vaticanam 1587. fol. recuſam a Boſio, et *Grabianam*, quae ſequitur Cod. Alexandrinum, Oxon. 1707. repetitam a Breitingero. Multa nun ſperari poſſunt de contextu LXX. interpretum reſtituendo poſt *Holmeſii* Angli aliorumque VV. DD. curas et ſtudia.

§ 2.

Huius verſionis graecitas hebraizans [b]), ſiue per inſcitiam vſurpata eſt ab interpretibus, quod verba et phraſes hebraicas non poſſent bene graece exprimere, praeſertim in rebus ad religionem proprie pertinentibus, ſiue per religionem aliquam exiſtimantium, res ſacras inquinari graecae elegantiae imitatione, quae certe poſteriorum temporum opinio fuit, orta illa fortaſſe per Antiochinae afflictionis tempora; [c]) ea vero poſt fuit, inter Iudaeos graece loquentes, pro lege, quam ſequerentur, qui de religione

gione ſcriberent, ſi quidem patrii moris eſſent tenaces, et popularibus vellent probari. V. Progr. noſtrum *de odio Iudaeorum in lingu. graec.* Itaque etiam nouae graecitatis verſio Pentateuchi eam imitatur, et verſiones Bibliorum Italicae Hiſpanicaeque, a Iudaeis curatae, ad eam formam expreſſae ſunt. vid. *Simon* Bibl. Crit. P. IV. p. 133.

b) Graecitas LXX. interpretum eſt triplex: ſiue plane hebraizans, vt in verſione Eccleſiaſtae: ſiue pura et interdum exquiſita, vt in verſione Iobi, Prouerbiorum et Cantici, vbi verba etiam poetica occurrunt: ſiue mixta, vt in plerisque V. T. libris. Vid. *Mücke* de origine verſionis LXX. interpretum. Züllich. 1789.

c) Iudaei in lingua graeca nunquam excellebant, neque eminere inter alios barbaros poterant. Primum enim animum adpellebant ad hanc linguam addiſcendam commercii cauſa: poſtea, vbi Antiochiae et Alexandriae aulae beneuolentiam captare coeperunt, exquiſitam in ſcholis diſcere quidem ſtudebant graecitatem, ſed ſine ſucceſſu. Vbi denique Antiochus Epiphanes, vt ſacra gentilium ſuſciperent, voluit illos Graecorum mores imitari ſaltando, canendo, certando; tunc plane inuiſa fieri coepit Iudaeis lingua graeca.

§ 3.

Itaque cum hoc genere ſcribendi, vt ſupra demonſtrauimus, vſi ſint in Noui Teſtamenti libris viri diuini, facile intelligitur id, quod doctiſſimi Interpretes iudicarunt,

 ad

ad cognoſcendum vſum loquendi Nou. Teſt. interpretandosque eius libros plurimum prodeſſe lectionem verſionis graecae Vet. Teſt. recte inſtitutam, atque adeo haud paullo plus, quam caeterorum graecorum librorum. v. in primis *Pearſonii* Praefatio paraenetica in edit. *Cantabrig.* et *Grabiana.* add. *Carpzou.* Crit. S. p. 547. [cc])

cc) Cum *Bielio*, *Schleusnero*, *Paulo*, *Beckhauſo* et al. Vid. *Bretſchneideri* exc. II. ad Ieſ. Siracid. Ratisb. 1806. p. 709. ſſ.

§ 4.

Quo magis Interpretes recentiores atque eruditiores ea verſione ſibi vtendum cenſuerunt, ad explicandas formas loquendi N. T. et illuſtrandas, nec ante ſatis feliciter dictio N. T. cognita eſt, quam inde ei lux eſt accenſa. In quo genere principatus debetur haud dubie *Grotio*, qui primus iuſta diligentia et ſcientia in hoc genere eſt vſus, caeterisque omnibus in eo praeluxit. [d])

d) Patres verſione LXX. in explicando N. T. non vſi ſunt, quod plerique hebraica non intelligerent. Etiam Melanchthon et Camerarius rariſſime illos in ſubſidium vocauerunt. Poſt Grotium celebrandus eſt *Reachenius* Obſeru. in N. T. ex LXX.

§ 5.

Nec parum in hoc genere profuere, qui

he-

hebraiſmos N. T. illuſtrarunt *), vſi inprimis verſione illa, partim exemplis ex ea afferendis, vt intelligeretur, quid verba graeca hebraice ſonarent, partim varietate interpretandi hebraica commemoranda, vt quid verbum hebraizans eſſet bene graece appareret: quamquam poſterius vellem ſaepius factum. Caeterum quoniam exemplis magis res acta eſt, quam praeceptis; eamque ob cauſſam, qui illam rationem imitarentur, ſaepe lapſi ſunt; faciendum nobis putamus, vt eam ad pauca et perſpicua praecepta redigamus, atque ita vſum illius verſionis faciliorem et certiorem reddamus.

e) In his *Wyſſius* in Dialectologia ſacra. Melior eſt *Vorſtius*, ſed compendioſior *Leusdenus*, vterque ex Ed. *Fiſcheri*.

§ 6.

Primum igitur obſeruationibus quibusdam grammaticis opus eſt, ad indolem illius, qua imitatur hebraicam conſuetudinem, recte cognoſcendam, vt hinc praecepta et cautiones, quibus vſus eius dirigatur, duci legitime poſſint.

§ 7.

Obſeruationes autem latiſſime patentes ſunt hae. Primum, quod verbum graecum hebraico maxime ſimile eſt etymologia ſ.

prima

prima significatione, id contulere interpretes non modo ad primam et maxime solennem verbi hebraici significationem exprimendam, sed etiam ad omnes caeteras tropicas, vt in בָּחַר, קָרָא, הֵרִיק, עֵדוּת, בְּרִית, צְדָקָה, et aliis, quibus cum proprie respondérent κενοῦν, καλεῖν, ἐκλέξασθαι, δικαιοσύνη, διαθήκη, μαρτύριον, his verbis et eorum coniugatis etiam vsi sunt in exprimendis illorum verborum tropicis significationibus, quas graeca consuetudo non agnoscit [f]).

f) Adde דבר, *verbum*, deinde *res*, *negotium*: sic explicanda vox ῥῆμα Matth. IV, 4. Luc. I, 37.: ברית, *pactum*, *foedus*: deinde, *constitutio*, *oeconomia religionis*, διαθήκη: רזא *res occulta*, deinde *profunda sapientia*, μυστήριον.

§ 8.

Secundo, in verbis hebraicis, quae multiplicis significationis essent, non facile per troporum varietatem explicandae, et a prima significatione deriuandae, variae ac diuersae interpretationes permutantur, vt in תמים, τέλειος, δίκαιος, εὐλαβὴς [g]) etc. In hoc genere explicando in primis diligens est *Gatakerus*, vt in priori *Vorstius*.

g) Sic נתן est *dare* et *ponere*: quapropter τιθέναι et διδόναι permutantur in N. T. Ioh. X, 11. ψυχὴν τιθέναι: נדיב *beneficus* et *princeps* est in hebraico: hinc εὐεργέτης, *princeps*, Luc. XXII, 25.

§ 9.

§ 9.

In iisdemque vno eodemque verbo graeco varias illas significationes exprimunt: vt, quia *μαρτύριον* respondet τῷ עֵדָה vel עֵדוּת, propterea etiam, vt hebraica, pro lege, doctrina, hinc *μαρτύριον Χριστοῦ* pro doctrina Christi, et *μαρτυρεῖν* pro docere; similiter *νόμος*, vt תּוֹרָה, non modo de lege, quae latine dicitur, vt apud Graecos, sed etiam de religione vniuersa, et qualibet eius parte, vt promissionibus, dicitur. Cuius rei ignoratio mirabiles et contortas interpretationes ac sententias peperit, etiam *Vitringae* Obs. III, 1. Cui simile est, quod, cum praefixo ב proprie aut maxime respondeat graecum *ἐν*, huius vsus non minus late patet, quam praefixi illius apud Hebraeos: in quo ipso ignorantia hebraismi mirifice, saepe ridicule se torsit h).

h) Exempla sunt *ἐν Χριστῷ εἶναι*, Christianum esse: *ἐν ἁμαρτίαις ἀποθνήσκειν*, in morte peccatorum esse plenum. Neque haec negligenda est obseruatio, permutari saepius in N. T. *ἐν* et *εἰς* ex consuetudine hebraici ב et ל.

§ 10.

Sunt etiam verba graeca, in quibus ex hebraica et graeca consuetudine intelligi non potest, quare iis sint vsi οἱ ὁ ad verbum hebraicum

braicum explicandum: in quibus forte, vt *Lud. de Dieu* et aliis visum est, Chaldaica et Arabica consuetudo spectata est, aut prima hebraici verbi significatio nunc ignoratur, quae forte in Chaldaica et Arabica superest [i]). Velut, quod פתר interpretantur συγκρίνειν pro ἑρμηνεύειν aut ἐπιλύειν, forte ea significatio est hebraici verbi etymologica, aut tum in Chaldaismo vel in Arabismo valuit: quae ipsa interpretatio in N. T. venit.

i) Hoc rarius occurrit. Conf. tamen ad Rom. XI, 9. Ies. XXIX, 10. vbi תרדמה, somnus profundus, a LXX. interpretibus conuertitur κατάνυξις, *compunctio*. Hanc autem potestatem habet arab. רדם, *consuit*, *compunxit*. Vid. *Michaelis* Supplem. p. 449. Inde solemnis est formula apud Arabes: *somnus mihi consuit oculos*. Conf. *Michaelis* Chrestom. arab. p. 66. (Meliora dabit Lennep in Etymol. v. νυστάζω, quae descendit a νύω, *nuto*, vnde κατάνυξις, *sopor*.)

§ 11.

Interdum tamen etiam formas prorsus hebraicas, qua sensum, quem locus desiderat, bene graece, neglecto hebraismo, exprimunt, vt אֱמֶת ἐλεημοσύνη, et אִישׁ אֱמֶת ἀγαθὸς, benignus, אַחֲרִית non modo ἔσχατος, sed etiam ἐπιὼν, et cum הימים non modo ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, sed etiam μετὰ ταῦτα etc. Et nihil dicimus de hebraismis, qui sunt in constructione, et aliis generibus, quibus

quibus significatio non admodum adficitur, neque ambigua redditur: vt cum feminina pro neutris ponunt [1]), et similia.

1) V. c. Matth. XXI, 42. *θαυμαστὴ* pro *θαυμαστόν*. Adde et hoc: interdum hebraismi ex parte tantum explicantur, v. c. Genes. XIX, 21. נשא פנים, *θαυμάζει πρόσωπον*, quod non est graecum: sed inde deriues formulam N. T. *λαμβάνειν πρόσωπον*.

§ 12.

Hae igitur obseruationes in genere, et in singulis verbis, inprimis frequentius sic vsurpatis, et, vt ita dicam, dogmaticis, debent esse in promtu, vt nobis in tempore succurrant, et adiuuent in sensu reperiendo. Quod efficiemus, si versionem illam ita legerimus, vt semper cum hebraicis graeca conferamus, item graeca cum graecis diuersorum locorum, in quibus eadem verba hebraica sunt, et illas generales obseruationes ante oculos habeamus, vt iis admoniti de singulis verbis, quae consuetudo illius versionis sit, cognoscamus.

§ 13.

Ipsius autem versionis per tales obseruationes ad vsum in indagando N. T. sensu conferendae methodus habet maxime praecepta haec: Primum, vt, quae in N. T. bene

bene graece dicta non ſint, id quod cognita linguae graecae indoles et analogia docebit, ſaepe etiam ipſe ſenſus verborum bene graecus, abhorrens a contextus ſententia, ea requiramus in illa verſione, et, quibus verbis hebraicis reſpondeant, videamus, vt ex hebraicis intelligamus graeca: vt in verbis *κλῆσις*, *ἐκλογή* et coniugatis, in *μογιλάλος*, *Marc*. 7, 32., quod reſpondet hebraico אִלֵּם, *κωφὸς*, *Eſ*. 35, 6. [m]) In quo cautio eſt, vt hebraicorum vim recte teneamus, non latine e Lexicis vulgaribus vertamus; in quibus etiam latinitas plerumque eſt hebraica, ſaepe ex ipſa graeca verſione, verbis graecis etymologice interpretandis, hauſta: quae ratio non modo nihil profuerit, ſed etiam deceperit. Itaque praecepti illius, quod ſupra poſuimus, memores eſſe oportet tirones, vt libellos de hebraiſmis ſibi familiares reddant, omninoque verborum poteſtates e vera linguae indole recte et perſpicue cognoſcere ſtudeant.

m) Nequit *μογιλάλος* verti, *difficulter loquens*: qui enim naturaliter ſurdi ſunt, illi etiam muti eſſe ſolent. Collato itaque loco excitato, patet, *μογιλάλος* poſitum eſſe pro *ἄλαλος*.

§ 14.

Secundo, quae in illa verſione ex hebraico bene graece vertuntur, quod fieri ſubinde,

inde, supra diximus, ea in N. T. oportet conferre ad intelligenda ea, in quibus clarum est, ex indole graecae linguae rem aestimanti, hebraica esse etymologice verbis graecis expressa. Quod optime cognoscetur, si graeca hebraice, verbum de verbo, vertantur. Vt si 1 *Cor.* 15, 54. εἰς νῖκος vertas hebraice לנצח, memineris que, id etiam bene graece ab iisdem interpretibus verti εἰς τέλος, διαπαντὸς, εἰς τὸν αἰῶνα, χρόνον πολὺν, non modo εἰς νῖκος, sensum verum tenebis. Itaque oportet ea, quae sunt huiusmodi in versione illa, notata habere, vt sint in promtu, vbi eorum vsus venerit.

§ 15.

Atque etiam in bene graecis, V. et N. T. communibus, proderit conferre hebraica, quibus ea in V. T. respondeant; ne in illis ipsis bene graecis, si non omnino, at hactenus decipiamur, vt plenum sensum non assequamur. Nam interpretes illi interdum vage, vt ita dicam, et crassius interpretantur, item antecedente pro consequente, genere pro specie, et contra, ponendo, aut similia permutando: vt cum התהלך את יהוה vertunt εὐηρέστησε τῷ θεῷ, *Gen.* 5, 24. 6, 9. consequente pro antecedente posito, quod servatum ab Apostolo *Ebr.* 11, 5. [n])

n) Ioh.

n) Ioh. I, 14. μονογενὴς est בן יחיד, quod LXX. Gen. XXII, 2. explicant, υἱὸς ἀγαπητός.

§ 16.

Sunt etiam multa, quae, in vtroque, bene graeca ſunt ſono, et tamen hebraicam interpretationem deſiderant: qua ignorata, mirabiles ſententiae exiſtunt. Veluti κατώτατα μέρη τῆς γῆς *Eph.* 4, 9. *Pſ.* 62, 9. etc. non bene intelligentur, niſi compares hebraica, תחתיות ארץ. Quod genus inprimis eſt lubricum, fallitque interpretes. Et ſunt huius generis prope innumera. (vid. P. I. S. II. c. 3. §. 8.) Quo magis in his indagandis et ad vſum in loco conferendis diligens eſſe interpres debebit. [o])

o) Non ſine laude huic labori operam ſuam impenderunt *Bielius* in theſauro philologico et *Schleuſnerus* in ſupplementis ad h. l. Vtroque opere diligens interpres carere vix poterit.

§ 17.

In hac re proderit, vbi haerebimus, item exercendi ac diſcendi gratia, etiam indicibus verſionis huius vti, vt videamus, quibus hebraicis verbis graecum quodque reſpondeat, et ſi quid inde lucis accedere poſſit locis obſcuris: cuius generis a *Conr. Kirchero* et *Abr. Trommio* confectos habemus [p]). Sed in hac re multiplex cautio eſt: pri-

prima, ne affectatione aliqua, aut inſcitia hebraiſmi, aut interpretum graecorum vaga interpretandi ratione decepti, peccemus; in quo genere merito reprehenditur *Dan. Heinſius* [q]) a *Salmaſio* de *Foen. trapezit.* p. 805; ſecunda, ne illorum indicum vitiis et peccatis, quae ſunt multa et magna, in fraudem inducamur, quod accidit multis, praeſertim Kircheriano opere vſis, cuius latina ſunt e verſione *Pagnini*, vt eidem *Heinſio*, vt *Calouio* ad 1 *Cor.* 12, 4. in verbis ἀνάθεμα et ἀνάθημα: tertia, ne, cum illi interpretes aliam, quam nunc textus hebraicus habet, lectionem interpretati ſunt, eorum verba ex lectione textus noſtri interpretemur, et inde verbo graeco ſignificationem temere affingamus: quod accidit *Pearſonio* l. c. in *Ebr.* 10, 38; denique, ne pravas interpretationes verborum hebraicorum, quas non paucas eſſe conſtat, ſequamur. Vid. dicta a nobis in Diſp. de Diffic. Interpr. Gramm. N. T. §. 17. 18. 19. Quibus incommodis magno cum diſcentium fructu occurri poſſet, ſi quis vir ſatis graece et hebraice doctus, rei criticae bene peritus, et in hac, quam deſcripſimus, ratione exercitatus, Lexicon Graecitatis illius, quae eſt in verſione V. T. graeca, conficeret: quod in animo habuiſſe *Druſium*, ex eius praef. in Praeterita etc. patet. [r])

p) *Kir-*

p) *Kircherus* ediderat concordantiam a. 1607. 4. ita, vt verba hebraica primo loco poneret, addito indice graeco, quod valde erat incommodum. Sed contra *Trommius* graeca primo loco poſuit, addito indice hebraico, a. 1717. fol. Hic liber melior eſt priori, cuius auctor vſus erat editione τῶν ό Wecheliana, in qua multa vitioſe ſunt expreſſa.

q) Heinſius vſus Pagnini Lexico hebr. mere etymologico ἄρτον ἐπιούσιον explicuerat, *panem craſtinum*, quaſi eſſet לחם תמיד, panis inſtans, תמיד falſo ab עמד deriuato. Sic boná explicatio inani eruditione vaniſque argumentis erat ſuffulta.

r) Vid. not. ad §. 16.

## § 18.

Haec igitur maxime praecepta tenenti, praeſertim exercitatione aliqua, et vſu rei, legendis aut audiendis bonis interpretibus, adiuncto, licebit magno cum fructu ea interpretatione vti: ex qua profecto nondum omnia eruta ſunt, quae vtiliter ad interpretationem N. T. conferri poſſunt.

## § 19.

Enimuero etiam alios non contemnendos vſus habet illa verſio: primum valde neceſſarium in comparatione locorum, quae de Vetere Teſtamento commemorantur in Nouo: nec contemnendum alterum, in iudicio ac delectu lectionis; qui eſt criticus: tertium

tertium ad intelligendos Commentarios veterum Ecclesiae doctorum, qui fere ex hac versione pendent.

§ 20.

Satis enim constat, sanctos N. T. scriptores interdum verba V. T. ita protulisse, vt ea de versione graeca sumta esse videantur. Nam etsi in nonnullis ipsi ex hebraico vertisse videri possunt, exprimendo verbum de verbo, vbi etiam fortasse nostrum quisque pari modo, aut non multum aliter, verterit; praesertim cum non raro ipsos vertisse, loci indicio sint ii, in quibus cum hebraico textu contra graecum consentiunt, vt *Matth.* 8, 17. ex *Es.* 53, 4. item *Io.* 19, 37. e *Zach.* 12, 10. tamen haud paucis in locis clarum est, verba e versione graeca depromta esse, hoc est, in iis, vbi non modo nihil ab hac, sed etiam ab hebraico perspicue discrepant, qui dissensus saepe sententiam adficit, estque interdum eiusmodi, vt supra fidem sit, duobus eadem verba in vertendo venisse in mentem: vt *Ebr.* 10, 38. 11, 21. In quibus locis si Apostolos ipsos ex hebraico vertisse dicamus, vt placuit quibusdam viris doctis, aut lapsos esse interpretando, sequetur, aut textum nostrum hebraicum in iis locis vitiosum esse; quorum neutrum probari potest; aut denique versione Apostolica sublata, a libra-

librariis insertam esse versionem vulgatam τῶν ό, quod ipsum nonnulli statuerunt: de quo est lata disputatio Lud. Capelli in Append. Criticae S. p. 443. [s])

s) In re multorum obseruationibus agitata pauca disputare attinet. Excitatur V. T. in nouo ab auctoribus θεοπνεύστοις vel ex contextu hebraico, vel ex versione LXX. interpretum, vel ex alia nunc deperdita, vel ex memoria. Conf. *Eichhornius* Allg. Bibl. d. bibl. Lit. T. II. p. 948. seqq. et *Eckermannus* in symbolis theologicis. In vniuersum notandum est, tunc temporis morem aliorum scripta excitandi ita fuisse comparatum, vt

1) magis ad sensum loci, quam verba respiceretur, multa itaque adponerentur et omitterentur:

2) vt sensus loci excitati notionibus auctoris accommodaretur;

3) vt quilibet auctor etiam in excitandis aliorum scriptis ingenium suum proderet.

Petrus certe Act. II, 25. s. et Iacobus c. XV, 16. s. versione Alexandrina Hierosolymis vti non poterant; Graeci enim male ibi audiebant, et vterque apostolus non graece, sed syriace verba faciebat. Loca igitur V. T. ab iis excitata e Lucae memoria fluxerunt.

§ 21.

Caussas varietatis huius in auctoritatibus illis ponendis, itemque consuetudinis vsurpandi versionem graecam, etiam tum, cum ab hebraico discrepat, curiose exquirere, non

non eſt neceſſe, praeſertim in hac inſtitutione: caeterum, cum ex verſione graeca, quamquam aberrante a veritate hebraica, interdum pendeat tota ratio et vis argumentationis, nec modo in ſententiis integris ac pluribus, ſed interdum etiam in ſingulis verbis: facile intelligitur, ad intelligendas demonſtrationes et rationes ſcriptorum ſacrorum illius verſionis comparationem et intelligentiam valde eſſe neceſſariam.

§ 22.

Vſum criticum habet, primum in illis ipſis locis, qui ex ea proferuntur. Nam in iis diſcrepant interdum libri veteres, vt decernendum ſit, quid ſequi velimus. In quo genere vniuerſo, ſane vix dubitari poteſt, quin lectio ea ſit praeferenda, quae in verſionis bonis exemplis reperitur, praeſertim, ſi habeat aliquid exquiſiti, aut inſolentior ſit. Veluti *Hebr.* 1, 12. praeferetur vulgatum ἑλίξεις τῷ ἀλλάξεις, contra quam *Bengelio* atque *Wetſtenio* videtur, quod ἑλίξεις eſt in verſione graeca, e qua totus ibi locus ſumtus eſt [t]), gloſſaeque ſimile eſt ἀλλάξεις e verſione N. T. latina, quae hoc verbum habere videtur ex Hieronymi correctione; quamquam ſane hoc hebraico חלף ſimilius eſt. Poteſt tamen accidere, vt ab eius auctoritate diſcedendum ſit, propriis alioqui

 loco

loco cauſſis: veluti, cum res et ratio argumentandi aliquid habet eiusmodi, propter quod aliquid conſulto mutatum videatur, ſalua tamen ſententia vniuerſa: vt *Paulus* *Ebr.* 10, 5. pro ὠτία videtur σῶμα poſuiſſe e *Pſ.* 40. vt aptius rationi ſuae, cum vellet demonſtrare, Ieſum corpore ſuo immolando Deum placaſſe [u]).

t) Neque tamen ſilentio praeteriri debet, editionem τῶν ό Grabianam habere ἀλλάξεις, Pſalm. CII, 26—28.

u) Etiam verſio Philoxeniana habet ὦτα h. l. atque ſic etiam legendum eſſe cenſet *Michaelis* colleg. crit. de Pſalmis praecip. de Chriſto agentibus, p. 358. ſeqq.

§. 23.

Atque etiam in aliis locis adiuuare in iudicando poteſt, cum, in pari librorum auctoritate atque ſenſus bonitate, e verborum ratione, decernendum eſt (c. VI. §. 25.). Nam vix dubitari poteſt, quin tum lectio ea, quae ſit conſuetudini verſionis huius conuenientior, praeſertim durior, ſi graeca conſuetudine aeſtimetur, praeferri debeat. Quid quod etiam per eam caueri poteſt deprauatio textus, et lectio vera firmari. Non, vt opinor, Interpres latinus *Act.* 15, 2. omiſſurus erat καὶ συζητήσεως, quod videbatur lenius, quam pro στάσεως verbo, ſi στάσιν, quam

quam *seditionem* interpretatur, de more τῶν ό intellexisset *altercationem*, quae est in disputatione ac dissensu.

§ 24.

Sed in tota hac re videndum est, vt vtamur exemplis versionis, quae e bonis Codicibus ducta sint, ne vitiis librorum decipiamur. Atque etiam plures editiones interdum conferendae, aut variae lectiones inspiciendae sunt. Itaque nemo 2 *Cor.* 13, 1. pro ςαθήσεται e versione illa tentet rescribere ςήσεται, quod *Deut.* 19, 15. in illa sententia habent Romana editio, et quae ex ea expressae sunt: quamquam hoc quoque sensu passiuo intelligi potest: cum ςαθήσεται in Aldina et Grabiana repererit.

§ 25.

Sed quamquam in hoc genere dominatur versio illa: tamen nec negligendae sunt reliquiae caeterarum versionum graecarum, *Aquilae* inprimis ac *Symmachi*, primum a *Petro Morino*, vt ipse narrat in epist. n. 31. iuuante *Ant. Agellio* e scriptis Patrum, inprimis Hieronymi, et Catenis collectae, et a *Flaminio Nobilio* in Bibliis Graecis Romae editae, inde in pluribus editionibus repetitae, post a *Drusio* separatim, et ad vsum aptius, sed e manuscriptis libris Grae-

corum Commentariorum, vt *Euſebii*, *Procopii* etc. longe auctius in Hexaplorum Origenianorum reliquiis editae a *Montefalconio* Pariſ. 1713. cum Lexico hebraico et graeco: quod opus in compendium redegit et auxit *Bahrdtius* Lipſ. 1769. v) Plura promiſit ſupplementa e Codice Chiſiano *Blanchinus*, ſed non dedit, praeuentus morte.

v) Theodotion maximam partem conſpirat cum LXX. interpr. propterea que hoc loco minoris pretii eſt. Sed vid. de hoc reliquisque fragmentorum hexaplarium auctoribus *Eichhornius* Einl. in d. A. T. T. I. ed. 3. p. 335. ff.

§ 26.

Nam *Aquila*, Iudaico ingenio obſecutus, ita vertit hebraica, vt ſingula verba exprimeret graecis, quae illis eſſent propria ſignificatione ſimillima: vnde κατ' ἀκρίβειαν vertiſſe dictus eſt, mirificeque operam ſuam Iudaeis probauit, non diſſentientibus multum Chriſtianis, qui eam etiam *Veritatem hebraicam* appellarunt, veluti, eam cum legerent, ipſa hebraica legerent: vnde ſaepe doctores graeci, cum hebraica memorant, verſionem hanc intelligunt.

§ 27.

Hinc fit, vt adiuuare nos eius reliquiae poſſint, cum quaerimus, cui verbo hebraico grae-

graecum, in quo haeremus, respondeat, vt inde, quam vim in sermone hebraeo-graeco habere possit, videamus. Veluti, κανόνος verbum vsurpatum ad exprimendum hebraicum קַו, cum de funiculo mensorio dicitur: quod prodest ei verbo intelligendo atque illustrando 2 *Cor.* 10, 13. etc.

§ 28.

*Symmachum* autem veteres tradunt, atque id etiam reliquiae versionis ab eo factae docent, in vertendo puritatem linguae graecae conseruare studuisse. Nam quae inter eas non pura sunt, ea per errorem scribentium ex *Aquila*, aut alio quo, irrepsisse videntur: sicut et *Symmachi* quaedam in excerpta *Aquilae*. Quo nomine vt laudatur mirifice ab *Hieronymo*, item *Theodoreto*, ita malam gratiam a popularibus suis, Iudaeis, iniit, qui ea ratione profanari oracula diuina putabant. Vid. Cl. *Thiemii* Disp. de Puritate Symmachi. x)

x) Videant et iudicent hic viri docti, num in N. T. interpretatione ex antiquis Hellenismi monumentis instituenda alicuius pretii sit *noua V. T. versio graeca Veneta* a Villoisono (Argentor. 1784.) et nobis (Erlangae 1790. f. T. I—III.) edita, tum in disquirenda ratione, qua notiones hebraicae graece exprimi soleant, cuius rei scientia egregium est adcuratioris explicationis subsidium; tum in singulis verbis formulisque, v. c. in v. γάμος, משתה, quod huius versionis auctor bene

bene conuertit in δόκος: in v. ἐκνεύειν Ioh. V, 13. quo vocabulo noſter exprimit תנה Deut. XXXI, 18.

§ 29.

Ex quo intelligitur, eas reliquias prodeſſe poſſe, vt verba formasque loquendi hebraicas bene intelligamus, nec earum interpretationes graecas hebraizantes in ſenſum alienum trahamus. Ex quo genere eſt, v. g. quod εὐεργεσίαν interpretatur, quam οἱ ό ἀνταπόδοσιν *Pſ.* 103, 2. etymologiam hebraicae vocis גמול ſecuti: quod etiam ad μισθὸν trahere licet, qui pariter pro beneficiis ac bonis, ſ. felicitate, a Deo accepta, ſine reſpectu actionis praegreſſae dicitur *Gen.* 15, 2. Quodſi non proſunt in multis locis proprie, at proſunt ad rationem vniuerſam cognoſcendi vſus loquendi in libris N. T. nec modo in ſingulis verbis, ſed etiam in conſtructionibus, a graeca ratione aberrantibus. Legantur *Io. Frid. Fiſcheri* V. C. Proluſiones de Interpretibus V. T. graecis, hebraicae linguae intelligendae magiſtris. (Lipſ. 1772. 8.)

CAP.

# CAP. VIII.

## *De vsu scriptorum Iudaicorum.*

### § 1.

Cum sint in N. T. et verba, et formae loquendi, denique etiam sententiae, quae vel vi, vel structura discrepant a graecae linguae consuetudine, nec tamen ex hebraismo, quoad e libris sacris cognoscitur, aut ex interpretatione Alexandrina, explicari possunt: necesse est, vt eae fluxerint e consuetudine Syro-Chaldaica, quae tum in Palaestina valuit, in haud paucis a vetere hebraica discrepans, siue de rebus vulgaribus, siue ad religionem pertinentibus, loquerentur. y)

y) Duplex vsus est scriptorum Iudaicorum in N. T. 1) secundum res, antiquitates et ritus Iudaeorum, ad quos in N. T. adluditur, vt et secundum opiniones illorum praeiudicatas, de Satana, de angelis, de Messia eiusque praenuntiis, de sabbato, de Deo Iudaeorum tantum Patre: 2) secundum verba et orationem in gnomis, parabolis, v. c. in Ἀδὰμ ἀρχαῖος, γλῶσσαι καιναί, ἕτεραι etc.

§ 2.

§ 2.

Huius reliquiae quaedam vix dubitari poteſt, cum res ipſa loquatur, quin reperiantur in libris Iudaicis, ſi non omnibus et cuiuscunque aetatis, at antiquioribus, et propioribus aetati Apoſtolorum, aut qui eius aetatis ſcriptorum fragmenta conſeruauere. In priori genere *Targumim* z), *Miſchna* Hieroſ. e Sec. II. liber *Sohar*, eiusdem prope aetatis, in poſteriori multi alii numerantur; qui etſi aliquot ſeculis recentiores ſunt, velut *Gemarici* et *Rabbothani*, vel *Midraſchici*, tamen verba veterum Doctorum conſeruauere: de quibus libris praeter *Wolfium* in Bibl. hebr. adeundi *Schoettgenius* Lect. Rabbinic. L. I. *Gillius* in praef. Comm. in Euangelia, et *Harenbergius* in Proleg. ad Comm. in Apocal. Ioan.

z) Optima translatio תרגום eſt *Onkeloſi* in legem et *Ionathanis* in Prophetas. Miſchnam latinitate et notis illuſtrauit *Guilielm. Surenhuſe.* Amſtelaed. 1698. fol. theodiſce facta eſt a *Rabio*, presbytero Onoldino, VI tomis. Onoldi 4. 1760. ſeqq. Ex Gemara idem vir doctus tranſtulit in noſtram linguam tract. Brachot. Halae 1777. 4.

§ 3.

Itaque, etſi non cuiusuis eſt, hos ſcriptores excutere: tamen diligenter legenda et conſulenda ſunt ſcripta eorum, qui lectum ex

ex hoc ſtercore aurum vſibus communibus ad interpretationem Nou. Teſt. tradidere: Quorum principes ſunt poſt Cartwrightum in mellificio hebr. *Io. Druſius*, *Lightfootus* et *Schoettgenius*, qui ex inſtituto hanc partem ſunt perſecuti, ille in *Praeteritorum* opere, hi in *Horis Talmudicis* [a]). In quibus tamen omnibus locum habet, quod de Britanno monet *Simon Hiſt. Crit. T. III. pag. 795.*, cum eum dicit eſſe copioſiorem in ritibus, quam in verbis, et nimis ſequi eorum opiniones, denique cogere interdum Iudaeos dicere, quae ipſi placeant. His addi poſſunt etiam praeter *Hakſpanum* de libris Iudaeorum, ad calcem *Lipomanni* Nizachon c. 3. Sect. II. de vſu ſcriptorum Iud. ad interpretationem N. T. *Balth. Scheidii Praeterita Praeteritorum*, in Meuſcheniana Collectione. Pauciora, ſed magis delecta et exquiſita, collegere *Capelli* [b]), Ludouicus quidem per occaſionem edendi *Cameronis* Myrothecii. Ex Interpretibus primus prope, certe ſatis diligenter, hoc genere vſus eſt *Hugo Grotius*: et notarum *Wetſtenii* in N. T., itemque *Gillii* Britanni in Euangelia, optima fere pars eſt ea, quae Iudaicorum ſcriptorum excerptis conſtat. De *Gaulmini* ineditis ex hoc genere notis v. *Simonis Bibl. Crit.* IV. p. 183. Patet, tantam huius generis iam copiam eſſe, vt

alio

alio viro docto opus sit, qui delectum ex omnibus faciat [bb]).

a) *Drusius* edidit opus Praeteritorum, ab Erasmo nimirum et Beza 1612. 4: *Lightfootus* horas Hebraicas et Talmudicas Cantabrig. 1658. 4. repetitas Lipsiae cur. Carpzouio: *Schoettgenius* horas Talmud. Dresdae 1733. 4.

b) In Capellis tres sunt distinguendi: Iacobus vterque et Ludouicus, Iacobi filius, Buxtorfii aduersarius et Criticae sacrae auctor. Collectiones Meuschenii vide in eius N. T. e Talmude illustrato. Lips. 1736. 4.

bb) Multa enim a *Drusio*, *Lightfooto*, *Schoettgenio* et *Wetstenio*, qui archetypis rarius, versione latina autem saepissime vtitur, congesta sunt e scriptoribus Iudaicis, quibus recta N. T. interpretatio parum adiuuatur. Supersunt tamen haud pauca, quae locis difficillimis lucem adfundant, tum e Mischna, inprimis libro פרקי אבות, tum e libro Sohar, cuius compendium dedit *Knorr a Rosenroth* in Kabbala denudata, tum e recentioribus Iudaeorum scriptis excerpenda. Exempla vide in diss. nostra, *Adscensus I. C. in coelum historia biblica*, in nou. opusc. theol. Gotting. 1803. p. 57. ss. *De vestigiis theologiae Iudaicae in epistola Pauli ad Romanos*, ibid. p. 72. ss. *De linguis nouis*, Erlang. 1803. p. 9. s. Neque negligi velim Maimonidem in libro מורה נבוכים, cui obseruationes grammaticae insunt optimae frugis, et in vtroque tractatu de *doctrina legis et poenitentia*, ed. *Clavering*, Oxonii 1705. Vide pag. 58. 59. 63. 73. 75. 87. Adde eiusdem tractatum de iureiurando ed. *Dithmar*, Lugdun. 1706.

§ 4.

§ 4.

Neque vero verborum modo intellectum adiuuant Iudaici ſcriptores, ſed etiam rerum explicationi interdum ſeruiunt. Nam ritibus, moribus et opinionibus, ad quas alludunt non paucis locis ſcriptores Nou. Teſt. ſubinde lucem affundunt. In quo genere, praeter ſuperiores illos, omnes ii laborarunt, qui Antiquitates hebraicas e Iudaicis ſcriptoribus illuſtrarunt. c) De quo genere, praeter *Relandi* Orationem, *Gillii* Diſputatio adiri poteſt, inſerta *Catenae Britannicae Commentar. in N. T.* T. I.

c) Vtilitatem horum auctorum exempla doceant. Parabola Luc. XVI. intelligi nequit, niſi teneas, Lazarum eſſe Irum Hebraeorum, qui ex more orientis vitae aeternae gaudia ſub imagine conniuii, quo locus princeps erat in ſinu Abrahami, adumbrabant et angelos piorum animas illuc deducere, impios autem in flammas ſulphureas coniicere, ſtatuebant. Adde locum Matth. V, 34. μὴ ὀμόσαι ὅλως e tractatu Miſchnae שבועות illuſtrandum; Act. II, 3. γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς a *Vitringa* (de ſyn. vet. p. 146.) ſententia parallela e Schalſchelet Hakabbala explicitum; orationem dominicam e Iudaeorum precibus *Kadiſch* deriuatam.

§ 5.

Sed in hoc genere plures ſunt cautiones: prima, vt inconſtantiam fugiamus eorum, qui, vt quoque loco commodum ipſis eſt, et

et susceptae ab ipsis opinioni consentaneum videtur, quod Iudaei tradunt, aut ex iis profertur, nec ne, ita Iudaicorum scriptorum vsum et auctoritatem vel extollunt vel deprimunt: altera, vt κακοζηλίαν quorundam, qui studio suo capti, omnia, quae de Iudaeis proferuntur, sine delectu probant, et ad interpretandum N. T. accommodant. In quo genere vtique saepe peccauere *Lightfootus* inprimis et *Gillius*.

§ 6.

His igitur cautionibus facilius et rectius parebimus, omninoque hoc genere rectius vtemur, si certum praeceptum tenebimus, quod delectus faciendi modum praescribat. Nam qui nihil aliud, nisi hoc, praecipiunt, cauendum, ne in huius generis vsu in alterutram partem peccemus, vel excedendo modum, vel citra modum subsistendo, delectum et iudicium non relinquunt: quod nemo se aut plus, aut minus, quam debebat, facere putat. [d])

d) In vniuersum haec regula tenenda est: quidquid in N. T. ad ritus religionis, ad docendi et orationis formam spectat, maximam partem e scriptoribus Iudaicis illustrari debet. Sic e. c. Paulus in Epistola ad Romanos multa profert, quae Gamalielis discipulum prodant. Breuior per exempla est via, quam vel suo, vel aliorum adparatu instructus, praeiuit *Wetstenius* in

in notis ſuis ad N. T. Delectum bonarum obſeruationum e ſcriptoribus Iudaicis inuenias etiam in *Eichhornii* Commentario in Apocalypſin, Gotting. 1791.

§ 7.

Atque non negem, in eo delectu plus prope valere ſenſum aliquem ingenii, datum ab natura, quem vſus, et exercitatio, et elegantia literarum humaniorum acuerit. Caeterum profuerit tenuiſſe hoc, vt ab illis ſcriptoribus auxilium petamus tum modo, cum neceſſitas aliqua vrgeat, h. e. vbi neque graecae neque hebraicae veteris linguae ſcientia ſuppeditet, per quod ſenſus commodus et contextui aptus reperiri poſſit [e]). Et haec eſt illa ipſa media via, quam tenendam in hoc genere nonnulli praecipiunt. Nam vbi ab his auxilium eſt, ſtultum ſit, ab Iudaeorum magiſtris petere. Profuerit etiam legiſſe eos, qui in hoc genere caute et eleganter ſunt verſati; in quo *Capelli* inprimis *Spicilegium* commendem, et *Grotii* ex eo genere notas in N. T.

e) Exemplum illuſtre exſtat Act. XIII, 48. *τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον*. Qui hoc ex ſenſu Iudaico explicant, illis *τεταγμένος* idem eſt, ac ערוך, *ordinatus*, h. e. deſtinatus. Sed meliorem ſenſum fundit graecitas loci: *τάττειν ἑαυτὸν εἴς τι* eſt, *ſtudioſum eſſe alicuius rei: τεταγμένος*, *compoſitus*. Vide tamen *Koppium* ad Rom. IX, 22.

§ 8.

§ 8.

In ea autem parte, quae ad antiquitates pertinet, adiungendi, atque adeo Rabbinicis scriptoribus longe praeferendi sunt *Philo* et *Iosephus*: quippe et antiquiores istis et eruditiores: neque vllo modo audiendi sunt, qui amore Rabbinorum, aut suarum adeo opinionum capti, hos potius, quam illos, vbi dissentiant, sequendos putant. Nam in rebus ad templum Hierosolymitanum spectantibus, et in ritibus religiosis, aut cum templo aliquam coniunctionem habentibus, vt in caussa Paschali, in adyto, et templo Herodis, maior profecto fides esse debet iis, qui suis oculis ista viderunt, et ipsi factitarunt, quam caeteris, qui excisa cum templo vrbe, et sublato ritu Iudaico, vixere f). Legatur etiam *Heinius* Obs. S. I, 9. II, 3. de ignorantia Iudaeorum et crassis mendaciis in antiquitatibus hebraicis.

f) Sic v. c. Talmudici tradunt, sacerdotes mactauisse agnum paschalem, sed Philo quemuis patremfamilias hoc factitauisse perhibet. Templum Hierosolymitanum non totum ab Herode suisse destructum, tradunt Rabbini: Iosephus autem etiam sanctuarium destructum esse docet. Vtrobique Iosephus et Philo maiorem fidem merentur. Aliis N. T. locis adhuc lucem adfundunt literae Samaritanae publicatae in Repert. Lit. Or. et Bibl. *Eichhorn*. Tom. IX. et in Repert. *Paul*. Tom. I. p. 120. sqq.

§ 9.

§ 9.

*Philo* vero etiam rationi allegoricae et myſticae, qua *Paulus* inprimis vtitur, illuſtrandae et accuratius cognoſcendae plurimum proderit: in quo tantum ei ſimilitudinis cum *Paulo* intercedit, etiam interdum in modis loquendi, vt quidam etiam *Philonis* libros a *Paulo* lectos coniicerent [g]), in his *Wetſtenius* T. II. N. T. pag. 384. Quod nobis tamen non magis credibile videtur, quam quod *Ottio* in Spicileg. pag. 397. placebat, e *Pauli* libris *Ioſephum* profeciſſe. Nam vt vix credi poteſt, *Paulum* graecae linguae ita peritum fuiſſe, vt *Philonis* orationem, plane abhorrentem ab hebraica indole, et Platonicae ac Demoſthenicae aemulam, intelligeret: ita nihil impedit, quo minus vtrique ex iisdem antiquiorum ſcriptorum fontibus hauſerint. Legantur a ſtudioſis *Loesneri* V. C. Lectiones Philonianae.

g) Magna omnino ſimilitudo intercedit inter ſcripta Pauli et Philonis: vide Gal. IV, 24. ſ. et Philon, allegor. ed. Pfeifferi t. I. p. 385. Neque tamen exinde colligi poteſt, vnum ex altero hauſiſſe: intelligitur potius, vtrumque linguam graecam adcuratius didiciſſe.

§ 10.

Nec verum eſt, quod traditum vidi a Philologis nonnullis parum peritis, cum *Ioſephi*

*sephi* lectionem ad intelligentiam N. T. vtilem dicerent, quod eodem genere scribendi vteretur. Nam *Iosephus* bene graecos scriptores, inprimis Polybium, et in verbis singulis, et in forma orationis, diligenter ac satis feliciter imitatur, rarissime admistis hebraismis, desciscens in eo, vt ipse dicit, a gentis suae consuetudine. Sunt tamen et in phrasi, quae obseruasse non poenituerit. Ea ex instituto congessit et illustrauit *Ottius* l. c. diligentius multo Cl. *Krebsius* in *Obseruat. ad N. T. e Iosepho.* [h]) Et ab his quoque nonnulla, vt fit, praetermissa sunt: velut, quod τὰ βλεπόμενα de euentu promissionis dixit A. V, 10. extr. quod prodest ad Hebr. XI, 1. it. quod ἐκλογὴν de libertate, B. I. II, 8. 14. quod prodest illustrando loco *Rom.* 9, 11. vbi ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις, in qua se tantopere torquent, qui ex Compendiis doctrinae interpretantur, nihil aliud est, quam libera Dei voluntas, omninoque libertas Dei in beneficiis tribuendis; ducto modo loquendi partim ex hebraismo, qui libertatem, nisi per verbum בחר, exprimere non potest, partim ex natura rei. Nam fundamentum libertatis est in facultate eligendi. Sed ad interpretationem N. T. multum proderit in legendo Iosepho obseruasse, quomodo tradens res Iudaicas e libris sacris, exprimat hebraica: quale est, cum in caussa

Core,

Core, verba לפני יהוה, quae οἱ ό vertunt *κατέναντι τȣ̃ Κυρίȣ* (Num. XVI.), ipse interpretatur *κατέναντι τȣ̃ προτεμενίσματος*. Et hoc genus obseruationis fere neglectum vidimus.

h) Iosephus admodum feliciter imitatur Thucydidem et Polybium, rarissime admissis hebraismis, v. c. *κοινὸς* pro *βέβηλος*, *σάκκους περιτίθεσθαι*, *amictum funebrem induere*. Ne autem dictione Iosephi abutantur interpretes ad explicandum N. T. obseruent quaeso, illum magis illustrare historiam V. et interdum etiam N. T., quam singula verba. — Multae bonae obseruationes e scriptis Iudaeorum in N. T. inueniuntur adhuc in Raymundi *Martini* pugione fidei aduersus Mauros et Iudaeos. Lips. 1687.

CAP.

# CAP. IX.

## *De Interpretibus N. T. eorumque vſu.*

### § 1.

Interpretandi genera plura vſurpauit anti-quitas, *myſticum* ſ. *allegoricum*, *dogmaticum* et *grammaticum* ſiue *grammatico-rhetoricum*. Nec eodem genere ſcribendi vſi ſunt omnes. Nam alii *Commentarios* ſcripſere, alii *Scholia*, alii *Homilias*.

### § 2.

Antiquiſſimum genus eſt *allegoricum*, ortum haud dubie e Synagoga, quae ab ea re בית־מדרש magiſtris Iudaeorum dicitur, et ſcholis Doctorum Iudaicorum. Nam in Synagogis licuiſſe commentari in loca ſacrorum librorum, Euangelia docent. Et in ſcholis Doctorum, quae pariter Synagogae dicuntur, quod in iis docebant fere magiſtri, et poſt ſublatum templum nihil magis agebatur, quam vt ratio et modus explicandi legem et Prophetas traderetur, in quo ſumma et vna eruditio Iudaica erat [i]).

i) Qua tamen in re ſine vllo guſtu, ſine vllo veri

et pulchri sensu sunt versati. Vide *Vitringam* de synagoga vetere pag. 137. ss.

§ 3.

Id olim, ab ipsis Prophetis vsurpatum, quoad incorruptum ab humani ingenii vanitate et lusibus mansit, habuit explicationem vaticiniorum de Iesu Christo, typorumque, et fortasse etiam rerum ipsarum, inprimis historicarum, accommodationes ad diuina et humana, per quas dogmata et praecepta vitae illustrarentur, et omnia ad vsum fidei ac vitae conferrentur: idque adeo fuit mysticum genus, quod proprie ab allegorico differt, vt apud Graecos θεωρία ab ἀλληγορία. 1)

1) Historia interpretationis S. S. docet, tum mysticam, tum allegoricam N. T. explicationem ad formam Iudaicam fuisse expressam. Quae cum verae theologiae admodum sit perniciosa, plane fugienda est a liberali religionis doctore.

§ 4.

Sed paullatim ab ingeniis, parum subactis doctrina, et acuminis gloriam captantibus, mire corruptum est, omissaque meliori parte, quae ad vaticinia et typos pertinet, omnia ad accommodationes relata sunt, per quas et res minutissimae quaeque, et verba ipsa misere et inepte torquerentur, et

lusibus omnia replerentur: quo genere etiamnum quidam in parabolis interpretandis vtuntur. Melius tractat hoc genus Philo, quippe literis subacti vir ingenii, sed tamen nimis philosophatur.

## § 5.

Hoc ergo genus ab Iudaeis acceptum, coepit a Doctoribus Ecclesiae Christianae vsurpari, primum omnium in Aegypto, imitatione Philonis, qui nihil aliud egit, quam vt ab sensibilibus homines adduceret ad inuisibilia intelligenda et appetenda; et, quamuis post inducto grammatico, tamen frequentatum est inprimis ab his, qui, propter inscitiam linguae et historiae, etiam necessario allegorias consectabantur, quod de se iuuene fatetur *Hieronymus: allegorice interpretatus sum*, inquit, *Abdiam, cuius historiam nesciebam*, eiusque inscitiae veniam rogat. *Praef. ad Abdiam.* Nec minus prope ingenio indulsere etiam doctissimi, vt *Origenes*, quam Iudaei indulserant: et tamen haec ratio plurimum aduersus Chiliastas, Anthropomorphitas et Gnosticos profuit. m)

m) Barnabas, Clemens Rom., Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus et Origenes, omnes vsi sunt interpretatione allegorica, admissa etiam gentilium philosophia. Vid. *Schuleri* Histor. Interpretat. S. S. popularis

laria theod. scripta. Tubing. 1787. *Semleri* librum; Versuch, die Auslegung des N. T. zu befördern. p. 185. seqq. et *Rosenmülleri* Commentatt. de fatis interpretationis sacrarum literarum in Ecclesia Christiana, nunc etiam theodisce factas. Lips. 1789—1791.

## § 6.

Sed adiunctum est ab Christianis huic generi, quod ad *οἰκοδομήν*, h. e. non tam ad intelligendas scripturas, quam ad dogmata et praecepta religionis inculcanda et commendanda, et ad gloriam ingenii vsurpabatur, *grammaticum*, quod verba, historias, sententias, difficiles et obscuras explicaret, lectiones varias commemoraret ac diiudicaret, auctore, id quod satis constat, *Origene*, non theologica magis quam literarum scientia et vsu praeclare instructo, quas illae Alexandriae docebat, auctore *Eusebio* H. E. [a])

a) Origenes interpretationem allegoricam, quam primum secutus erat, doctrina philologica imbutus in scriptis posterioribus reliquit. Idem nostris temporibus euenire videmus: quo magis theologus eminet doctrina solida veraque linguarum notitia, eo melior est S. S. interpres, sibique temperat, quo minus doctrinas fidei et morum inanibus superstruat allegoriis, quibus auditorum animi magis obruuntur, quam flectuntur.

## § 7.

Ad extremum, cum inter Graecos maior

numerus esse coepisset Doctorum, qui eruditi essent literis humanioribus, et exculti elegantia doctrinae, allegoricum genus plane repudiari coepit, auctore *Diodoro* Tarsensi (v. *Socrat.* VI, 3. *Sozom.* VIII, 2.) cuius rationem discipuli, inprimis *Theodorus Mopsuestenus* et *Io. Chrysostomus*, imitati sunt. Nam quod, siue *Diodorus* ipse, siue *Theodorus*, siue vterque, in vaticiniis interpretandis ea ratione dicuntur abusi, historico sensu Prophetarum in accommodationes conuerso, ea, siue criminatio fuit hominum allegoricae interpretationi nimis faventium, et per hoc grammaticam, atque adeo ipsos illos libros, quorum gloriae invidebant, infamare cupientium, siue vera accusatio fuit, tamen non impedit, quo minus de interpretatione scripturarum vniversa in genere grammatico optime meriti sint. De *Theodoro* v. *Buddei* Isag. pag. 1405. a quo in enarrandis interpretibus *Diodori* mentionem nullam factam, mirabile est, e cuius libris excerpta in Catenis PP. reperiuntur, quamquam nihil, quod nos quidem reperérimus, admodum eximii inest.

## § 8.

In Ecclesia latina et ipsa allegoricum genus inualuit, partim ab eadem necessitate (§. 5.), partim per versiones latinas Origenianorum

norum Commentariorum, aut quod, qui Graece docti eſſent, vt *Hilarius* et *Ambroſius*, ex *Origenis* et ſimilium libris haurirent.

§. 9.

*Dogmaticum* genus interpretandi eſt eorum, qui in interpretando non tam verba accurate interpretantur, quam ſententias vtcunque intellectas illuſtrant diſputationibus de capitibus fidei et morum, controuerſias etiam tractant, et veritatem doctrinae ab deprauationibus haereticorum vindicant: cuius generis eſt *Cyrilli* Alexandrini in Iohannem Commentarius, cui tamen interdum quaedam adſperſa ſunt e grammatica ratione; eique ſimiles multi, praeſertim de latinis, et recentioribus, proxime ab repurgatorum ſacrorum tempore ſcriptis. Quod genus ad intelligentiam rerum theologicarum vtile, ſaepe ad interpretationem eam, quae proprie dicitur, parum prodeſt. o)

o) Dogmaticum interpretandi genus probatur, ſi ſuperſtructum ſit explicationi grammaticae, v. c. Ioh. X, 30. ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν Quodſi hic notetur vnio moralis Ieſu et Patris, quae conſiſtit in communione conſilii de beandis hominibus, tunc bene obſeruatur dogmatice, ſaluatorem diuinum ſingulari ratione cum Patre eſſe coniunctum. Si autem ſtatim ex doctrina Eccleſiaſtica de Trinitate cogitetur de vnitate eſſentiali, aliis ex locis comprobanda, tunc locus explicatur

plicatur dogmatice, et quidem male, quia contextus orationis Iohanneus negligitur.

§ 10.

Est etiam quoddam genus ex omnibus, praesertim posterioribus duobus, mixtum, quod et verba curiose tractat, et sententias theologicas persequitur: quod, si modum adhibet eum, quem supra descripsimus, non modo non est contemnendum, sed etiam vehementer probandum p). Sed leges interpretandi supra proposuimus.

p) Cum interpretatio S. S. adcurate et ex regulis artis instituta dogmatibus publica auctoritate olim descriptis non semper faueat, abstinebit fortasse prouidus interpres ab omnibus obseruationibus dogmaticis, eo lubentius, quia dogmata in vniuersum stabilienda non ex vno loco, vel altero, sed ex tota Nou. Test. analogia elici et probari debent.

§ 11.

In genere librorum, in quibus scripturae tractarentur, principatus dabatur *Commentariis* q): in quibus copiosius et vberius, olim allegoriae, intermistis tamen subinde grammaticis obseruationibus, vt in *Origenis Tomis*, post sententiae scriptorum tractatae essent. Huius generis quae ratio fuerit, bene *Hieronymus* explicat: *Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt: quae*

*quae obscure scripta sunt, pleno sermone manifestant: multorum sententias replicant, et dicunt: hunc locum quidam sic edisserunt: alii sic interpretantur: illi sensum suum et intelligentiam his testimoniis et hac nituntur ratione firmare, vt prudens lector, cum diuersas explanationes legerit, multorum vel probanda vel improbanda didicerit, iudicet, quid verius sit,* etc. adv. Rufin. L. I. p. m. 202.

q) Commentarius est perpetua explicatio auctoris ratione habita difficultatum, cum in verbis, tum in rebus obuiarum. Exemplum boni Commentarii est Heyniana interpretatio Virgilii. Multum difficultatis habet iste labor: inde mira bonorum Commentariorum paucitas.

## § 12.

Aliud genus est *Homiliarum*, in quibus vel longiores ῥήσεις libri sacri, vel singulae sententiae breuiter explicantur, et ad vsum, h. e. ad docendum, monendum, consolandum conferuntur: proprie destinatum vsibus Ecclesiae [r]). Latini *sermones*, inprimis *tractatus* appellant, et *tractatores* ipsos auctores; quos hodie concionatores appellant; quamquam etiam totum genus interpretum *tractatores scripturarum* dicuntur. *Glossae* quidem ὁμιλίαν *tractatum*,

ὁμιλη-

ὁμιλητικὸν *tractatorem* interpretantur. v. inpr. *Cangius* in Gloſſar. in his verbis.

r) Quod noſtris diebus ſunt orationes in ſingula S. S. loca, primis ſeculis Chriſtianorum erant homiliae h. e. practicae locorum explicationes, fabulis ſanctis illorumque temporum philoſophia refertae. Optimae ſunt *Origenis* et *Chryſoſtomii*.

§ 13.

Tertium genus eſt *Scholiorum*, quae et σημειώσεις dictae, item ἐκβολαὶ vel ἐκλογαὶ, (*Euſtathius* παρεκβολὰς appellat) *excerpta*, quo verbo, non ſatis vulgo intellecto, *Hieronymus* σημειώσεις bene interpretatur: *Hieronymus genus commaticum*, a breuitate, appellat in *Comm. ad Matthaeum.*

§ 14.

Ante *Origenem* vtrum Commentarii extiterint, nec ne, quaeri ſolet, adfirmantibus aliis, vt *Huetio*, *Tillemontio*, *Buddeo*, cum alii ab *Origene* primo exemplum Commentarii ſcribendi propoſitum in Eccleſia Chriſtiana dicant. Me non poenitet, illius ſententiae eſſe; nam *Origenes* Tom. VII. in Ioan. prouocat ad Commentarios ſuperiores; ſed ita, vt de allegorico et dogmatico genere intelligatur: *Origenes* vocat ſcriptores *eccleſiaſticos*. Nam literalem inter-

terpretationem in vniuerſum N. T. primum *Origenem* edidiſſe in σημειώσεων opere, certum eſt; v. dicta in Diſp. noſtra de *Origene* etc. §. 26.

§. 15.

Omnino principatus inter veteres interpretes debetur *Origeni*, non modo, quod primus grammaticae interpretationis exemplum propoſuit, aut, quod in omni genere interpretationis excelluit, vt qui *Tomos* allegoricarum interpretationum, σημειώσεις literales, et *Homilias* ſcripſit, ſed etiam, et multo magis, quod prope, quicquid boni habent veteres graeci et latini interpretes N. T. id ab eo acceptum tenent; vt demonſtrauimus l. c. §. 27. 28. vbi inprimis §. 25. de σημειώσεσι dictum, i. e. de argumento et nomine operis.

§. 16.

Quo facilius etiam ferimus iacturam voluminis Origeniani, quod Scholia illa habuit: cum ea prope tota exhauſta ſint a ſequentibus, *Chryſoſtomo*, et aliis. Nec contemnendi ſunt *Tomi* *), praeſertim, quos graece ab *Huetio*, et nuper, cum aliis *Origenis* reliquiis graecis, ab *Ruaeo* editos habemus: quamquam et in latinis, vt in epiſt. ad Rom. multum boni ineſt. Nam adſperſa

ſunt

sunt etiam ἀλληγορίαις quaedam haud vulgaria, ad grammaticam rationem pertinentia: vt nihil dicamus de fragmentis Commentariorum, quae vel in Philocalia extant, vel in Catenis reperiuntur. Atque etiam allegorica, etsi non ad interpretandi rationem, at ad sensus pios vel instillandos vel alendos prodesse possunt; quo nomine etiam *Erasmus*, quamquam alienus alias ab hoc genere, et grammaticus haud dubie interpres, tamen interpretes allegoricos commendat in *Enchir. mil. Christ.* cap. 2. et forte hac de caussa quaedam allegorica immiscuit Paraphrasi N. T. quod reprehendit *Clarkius* in Praefatione Paraphraseos suae N. T.

s) *Origenes* in Iohannem XXXII. tomos vel sectiones scripsit: reliqui tomi illustrant librum Iosuae, Matthaeum et Epistolam ad Romanos. Vid. *Origenis* commentaria in sacras scripturas, ed. Huetii. Colon. 1685. et *Roesleri* Bibl. Patr. Eccles. theod. II. p. 270. sq. Homiliae Origenis latine tantum exstant. *Philocalia* est Epitome operum Origenis praeclare concinnata a *Spencero*, Cantabrig. 1668.

§ 17.

Ei proximus est ex iis, quorum libri aetatem tulere, *Chrysostomus*, cuius *Homiliae* in *Matthaeum*, *Iohannem*, *Actus Apost.* et *Epist. Pauli* extant, in has primum separatim *Veronae*, 1529. ab *Giberto* Epi-

Epiſcopo editae, vniuerſae, praeterquam in Operum Voluminibus, etiam ſeparatim ab *Sylburgio*, quae ſunt miſtae e grammatico et dogmatico genere, breui et perſpicuae verborum interpretationi ethica tractatione, vt appellatur in editis, ſubiecta. In epiſtolas quidem Pauli nil melius aut par tota antiquitas habet; et quicunque de Graecis poſt in has Epiſtolas ſcripſere, ex *Chryſoſtomo* pendent. In hiſtoricos libros optimus eſt et pleniſſimus Commentarius in Matthaeum inprimisque dignus lectu.

§ 18.

Eius diſcipulus fuit *Iſidorus Peluſiota*, cuius Epiſtolarum libros quinque ab *Rittershuſio* et *Schotto* per partes editos habemus, de Interpretatione Scripturae S. h. e, ſuper locis ſcripturarum, et quaeſtionibus dogmaticis, e ſenſu locorum quorundam pendentibus. Inprimis ſaepe vindicat loca, quae ad praedeſtinationem abſolutam trahebantur, vt I, 56. IV, 59. etc. Eas magis ab aliis valde laudatas, quam vſu admodum dignas tali laude reperi. Sequitur fere *Chryſoſtomum* praeceptorem: caeterum grammaticae interpretationis fautor, atque etiam Criticae amans. Oportet ſtudioſum interpretandarum ſcripturarum percurrere opus, et

et deligere, quae ad hanc rationem pertinent.

§ 19.

Haud paullo vtilior et melior est *Theodoretus*, Cyri Episcopus, cuius Commentarium in Epistolas Pauli graece edidit *Sirmondus* (T. III. Opp. *Theod.*), quamquam Scholiorum potius, quam Commentarii formam habet. Ipse excerpta de Patrum, *Theod. Mopsuesteni* inprimis et *Chrysostomi*, scriptis appellat in Praefat. Nec modo verba breuiter explicat, sed etiam de interpunctionibus passim monet, vt *Rom.* 9, 5. et sententias breuiter illustrat, argumenta aduersus haereticos, inprimis Arianos, demonstrat, et a deprauationibus haereticorum, qui tum erant, vindicat. Itaque ab eius lectione initium fieri velim. [t])

t) Dignus est inprimis, qui adcuratius inspiciatur, Commentarius eius in Epistolas Pauli minores. Commoda est editio a *Schulzio* et *Noesselto* curata 5 tomis, Halae 1769. f.

§ 20.

Similis huic est *Theophylactus*, Bulgariae Episcopus, inde vulgo *Vulgarius* olim appellatus, etiam *Melanchthoni*, *Erasmo* et *Camerario*, cuius in Euangelia, Acta Apost. et Epistolas Pauli Commentarios,

siue

siue potius Scholia, habemus, vt quae etiam in Codicibus nonnullis ἐπιτομαὶ inscribuntur. Nam et ex iisdem fontibus hausit, et eadem methodo vsus est; nisi quod, praeter dogmatica, etiam allegorica subinde lusus-que admiscuit: nisi ea ab aliis addita sunt: nam interpolatum esse subinde, diuersitas librorum arguit, nuperis etiam editoribus Venetis notata, aliis alio loco Codicibus modo breuioribus, modo copiosioribus, et, *Simoni Hist. Crit. T. IV. Cap. 28.* videtur, formula καὶ ἄλλως: quamquam haec Scholiastis graecis, nominatim Oecumenio, valde vsitata est. Caeterum Commentarius in Epist. Pauli accuratior est caeteris et verum compendium Chrysostomi. De nupera editione v. Bibl. theol. T. V. p. 771. s.

§ 21.

Ex eodem genere sunt *Oecumenii* [u]) in Acta Apost. et Epistolas Pauli Scholia, si tamen sunt *Oecumenii*, cuius etiam aetas ignoratur. Nam ei tantum de coniectura editoris primi, *Donati* Veronensis, sine librorum auctoritate tribuuntur, per quos *Theophylacti* potius esse, nuper *Finettus* indicauit, *praef. ad T. III. Opp. Theophyl.* Haec sunt, quae *Scholiorum* nomine commemorari solent ab *Erasmo*, *Camerario*, *Beza*, et aliis illius aetatis scriptoribus.

bus. Et sunt potius ab ignoto e pluribus excerptae notae, quam vnius opus. Nam et *Oecumenii* nomen interdum est in margine, vt et *Ioannis*, i. e. *Chrysostomi*, et *Photii*. Ex *Origenis* Scholiis quaedam fluxisse, etiam hoc indicio est, quod in iis Origenianarum opinionum vestigia deprehensa sunt. v. *Erasmus* ad *Hebr.* VII, 25.

u) *Theophylactus* et *Oecumenius* sunt meri compilatores Chrysostomi, quibus parum frugis inest. Patebit iudicii veritas ex hoc specimine: sunt IV. euangelistae, ait Theophylactus, quia IV. sunt virtutes cardinales.

§ 22.

Nec dispar est *Io. Damasceni* v) in Epistolas Pauli Commentariolus, inter eius Opera T. II. ab editore Benedictino in lucem prolatus, vt qui etiam inscriptione profitetur, nihil nisi Excerpta esse e *Chrysostomi* Opere.

v) Damascenus, Syriae monachus, Sec. VIII. florens, non tam propter merita in interpretationem inclaruit, quam propter systema dogmaticum a se conditum in libro: περὶ ὀρθοδόξης πίστεως.

§ 23.

His *Theophylacti Oecumeniique* Operibus simillimae sunt, quae sub *Catenarum*, ab *Thoma Aquinate* inuento nomine, vel editae

editae ſunt, vel in Bibliothecis latent; Graecis ἐπιτομαὶ ἑρμηνειῶν dicuntur. x) Ea ſunt excerpta e Commentariis, et aliis Patrum libris, quae etiam ſingula ſuis plerumque auctoribus nominatim redduntur, collecta et digeſta ab *Olympiodoro*, *Niceta*, *Procopio Gazaeo*, et aliis: de quibus qui volet cognoſcere, praeter *Ittigium* de Catenis Patrum, adeat inprimis *Simonem* l. c. c. 30. ſ. et *Noeſſeltum*, V. C. in Diſſ. de Catenis Patrum graecorum: qui ſoli ad vſum accommodate de iis ſcripſere: caeteri, vt *Wolfius*, *Fabricius* etc. tantum hiſtorice.

x) Catenae celebrantur propter vſum triplicem: 1) ſeruarunt enim *Aquilam* et reliqua fragmenta hexaplaria, 2) continent extractus ex operibus ignotorum interpretum, et 3) multas bonae frugis variantes lectiones. Num autem nomen, *catena*, ab Aquinate inuentum ſit, merito dubitatur. Praecipuae catenae ſunt *Nicephori* in Octateuchum 1581. *Olympiodori* in Iobum, Venet. 1587. *Poſſini* in Matthaeum 1646. *Corderii* in Lucam, Antuerp. 1648.

§ 24.

Nec praetereundus *Euthymius Zigabenus*, Panopliae Dogmaticae ſcriptor e Sec. XII. cuius Commentarios in Euangelia latine editos a *Io. Hentenio* habemus, pariter e *Chryſoſtomo* maxime, ſed tamen et aliis ductos, z) et doctis valde probatos, vt *Sadoleto*,

*doleto*, quem vid. Epist. p. 214. b. ed. nov. add. *Fabric.* Bibl. Graec. T. VII. p. 474. Et memorantur Codices scripti Comment. in Epist. Pauli, item Catholicas.

z) Nimirum Basilio, Origene et Gregorio Nazianzeno. Opus iussu Alexii Comneni contra omnes haereses exaratum est: insunt tamen hinc inde obseruationes egregiae, v. c. ad Matth. IV, 11. quo loco tentationes Iesu Christi ad sollicitationes internas *τῆς γαστριμαργίας, τῆς κενοδοξίας καὶ τῆς φιλοπλουτίας* refert: *οὗτοι γὰρ οἱ πειρασμοί εἰσιν οἱ ἄρχοντες τῶν παθῶν.* Facile intelligitur, quam prope haec absint a *Beckeri*, *Heumanni*, *Eichhornii* et *Herderi* interpretationibus. Commodam *Euthymii* editionem curauit Matthaei, textu Graeco, qui nunquam antea editus erat, diligenter recensito, Lips. 1792. 4 tom. 8.

§ 25.

Consulto ad hunc locum distulimus *Cyrillum Alexandrinum*, cuius Commentarius in Iohannem exstat, graece, etsi non integer, ab *Auberto* inter Opera eius (T. IV.) editus: quod dogmata potius et controuersias, inprimis Arianas, tractat, quam interpretem agit, qui proprie dicitur. Insunt tamen nonnulla e ratione grammatica, in qua non dubitat ab auctoritate superiorum omnium discedere. Ex quo genere est, quod *Io.* 5, 39. primus defendit, *ἐρευνᾶτε* non imperatiue, sed indicatiue accipiendum esse: item *εὐλογεῖν* et *εὐχαριστεῖν* esse eadem, et

et alia. Et ſunt etiam in aliis eius ſcriptis, quae ad hanc rationem pertineant, et ad phraſeos intelligentiam. Excerpta huius Commentarii dedit *Semlerus* V. C. in Selectis capp. Hiſt. Eccl. pag. 285.

§ 26.

Haec de Graecis. Latinorum longe princeps eſt *Hieronymus*, [a]) ſolus hebraice et graece doctus, qui plures N. T. libros Commentariis illuſtrauit, ſecutus maxime *Origenem*, cuius in *Praef. ad Quaeſt. in Geneſ.* etiam cum inuidia nominis Origeniani, optat habere ſcientiam ſcripturarum: id quod e praefationibus patet, in quibus commemorat auctores, e quibus profecerit, inprimis in Epiſt. ad Galatas. Etſi potius aliorum ſententias refert, quam ipſe ſuas explicat, quo nomine etiam tum a nonnullis reprehenſus eſt: v. *Praef. Comm. in Ierem.* et *L. I. c. Ruf.* tamen et ipſe nonnunquam bona ſua in critico, grammatico et dogmatico genere profert. *Lutherus* noſter eum feliciorem in aliis libris, quam in Commentariis interpretari iudicat, vt ſupra memorauimus.

a) *Hieronymus* melius interpretatur S. S. in Epiſtolis, quam in Commentariis, melius V. quam N. T. Inſunt tamen etiam commentariis obſeruationes bonae frugis, v. c. Matth. VI, 11. quo loco *ἄρτον ἐπιούσιον*

in euangelio secundum Hebraeos לחם מחור adpellari scribit, h. e. panem *crastinum*, siue *futurum*: quae vnice vera est h. v. explicatio. Animum attentum sibi deposcunt notitiae eius geographicae, quia per longum tempus commoratus est in Palaestina. Vid. beati *Oelrichsii* Commentar. de scriptor. Ecclef. Lat. Lips. 1791. p. 512. s.

## § 27.

Nec tamen inutile fuerit, alios quoque consuluisse: quorum antiquissimus est *Hilarius* Pictauiensis, cuius Commentarius in Matthaeum extat, literalis ille quidem, sed subobscurus, vt sunt illius omnia, et e Graecis, inprimis *Origene*, ductus. Melior est alter *Hilarius*, Diaconus, (si tamen est auctor Commentarii in Epistolas Pauli, qui inter *Ambrosii* Opera editur,) vt videtur *Blondello Apol. Hieron.* pag. 47. 48. multos adstipulatores nacto, contra dicente *Petauio* de *Hierarch.* I, 12. quem sequitur *Oudinus* in Comment. de Script. Eccl. *Blondelli* sententia videtur potior, quae *Augustini* testimonio nititur, proferentis verba Hilarii, quae sunt in hoc Commentariolo. Nam v. c. vestigia Pelagianismi, a quo alienus fuit *Hilarius*, vel dubia sunt, vel ab interpolatione: cuius suspicionem video iam in mentem venisse editori Parisiensi a. 1529. in subiecta Epistolae ad Rom. admonitione. Certe qui dicit p. m. 490. a. 2. *nos peccasse*

*in*

*in Adamo*, *in maſſa Adami*, is Pelagianus non fuit: vt neceſſe ſit, ea, quae Pelagiana videantur, aut aliter ab eo intellecta, aut non ſcripta eſſe. Et ſunt tamen in his Commentariis, quae graecae linguae imperitum arguant, vt qui lectionem aliquo loco graecam ita commemorat, vt ab obiiciente, et de fama acceptam, ad Rom. XII, 11. Caeterum vt interdum valde ineptiat, vt in iis, quae de *praetorio* et *epiſcopis* ad *Phil.* I. dicit: tamen et multa bona habet, quae vix ab homine graecarum et hebraicarum literarum imperito exſpectes. [b])

b) *Oelrichs* l. exc. pag. 62. „in interpretando Codice ſacro non magna laus Hilarii: ſatis enim conſtat, eum Origenem, niſi interpretatum, certe in plurimis ſecutum eſſe."

## § 28.

Nec contemnendus eſt ſimilis *Pelagii* Commentariolus in Pauli omnes, praeterquam ad Hebraeos, Epiſtolas, a quibusdam *Hieronymo*, inter cuius Opera editur, male tributus, quem nec *Caſſiodorus* ſubtiliſſimum vocare, *Lect. diu. cap. 8.* nec Orthodoxi, praeſertim poſterioris aetatis, ſaepe vſurpare dubitauere: [c]) quamquam inſunt ſemina opinionum de peccato inprimis originali, et alii errores. v. *Voſſius* Hiſt. Pelag. I, 4. et *Noriſ.* Hiſt. Pelag. I, 3.

c) Conf.

c) Conf. de hoc Pelagii Commentariolo *Walchii* Hiſtor. Haer. T. IV. p. 547. ſeqq. et b. *Schoenemann* biblioth. hiſtorico - liter. patrum latin. Lipſ. 1794. t. II. p. 433. ſ.

§ 29.

*Auguſtinus*, ſi hebraice et graece doctus fuiſſet, pro ingenii magnitudine et ſubtilitate, ſuperaſſet haud dubie omnes. d) Nunc vir in Dialecticis et Rhetoricis exercitatior, quam in Grammaticis, literisque graecis et hebraicis, Commentarios repleuit allegoriis, et digreſſionibus dogmaticis, ſaepe valde bonis, quaeſiuitque myſteria in verbis, quae ſaepe adeo torquet, vt ludere voluiſſe videatur. Interdum tamen, felicitate ingenii, non modo ſequitur meliores ſuperiorum interpretationes, ſed etiam ſua ſponte, maxime in libris dogmaticis, verum videt. Caeterum haec ratio interpretandi, quia non opus habet literis, ſed ratiocinatione Dialectica vtitur e verbis verſionis, ſenſu vulgari latino acceptis, et ad analogiam doctrinae relatis, ſequentibus ſeculis, quae et ipſa illis literis carebant, lectores et admiratores reperit plures, quam *Hieronymus*. Itaque interpretes latini, qui poſt fuere, vsque ad inſtaurationem ſacrorum, toti pendent ex *Auguſtino*, cuius interpretationes non modo e Commentariis, ſiue Sermonibus in libros ſacros, ſed etiam

e

e libris caeteris omnibus, inprimisque iis, qui aduerſus Arianos, Pelagium et aſſeclas, item Manichaeos ſcripti ſunt, laborioſe collegerunt, vt *Thomas* in *Catena aurea*, et totam interpretationem N. T. Auguſtinianam fecere. Nam quae ab Anglis, vt *Beda* et *Alcuino*, poſtquam literae graecae inter eos coli coepiſſent, e Graecis, vt *Chryſoſtomo*, et e literatura hebraica a *Nic. Lirano* et *Paulo Burgenſi*, Lirani continuatore, ducta ſunt, ea tenuia ſunt et pauca, quamquam non contemnenda. Atque etiam proximis ab inſtauratione ſacrorum temporibus, cum primi Theologi eſſent ei rationi adſueti, inprimis *Lutherus*, nec dum literis hebraicis et graecis ad noſtrorum temporum modum inſtructi, *Auguſtinus* plurimum valuit, vt quem etiam *Victorinus Strigelius*, vir elegantiſſimae doctrinae, et inter optimos illius aetatis interpretes numerandus, *Loc. Theol.* P. III. p. 29. non dubitat, caeteris omnibus praeferre: *nullus ex Patribus melior interpres eſt, quam Auguſtinus.* Caeterum commentariorum optimus eſt in Epiſtolam ad Galatas, parcior ille in allegoriis, magisque caeteris grammaticus.

d) *Auguſtinus*, omnis orthodoxiae pater, hic commemorari debet propter CXXIV. ſermones in Iohannem, Commentarium in orationem montanam, in Epiſtolam ad Romanos et propter quaeſtiones in Euangeliſtas.

listas. Neque praetermittendi sunt libri IV. de consensu euangelistarum, qua de re multa ingenue disputauit singularem quasi inspirationem diuinam in hoc argumento tractando sibi vindicans. In vniuersum *Augustinus* non tam inter interpretes verborum, quam rerum referendus est. Vid. *Oelrichs* l. c. p. 514. seqq. et *Schoenemann* l. c. p. 24. ff.

## § 30.

Itaque non est, quare de caeteris Latinis dicamus, aut de glossis, quarum ea, quae *Ordinaria* dicitur, a *Rabano Mauro*, [e]) s. potius *Walafrido Strabone* ex *Rabani* Commentariis, collecta altera breuior, quae *Interlinearis* appellatur, ab *Anselmo* Cantuariènsi scripta est.

e) *Rabanus Maurus*, primum abbas Fuldensis, deinde Episcopus Moguntinus, Alcuini discipulus, scripsit catenam Patrum in Ev. Matthaei et Epistolas Pauli. Plura vide in *Simon.* Hist. Crit. T. III. c. 25.

## § 31.

Instauratis studiis linguarum, et mox sacris ipsis, commutata est paullatim ratio tractandi libros sacros, et emendata: [f]) sed nec omnes eodem modo tractarunt rem, nec omnibus temporibus eadem ratio valuit. Nam alii grammatica modo secuti sunt, vt sensus verborum explicaretur: alii sententias et dogmata, alii vtrumque genus complexi

plexi

plexi ſunt, et alius alio vberior fuit. Et in principio primum genus a pluribus cultum; poſt alterum, deſerto prope penitus primo, obtinuit; denique primum et tertium reuocatum eſt. Fuerunt etiam extremis temporibus, qui in locis difficilioribus per Obſervationum libros explicandis et illuſtrandis ſtudium ſuum collocarent.

f) Poeſis mater fuit philoſophiae: hanc ſecutus eſt dogmatiſmus: hoc aedificio operoſe exſtructo, multa diruit ſcepticiſmus. Similia fata experta eſt interpretatio S. S. Luſus imaginationis in fabulis ſanctis creauit myſticiſmum et allegoriarum amorem: fides hiſtorica et arbitraria, rationis tyrannus, enixa eſt dogmatiſmum: auctorum veterum amor et ſtudium peperit interpretationem grammaticam, quam ne ἀπιστία aliquando excipiat, verendum eſt.

§ 32.

Ex primo genere olim fuere *Laur. Valla*, *Ioach. Camerarius*, *Flacius*, *Nic. Zegerus*, *R. Stephanus*, *Caſtellio*, quibus et *Stunica* et *Lucas Brugenſis* addi poſſunt: propioribus noſtrae aetati, atque noſtris adeo temporibus *Pricaeus*, *Eraſmus Schmidius*, *Heinſius*, *de Dieu*, *Millius*, *Georgius*, *Bengelius*, *Wetſtenius*, *Heumannus* etc. g)

g) Ad priores refer etiam *Vatablum* et *Druſium*: ad poſteriores *Michaelem*, *Roſenmüllerum*, *Koppium*, *Hetzelium*, *Schleuſnerum*, *Pottium* aliosque.

§ 33.

§ 33.

Ex genere altero, quod quidem verba non plane negligit, ſed tamen res et dogmata magis et latius tractat, ſunt *Lutheri*, *Melanchthonis*, (v. infra §. 49.) *Aeg. Hunnii*, *Balduini*, et aliorum, qui nunc fere negliguntur, *Calouii*, et extra Eccleſiam noſtram *Petr. Martyris*, *Caluini*, *Pellicani*, *Cocceii* et aſſeclarum, *Lampii*, *Turretini*, et aliorum, quos omnes commemorari non eſt neceſſe. h)

h) Multa, quae huc pertinent, ſuppeditabit *Semlerus* in libro: Verſuch die gemeinnützige Auslegung des N. T. zu befördern. Halae 1786. p. 195. ſqq. *Meyer* Geſchichte der Schrifterklärung t. II. p. 335. ſſ.

§ 34.

E genere mixto, quod vtrumque, verba et res, ſed breuius, niſi vbi aliter neceſſitas aut alia cauſſa poſtulat, tractat, princeps fuit *Eraſmus*, cuius Adnotationes profecto viam bene interpretandi patefecerunt, in quarum etiam velut fundamentis omnes, qui poſt fuere boni interpretes, aedificauere: etſi ille in multis lapſus eſt, ignorantia inprimis hebraiſmi. Ei proxime adiungendus eſt *Victorinus Strigelius*, minus clarus, atque etiam ignotus *Simoni*, Hiſtoriae Criticae N. T. auctori, ſed in multis melior

*Eraſmo*,

*Eraſmo*, et ad vſum ſtudioſorum aptior. Et in interpretando non, vt ille, verſionem latinam maxime, ſed graeca, explicat et illuſtrat, nec modo e literis graecis, ſed etiam hebraicis, permulta melius *Eraſmo*. Atque etiam ſententias tractat, breuiter rerum notiones perſpicue tradit, eſtque, in vtroque genere, *Eraſmo* aequabilior, qui ſaepe digreſſionibus, etiam declamationibus indulget. In vno inferior eſt *Eraſmo*, quod Critica non attingit, neſcio an conſulto. *Hypomnematum* nomine editum eſt opus, duobus voluminibus. Lipſiae a. 1565. 8.

§ 35.

Secuti ſunt poſt alii: quorum princeps eſt *Beza*, veris interpretationis ſubſidiis pro facultate illorum temporum bene vſus, libris manuſcriptis, literis hebraicis, graecis, verſione etiam V. T. graeca, et aliis. Certe parem non habuit ante *Grotium*, in iis, quae ad verba et phraſin pertinent, omnibus ſuperiorem, et primum omnibus praeſidiis ſatis inſtructum, ingenii, linguarum omnium, verſionis τῶν ό, quam primus recte contulit, et vſurpandae rationem exemplo demonſtrauit, literarum etiam Iudaicarum et aliarum orientalium; vt vere *Turretinus* iudicet, eum de phraſi N. T. hoc eſt, de grammatica ratione, omnium optime

me meritum esse. In sententiis autem indulget opinionibus suis, et saepe a veritate aberrat. [i])

i) Quapropter etiam, vt fieri solet, a conuiciis sibi non temperauit Calouius, Grotiumque Socinianum, Arianum, Antitrinitarium et Atheum adpellauit. Quae tamen nos non impediunt, quo minus illum inter optimos interpretes N. T. referamus eumque tironibus praesertim, postquam grammaticas difficultates superauerunt, commendemus. Exempli loco sit Ioh. VI, 17. de vero Bethsaidae situ, qui vel recentiores interpretes latuit. Conf. *Herderi* librum: Briefe das Stud. d. Theol. betr. Tom. II. p. 357. sqq.

§ 36.

Qui post fuere ex hac ratione, omnes, etiam qui vituperant *Grotium*, ex eius fontibus, qua grammatica scilicet, hausere; vt Britanni, *Whitbius*, *Hammondus*, [l]) item *Clericus*, *Infans* et *Bellosobrius*, *Calmetus*, vt multos alios, qui in singulos libros aut locos scripsere, praetermittamus: vt ille profecto caput sit hodiernae interpretationis grammaticae.

l) *Whitby* in Examine critico: *Hammondus* in Obseruationibus in N. T. quas Clericus ex Anglis latinas fecit, typis postea repetitas Francof. 1714. fol.

§ 37.

Qui noluerunt integros Commentarios scri-

ſcribere, in quibus neceſſe eſt, ab aliis dicta et nota repetere, vel omnium, vel aliquot librorum verba, phraſes et ſententias illuſtrare ex obſeruationibus ſuis ſtuduere. Ex quibus quidam ſunt mere grammatici: in his plures ſcriptoribus graecis modo vſi, vt *Lamb. Bos*, *Elsnerus*, *Albertus*, *Raphelius*, *Kypkius*, [m]) et alii minus clari aut probandi: alii literatura orientali maxime, vt *Capelli*, *Druſius*, in Praeteritis, *Camero*, *Lightfootus*, *Schoettgenius*: alii denique verſione Vet. Teſt. graeca, vt *Keuchenius*.

m) Adde *Valckenarii* adnotatt. crit. in loca quaedam N. T. cum *Kloſii* examine 1790. (opuſc. edit. Lipſ. t. II. p. 229. ſſ.). In corpus redigere coepit obſeruationes priorum ſcriptorum omnes *Hetzelius*: ſucceſſu tamen hucusque caruit opus. Huc etiam referri debent coniecturae Bowyeri in N. T. theodiſche verſae a Schulzio Tom. I. II. Lipſ. 1774. ſ.

## § 58.

Fuerunt etiam, qui per omnes libros ita vagarentur, vt ſelecta et difficiliora loca, diligentius ſcriptis diſputatiunculis, ex quocunque genere literarum, illuſtrarent, rerum etiam non obliti, vt vindicarentur ab deprauationibus et παρερμηνείαις τῶν ἑτεροδοξέντων, vt *Tarnouius*, *Hackſpanus*, *Spanhemii*, *Werenfelſius*, *Deylingius*, *Oederus*, [n]) et alii.

n) Tar-

n) *Tarnouius* in Exercitatt. Bibl. *Hackspanus* Miscellan. in N. T. *Spanhemius* pater in dubiis euangel. filius in vindiciis euangelicis. *Werenfelsius* Obseruatt. in N. T. *Deylingius* Obseruatt. in 3 tom. distrib. Lips. 1720—36. *Oederus* Obseruatt. in N. T. Adde exercitatt. *Mori*, *Seileri*, *Noesselti*, *Knappii*, *Reinhardi* (2 voll. Lips. 1809.).

## § 39.

Nec defuere, qui ex omnibus, aut delectis, quasdam quasi Catenas contexerent, vt vno loco esset, quicquid in quemque locum dictum esset ab aliis, aut melioribus. Ex illo genere sunt *Ant. Walaei* in N. T. Annotationes, non admodum probatae, et *Poli* Synopsis e Criticis Anglicanis, et *Curae I. C. Wolfii*, °) qui tamen et suum iudicium interponit; haud paullo melior et copiosior illis, nec tamen semper satis accuratus: ex hoc Opus nouum, quod ex Interpretibus Anglicanis delectas notas habet, ante francice editum, nunc et germanice cum eruditis *Brukeri*, V. Cel. notis apud nos editum est Tomis VIII, 4.

o) *Walaeus* edidit Euangelia et acta cum scholiis, suis etiam adnotationibus adspersis. *Poli* synopsis est epitome Criticorum Anglorum, sed nimis cara, neque etiam adprime vtilis. Curae *Wolfii* philol. et crit. (ed. 2. Hamb. 1733 — 35. 4 Voll. in 4.) pleniores sunt titulorum, quam rerum; expressit tamen subinde auctor argumenta librorum, quos excitauit.

§ 40.

§ 40.

Commentariorum denique integrorum Bibliothecae inſtitutae ſunt: ex quo genere ſunt *Biblia magna* et *maxima*, Pariſiis ſuperiori ſeculo edita: in quibus et verboſiſſimi et parum probati Commentarii, vt *Menochii*, editi ſunt. Melior eſt, quae *Criticorum Anglicanorum* nomine, auctore *Pearſono*, in Britannia, ſeptem Voluminibus prodiit, cum auctario duorum Voluminum Francofurti repetita: qui tamen quosdam admiſit, quos rectius repudiaſſet, vt *Clarium* et alios quosdam.

§ 41.

Sed ſatis de Interpretibus, eorumque generibus, et interpretandi varietate dictum: reſtat, vt de vſu admoneantur ſtudioſi. Is eſt duplex: alter ad methodum bene interpretandi proprie pertinens, qui noſtro iudicio eſt princeps: alter ad interpretationem ſingulorum verborum et ſententiarum.

§ 42.

Debebit igitur ante omnia futurus interpres ſibi deligere vnum et item alterum notae et confeſſae inter peritos praeſtantiae Interpretem, et quidem ex genere grammatico primum et maxime: quod ab intelligentia recta

ver-

verborum etiam rerum intelligentia vera ducitur, nec ſine ea contingere poteſt, h. e. talem, qualem ſupra deſcripſimus (P. I. c. vlt.), eumque crebro legendo, excutiendo, et ſubſidia modumque interpretandi conſiderando, ſe paullatim ad eius rationem conformare, et dum hoc agit, caeteros tantum per occaſionem alicuius neceſſitatis conſulere. Ii qui ſint, e dictis facile eſt iudicare. E Grotianis Commentariis inprimis commendem hoc conſilio eum, qui eſt in Matthaeum, omnium ille diligentiſſime ſcriptus.

§ 43.

In caeteris hoc curabit, vt, ad quod genus quisque pertineat, non ignoret, verba potius an res, et quomodo tractet: quo aut quibus generibus praeſidiorum bene ſit vſus. Ita, qui vniuerſe rationibus ſuis maxime conducant, qui quoque in genere difficultatis aut neceſſitatis conſulendi ſint, ſtatim tenebit, nec inter plures incertus errabit. Id qui ipſe nondum iudicare poteſt, aut cognoſcendorum librorum facultatem non habet, conſulet *Rich. Simonem*, qui de Interpretibus Nou. Teſt. non ille quidem ſic, vt nihil erraret, at omnium, quos nos quidem cognouerimus aut ſciamus, accuratiſſime, et ad illum vſum accommodate, expoſuit, et in plerisque rectiſſime iudicauit, *T. IV. Hiſt. Crit.*

vt ſit in promtu vniuscuiusque character. V. c. cum didicerit, *Maldonati* haec eſſe inter vitia, quae a ſectae ſtudio contraxit, bona, vt primum hebraiſmos, praeſertim difficiliores, bene explicet, deinde ſententias Patrum ſuper vnoquoque loco diligenter commemoret; nec repudiabit omnino Commentarium eius in Euangelia, quia eſt Ieſuitae ferocioris, et in tempore vti bonis eius poterit. oo)

oo) Τὰ ἀρχαῖα παρῆλθε. Magni aeſtimamus R. *Simonem*, ſed bene valere iubemus *Maldonatum*, in grammaticis ieiunum, in dogmaticis λύκον βαρύν. Adeant *Grotium* tirones, *Roſenmüllerum*, *Paulum*, *Kuinoelium*: Ieſuitae commentario facile carebunt.

## § 44.

Plurimum autem proderit, notata habere loca cuiusque libri ſacri difficilia, et ab interpretibus in varias ſententias tractata, itemque lectionis nomine memorabilia, et in quibus nobis nondum nec alii ſatisfecere, nec nosmetipſi ſatisfacere potuimus. Ita, vbi Commentarius aliquis in manus venerit, licebit breui tempore cognoſcere, an habeat aliquid noui aut praecipui boni, omninoque aliquid, quo deduci ad verum ſenſum poſſimus. ooo)

ooo) V. c. Matth. V, 3. Marc. IX, 49. Act. XXVII, 12. Gal. III, 20. Col. I, 15. ſ.

§ 45.

Qui autem excellere volet in hac ratione, debebit etiam interdum integros Commentarios percurrere, alio tempore alium. Nam, vt non dicam, multa a multis subinde bene tradi, quae illo loco non quaerat quisquam, quod fit inprimis ab iis, qui ostendendae doctrinae occasionem solent quaerere: saepe vtiliter admonebimur de locis, quorum interpretationem certam et minime dubiam videbamur tenere, quod eam a puerili institutione, cum iudicandi facultas non erat, e libris doctrinae vulgaribus suscepimus, et saepe repetendo velut corroborauimus. p)

p) Vbi cum aoristis semel inducias fecerit interpres, auctores N. T. singulos legat bono vocabulario instructus. Repetita lectione consulat bonam versionem, deinde idoneum interpretem, *Grotium*, *Koppium*, aut alium. Hoc bene ponderato, adeat etiam alios cum iudicio et delectu, ita tamen, vt reliqua subsidia critica haud negligat.

§ 46.

Inprimis auctor sim, vt Graecos, quos supra descripsimus, inde a *Chrysostomo*, eo, quo supra diximus ordine, excutiat, et inter se comparet. Et sunt nec nimis multi, nec nimis magni, vt non nimis multum aut temporis aut laboris insumendum sit ei, qui iam medio-

mediocrem profectum in eo genere cepit. Ea res praeter alias multas, etiam hanc vtilitatem habebit, vt interpretationes latinorum, atque popularium noſtrorum, inde a repurgatis ſacris, ortas e verſione latina, aut vernacula, vel plane aberrante a graeco, vel male, h. e. ex etymologia, aut latina vernaculaue conſuetudine accepta, et de manu in manum traditas agnoſcat, fontem erroris videat, et rectius verba ſacra intelligere diſcat, nec credat amplius, vulgarem interpretationem eſſe antiquam, et vel hanc ob cauſſam orthodoxam. Exempla ſupra aliquot locis quaedam poſuimus, quibus addi poteſt locus *Ebr.* 2, 16. in verbo ἐπιλαμβάνεται quod cum recentiores quidam interpretari coepiſſent, *auxilium fert*, *aſſerit*, novitas et propemodum ἑτεροδοξία iis obiecta eſt, cum conferenti graecos interpretes pateat, eam eſſe ſolam antiquam totius Eccleſiae graecae interpretationem; vulgarem noſtrorum hominum et libellorum dogmaticorum eſſe nouitiam, ortam ab latinis, qui interpretationem graeci verbi in Vulgata puerilem, et ex etymologia graeci verbi factam, *aſſumit*, latine capiendo, ad incarnationem transtulerunt, nec profecto, ſua modo lingua nixi, alio transferre potuerunt. Et talia non pauca licebit obſeruare, quae ignoraſſe ei, qui interpretem ſe ferat, turpe fuerit.

## § 47.

Illud autem praeceptum commune est in omnium cum veterum, tum recentiorum lectione, vt non modo in bonis interpretationibus, praesertim insignioribus et difficiliorum locorum, videamus, qua via quisque et ratione ad verum sensum peruenerit, sed etiam, vt in vitiosis et absurdis caussas erroris indagemus, atque ita ingenium et ad verum videndum et ad errorem cauendum acuamus. [q])

q) V. c. Col. I, 16. quo loco *θρόνους, κυριότητας, ἀρχὰς* etc. non ad *magistratus politicos* relaturi fuissent interpretes bene multi, si Judaeorum doctrinam de variis angelorum ordinibus perspectam habuissent.

## § 48.

In obseruationum autem scriptoribus hunc delectum habebimus, vt non multum temporis tribuamus Philologicis iis, qui solas literas graecas ad illuminandum N. T. contulerunt: propterea, quod raro aliquid aut multum bonae frugis, aut verae lucis inest. In ipsis Elsnerianis, quibus propemodum principatus a nonnullis tribuitur, vix decem alicuius momenti obseruatiunculas meminimus nos reperire, plerisque Lexico graeco locupletando, quam Nouo Testamento illuminando aptioribus. Meliores sunt, quae verba ambigua et obscura e literis

ris hebraicis et verſione graeca Veteris Teſtamenti interpretantur, veras lectiones vindicant, res et ſententias ipſas illuminant, et a dubitationibus liberant.[qq])

qq) Quaeritur, quid ſit σκεῦος 1. Theſſ. IV, 4.? Fuere, qui loca colligerent e *Lucretio* et *Cicerone*, quibus corpus adpellatur *vas* et *receptaculum* animi; Eraſmus ipſe de *vaſe fictili* cogitauit; alii τὸ σκῆνος Pythagoreorum in ſubſidium vocauerunt; iterum alii *uxorem* deſignari e linguae Hebraicae vſu probaturi erant. Falſo: locus 1. Sam. XXI, 5. docet, כלי נערים, σκεύη τῶν LXX eſſe *genitalia*.

## § 49.

Nec vero contemnendi aut prorſus negligendi ſunt Commentarii hi, qui dogmata inprimis tractant: non quo iis ad ipſam interpretandi rationem multum adiuuemur, ſed quod ex iis dogmatum ſcientiam augere poſſumus, quae in Commentariis biblicis veterum et recentiorum ſaepe diligentius et vberius tractantur, quam in libris iis, qui proprie ad dogmatum explicationem pertinent. Et inſunt etiam bonae interpretationes e genere grammatico, vt in Commentariis *Melanchthonis*: in quibus etiam interdum monet, melius rem expediri grammatica ex graeciſmo aut hebraiſmo explicatione, quam ſubtilitate philoſophandi ſcholaſtica. v. ad 1 *Cor*. 15. pag. 299. vbi eſt egregium ſpecimen

men loci hebraici e Vet. Teſt. bene tractandi, ad *Coloſſ.* 5, 14. vbi bene *primogenitum* et *thronos* explicat.*)

*) Negari tamen nequit, Melanchthonem in interpretando N. T. ſaepius theologi, quam grammatici officio functum eſſe. Vide comment. in ep. ad Rom. c. V. de peccato originali p. 148. edit. Viteb. 1540.

§ 50.

Atque etiam iis, qui vel in Eccleſia, vel in Schola interpretaturi ſunt literas ſacras, hinc exempla petenda rerum, vel ad popularem captum, vel ad ſcholae ſubtilitatem accommodate tractandarum. r) Nam etſi in ſchola maxime probamus interpretem eum, qui verborum veritatem et ſenſum maxime amplectitur, quid vbique inſit rerum, argumentorum dogmaticorum, breuiter modo monet, vt ſupra diximus: tamen interdum etiam maiori copia vtendum eſt, et difficiliora, itemque vtiliora ad fidem et pietatem, enucleatius et latius ediſſerenda ſunt: cuius generis vix melius exemplum et imitatione dignius extat inter recentiores Turretinianis in Epiſtolam Pauli ad Romanos, quamquam poſtumis, Exercitationibus. Commendem etiam *Melanchthonis* Comment. ad *Coloſſ.*, qui non eſt nimis copioſus, et Luthero inprimis placuit. s)

r) In

r) In vniuersum teneant futuri religionis doctores, interpretationem N. T. coram concione non ad canonum hermeneuticorum rigorem institui, sed potius ad sensus pios attemperari, qua in re optimi oratores sacri exempla esse debent.

s) Profligata interpretationis historia, qua scopulos praeteruehere docemur, ad quos priorum temporum doctores plurimi adlisi sunt, superest, vt de *explicatione N. T. historica* quaedam disserantur. Constat nimirum inter bonos interpretes, auctores θεοπνεύστους suum scribendi genus attemperauisse ingenio temporum, quae, vt multis, Chaldaeorum inprimis, philosophematis et opinionibus praeiudicatis, v. c. de Satana, de daemonibus, de angelis, de regno Messiae, de vitae aeternae gaudiis praemiisque, ita dedita erant, vt vix ac ne vix quidem ab iis se auelli paterentur, non repente et vno velut ictu, meliora doceri poterant. Quae cum ita sint, sponte sua patet, distinguendum esse in N. T. inter veritatem absolute declaratam, et inter veritatem pro captu et necessitate temporum adumbratam. Plura propter varias rationes hic edisseri nequeunt: neque enim post *Storrium* (Dissert. de sensu historico. Tubing. 1778.) et multo magis *Keilium* (Diss. de interpretatione historica. Lips. 1788.) legisse poenitebit *Semlerum* in libro: Versuch die gemeinnützige Auslegung des N. T. zu befördern. p. 237. sqq. et *Bretschneideri* historisch-dogmatische Auslegung des N. T. Lips. 1806.

---

CAP.

## CAP. X.

### *De vſu diſciplinarum.*

§ 1.

Cum interpretatio verſetur in ſenſu verborum indagando et explicando, eoque grammatico, isque vnus ſit ſenſus verus, et qui proprie dicitur: vel ſic patet, Grammatices vſum in interpretando N. T. eſſe et neceſſarium et maximum.

§ 2.

Neque vero ſine ea aut verus verborum ſenſus, in linguis inprimis mortuis, reperiri, aut veri ſenſus certitudo eſſe, quoad ea ab humanis artibus naſcitur, aut ſatis ab aduerſariis defendi, aut denique falſae interpretationes, praeſertim ſi ſententiam efficiant per ſe non abſurdam aut ab analogia doctrinae abhorrentem, refelli poſſunt.

§ 3.

Atque etiam periculoſum eſt, ad interpretandum accedere, qui non ſit bene peritus linguarum ad grammaticam ἀκρίβειαν, a qua

qua iuſta linguae cuiusque ſcientia venit. Caret enim freno, quo licentia fingendi, et libido torquendi ſcripturas ad ſuarum opinionum arbitrium coerceri poſſit, vagaturque ſaepe incertis viis, nec habet, vbi tuto poſſit conſiſtere.

§ 4.

Quod cum praeclare intelligerent Theologi eruditi, *Lutherus*, *Melanchthon*, et alii, ſtudium Grammatices ſaepe multumque ſtudioſis ſacrarum literarum commendarunt, et de incommodis a Grammaticae neglectu et inſcitia venturis monuerunt: quibus qui non paruerunt, graues ſaepe poenas dedere. Teſtimonia dabit *Sixt. Amama* in *Antibarb. bibl.* pag. 122. add. *Melanchth.* in *Conſiliis et iudiciis theol.* pag. 578. extr.

§ 5.

Nam quod *Lutherus* Comm. in Geneſ. c. 16. *Grammaticam quidem neceſſariam*, ait, *eſſe et veram*, *ſed eam non regere res*, *ſed ſervire rebus debere:* id non hanc habet ſententiam, vt calumniatur *Simon Hiſt. Crit.* T. I. p. 435., quae det licentiam, verba contra grammaticas rationes ad ſuarum opinionum arbitrium explicandi: nam ita neceſſaria Grammatica non foret: ſed, quae doceat, verba non eſſe ex grammaticis rationibus vbique premenda et ad res aliunde perſpicue cogni-

cognitas peruertendas conferenda, sed contra ex his ita interpretando moderanda, ne scriptura semet ipsa euertere videatur. Quod fieri debere, supra demonstrauimus, explicato etiam rei modo. Nec id scripturis sacris proprium, sed cum omnibus humanis libris commune est. ss)

ss) Patet itaque, loca, quibus libri sacri sibi ipsis aduersari videntur, ad sententias vniuersas reuocanda esse, quod sine idearum h. e. rationis et philosophiae vsu fieri nequit.

§ 6.

Sed cum duplex Grammatica sit, altera historica, altera technica: nobis hic sermonem esse intelligendum est de technica, quae proprie Grammatica est: cuius partes ad hunc quidem interpretandi vsum pertinentes duae sunt, Etymologia, latius accepta, siue Analogia, quae in verbis singulis versatur, et Syntaxis, quae in verborum ad certas leges coniunctione.

§ 7.

Vtraque cum dupliciter prosit, vel ad recte dicendum, vel recte intelligendum: patet, nobis hic rationem habendam esse hanc, vt vtriusque scientiam habeamus eam, quae intelligendi et interpretandi facultatem adiuuare possit, adde etiam iudicium de puritate

ıitate textus et lectionum varietate, quod ſine accurata grammaticarum legum ſcientia recte fieri non poteſt.

§ 8.

Oportet igitur primum interpretem accurate noſſe diſcrimina verborum et poteſtates, quoad pendent e forma grammatica (nam quas ex vſu et conſuetudine loquendi habent, obſeruationis ſunt, de qua alio loco dictum eſt,) vt deriuationis compoſitionisque modo, ſcriptura et accentibus: quarum rerum certae ſunt leges, a Grammaticis traditae, aut ex vſu cognoſcendae, cum ſuis, in prioribus duobus generibus, exceptionibus. Nec minus diligenter cognoſcenda eſt in iis, quae in arte Grammaticorum proprie verba dicuntur, vis et diſcrimen formarum, cum ſingulis vſus ab lege quaque aberrationibus, item temporum atque modorum. Quarum rerum accurata et vſu multo firmata ſcientia vbi deeſt, facile in interpretando, nec leuiter, peccatur; cuius generis exempla, incredibile propemodum eſt, quam multa extent: cum ſaepe parua ex eo genere obſeruatio tollat difficultatem, et aditum faciat non modo ad intelligendum, verum etiam ad refellendum.*)

*) Quaeritur, quid ſignificet ἀλλὰ Matth. XI, 8. *Deuarius* idem eſſe putat, ac τὸ τί; *Schleuſnerus* et *Kuinoelius* ſynonymum eſſe credunt τοῦ ἤ; *Wetſtenius* parti-

particulam αὐξητικὴν esse iubet, quae eleganter vsurpetur interrogationem interrogationi iungendo. Quidni significationem verbi propriam eamque aduersatiuam retinemus? Oratio est imperfecta propter responsionem suppressam: Ἰωάννης βέβαιός ἐστι ἐν τοῖς ῥήμασιν αὐτοῦ· οὐ μὲν ἄρα ἐξήλθετε θεάσασθαι κάλαμον. Vide versum sequentem.

## § 9.

Sed multo etiam magis necessaria est συντάξεως scientia, non modo hactenus, vt ordinem verborum recte inuenire possimus, in quo saepe est magna vis ad bene intelligendum, sed etiam, vt modos cuiusque verbi, etiam particulae, struendae primum per se teneamus, quod prodest ad iudicium puritatis, vtrum bene graeca sit phrasis nec ne, idque refert, vt supra demonstratum est, plurimum, sed etiam, vt cuiusque constructionis vim et sensum ex verâ linguae indole. Nam qui ea scientia caret, et illas formas, verbum de verbo vertendo in quamcunque aliam linguam, interpretatur, saepe numero peccat necessario, propter dissimilitudinem linguarum: cuius generis peccatis pleni sunt interpretum libri: nec potest peccata Interpretum et Criticorum vel agnoscere certa ratione, vel conuincere.*)

*) Exempli loco sit versus 21. cap. I. ad Philippenses. Vide, quam male habeantur interpretes a protasi εἰ δὲ, cuius apodosis est καὶ τί. Resolue locum: ἀλλ'

ἀλλ' εἰ (quamuis: Viger. ed. Zeunii p. 492.) καὶ τὸ ζῆν ἐν σαρκὶ τοῦτόν μοι ἔχει καρπὸν ἔργου, καὶ (tamen) τί αἱρήσομαι ὁ. γ.

§ 10.

In hac parte ſunt etiam praecepta de figuris orationis, vt ellipſi, pleonaſmo et aliis, in quibus ſaepe argutantur interpretes, torquentque ſcripturas, niſi earum vim in vſu loquendi calleant accurate. In quarum nonnullis tamen etiam Rhetorum praecepta ſunt cognoſcenda, vt veram vim in vſu ſcribendi teneamus, nec aut emphaſes fruſtra quaeramus, aut vitium orationis fingamus. Nam, vt hoc vtamur, pleonaſmus in rhetoricis prodeſt et ad augendum et ad ornandum, nec tamen ſemper, ſed eſt interdum vel ex antiquiſſima linguae ſimplicitate, cuius generis plures ſunt in lingua hebraica, et inde in N. T., vel quacumque alia de cauſſa in conſuetudine loquendi ortus, atque etiam ab eleganter loquentibus vſurpatus: vnde vitii argui non poteſt, nec tamen ad vim aut ornatum torqueri debet. Similisque ratio eſt ſynonymiae aut tautologiae, quod eſt genus pleonaſmi, cuius exempla multa ſub pleonaſmi titulo congeſſit noſter *Glaſſius* Phil. S. L. IV. tr. II. obſ. 15. ſ.[t]) Quae qui ignorant, ſe nunquam ſatis in iis vel explicandis vel defendendis expediunt.

t) Me-

t) Melius dispofita notisque illustrata haec funt in Editione Phil. *Glassii* Dathiana, quam vide. Neque carere poteft idoneus interpres *L. Bosii* libro de ellipsibus graecis, praesertim secundum editionem *Schaeferi* (Lips. 1808.), quae reliquis palmam longe praeripit.

## § 11.

Nec, quae vitia orationis dicuntur, ignota esse debent, ne in quaestionibus de barbarismis ac soloecismis N. T. in alterutram partem, vel affirmando vel negando, peccetur: u) quod accidit plerisque, cum aut prorsus, inuitis Grammaticorum praeceptis, negant, in N. T. aliquid inesse, quod his nominibus appellari possit, vt dignitati librorum consulant, aut ita adfirmant, vt ad contemtum scriptorum ipsorum trahatur: quorum neutrum probari potest. Imo formae dicendi tales tum demum sunt in vitio, cum per inscitiam et negligentiam, et nulla idonea et graui de caussa, temere vsurpantur; quod in scriptores Nou. Test. non cadere, patet ex iis, quae de hebraismis eorum dicta sunt.

u) Quod in nullo N. T. libro facilius accidere poterit, quam in apocalypsi Iohannea. Vid. *Michaelis* Introd. in N. T. Ed. 4. §. 284.

## § 12.

Summum autem Grammaticae fastigium est

eſt in *Critica:* quamquam non modo Grammaticorum praeceptis et obſeruationibus nititur, ſed etiam aliarum diſciplinarum et rerum ſcientia atque praeceptis adiuuatur. Eius eſt, quid genuinum ſpuriumue ſit, integrum et incorruptum, vitioſumue et corruptum, iudicare, et corrupta emendare, eiusque rei modum ac rationem tenere. v)

v) Huic ſcientiae latiſſimus apertus eſt campus in diſquiſitione de γνησιότητι priorum capitum Matthaei, loci 1. Ioh. V, 7., Rom. IX, 5., Ioh. VIII, 1—12. in diſputatione de lingua, qua Euangelium Matthaei ab initio conſcriptum fuerit: de Euangelio ad Hebraeos, de fontibus Euangeliorum etc.

§ 13.

Eius etiam in interpretando neceſſitas inde intelligitur, quod ſine ea ſaepe ne locum quidem habet interpretatio. Fruſtra enim interpretari coneris, quod eſt ſpurium aut corruptum: vnde mirabiles interdum interpretationes naſcuntur. Vnde recte *Quinctilianus* I, 4. *init.* primum in interpretando eſſe dicit, videre, an integer locus ſit nec ne, et corrupta emendare: *Enarrationem*, inquit, *praecedat emendata lectio.*

§ 14.

Nec minor neceſſitas eſt ex eo, quod, qui eius expers eſt ac rudis, diſputationes criticas

criticas ſuper locis ſacrorum librorum non modo intelligere ac diiudicare, aut lectiones veras a falſis diſcernere, perite defendere, aut falſas denique, itemque inanes coniecturas aut deprauationes ſatis refellere non poteſt, ſed etiam ſaepe ſe neceſſario in difficultates inextricabiles induit, atque adeo in ridendos ac pudendos errores incidit; cuius generis multa exempla commemorare poſſemus. Vel illud quam alienum eſt ab iis, qui hos libris bene tractare velint, quod plerisque accidit, qui rei criticae ſunt expertes, nec eius vllum vſum habent, vt, quae ab *Eraſmo* et *Beza* in textum de iudicio ſuo, etiam e latina verſione, non bene recepta ſunt, aut per operarum errorem irrepſerunt, et in editiones minores et vulgares propagata ſunt, ea pro veris auctorum verbis teneant, explicent atque etiam defendant, et, ſi quis talia corrigat, etiam Spiritum ſanctum corrigi clament. x)

x) Eiusmodi voces nondum plane exſpirauiſſe, docet *Griesbachius* Praef. ad N. T. Vol. II. pag. XI. ſeqq. ed. I.

## § 15.

Itaque merito Critica apud Theologos vere doctos ſemper in magno honore ac pretio fuit, eiusque bene periti Interpretes inter principes Theologorum ſunt numerati,

vt

vt *Origenes*, de cuius ſcientia et meritis in hoc genere ſupra diximus, *Gregorius Nazianzenus*, *Baſilius*, *Chryſoſtomus*, *Hieronymus*, et alii, quos enumerat *Henr. Valeſius* de Critica I, 23. ſqq. tantum abfuit, vt eam locum habere in ſacrorum librorum interpretatione negarent. *Auguſtinus* quidem, *Codicibus emendandis primitus inuigilare debere ſolertiam eorum*, iudicat, *qui ſcripturas diuinas noſſe deſiderent*, *vt emendatis non emendati cedant*, etc. Adeatur etiam *Caſaubonus* Exerc. Baron. I. n. 28. XVI. n. 110. et *Heinſius* Proleg. ad Exercit. in N. T. p. 4.

## § 16.

Nec ſolum ea κρίσις tolerata et vſurpata eſt, quae libros e libris emendat, ſed etiam coniecturalis, quae ingenii et doctrinae, inprimisque analogiae ope, nititur, vt docent Commentarii Patrum, Iſid. Peluſ. IV, 112. 113. et *Caſaubonus* l. c. *Glaſſius* quidem noſter clare locum huic Criſi relinquit in Philol. S. L. I. Tr. II. pag. 168. probans etiam correctionem talem *Bezae* Act. VII, 14. quamquam non probandam. *Wetſtenius* autem in Proleg. N. T. ſeparatim editis p. 170. prope ducentas tales coniecturas Theologorum commemorat, quarum numerus etiam augeri poſſet. y)

y) Et auctus etiam est in *Bowyeri* coniecturis in N. T. a Schulzio editis. Lipſ. 1774. ſ.

§ 17.

Oportet igitur futurum librorum ſacrorum interpretem in tempore, curare, vt Criticae veram indolem ac naturam cognoſcat, non praeceptis modo, aut maxime, cognoſcendis per libros, qui eius diſciplinam profitentur inſcriptione ſua, quae ſolet eſſe fallax, ſed vſu, per modeſti ac ſeueri Critici diſciplinam, et lectionem Criticorum ſeuerorum ac modeſtorum, quales *Caſaubonum*, *I. F. Gronouium*, *Graeuium*, *P. Burmannum*, *Perizonium*, et alios, nouimus. Ac tutius eſt, initium facere in genere librorum humanorum, vbi, adhuc quidem, magis et felicius vſurpata eſt Critica, et vbi etiam excuſatius peccatur. Raro, qui non ab tali diſciplina et vſu venit, in ſacris operae pretium fecit: et qui nullis litteris graecis ac latinis, aut mediocriter modo, inſtructus ad Criticam ſacram accedit, profecto operam inanem ludet.

§ 18.

Vbi autem rite praeparatus venerit, primum operam det, vt inſtrumentum Criticum cognoſcat, eiusque in iudicando verum vſum, per Canones Criticos, cum de ſingu-

ngulis generibus fontium, e quibus lectio-
es ducuntur, tum de comparationis modo.
ı quo poterit vti his, quae a nobis ſupra
ap. 2. 3. 4. 5. tradita ſunt.

§ 19.

Sed hoc magis vſu rerum tractandarum,
uam praeceptis ediſcendis ſibi agendum pu-
t. Itaque vel audiet interpretes, qui Cri-
ca non prorſus negligunt, et in eo genere
versatos ac tritos factis oſtenderunt, vel
get, quae viri in hoc genere exercitati,
*Millii*, *Bengelii*, *Michaeles*, aliique, qui
unt ſane perpauci [z]), ſuper locis illuſtribus
naxime, ſcripſere, et ad praecepta illa exa-
ninabit, vt paullatim bene iudicandi facul-
s veniat.

z) V. c. *Griesbachius*, *Noeſſeltus*, *Morus*, *Doederlinus*, *Eichbornius*.

§ 20.

Cum, profectu facto, volet ipſe aliquid
nolíri, hanc ſibi legem dicat, vt nihil fa-
ile fine libris probet aut ſtatuat, coniectu-
s doctorum hominum in locis iis, in qui-
us alia ratio ſe expediendi aut nulla aut
onniſi dura ac difficilis datur, non illas
idem omnino ſpernendas putet, ſi ſint
erſpicuae, conſentaneae rei, contextui,

 ſtilo

ſtilo ſcriptoris, et a veſtigiis vulgatae, h. e. quae in omnibus libris ſcriptis et editis reperitur, non multum diſcrepent: qualis eſt v. c. Camerariana *Ioh.* 19, 29. pro ὑσσώπῳ, in quo ſe ſatis torquent interpretes, coniicientis ὑσσωτῷ vel ὑσσῷ τῳ, et perpaucae, quas nos quidem repererimus, aliae: *) caeterum in notis potius, Commentariis aut Obſeruationum libris, proponendas, quam textui inferendas putet. **)

*) V. c. ἐξουβίαν 1. Cor. XI, 10. σιαίνεσθαι 1. Theſſ. III, 3. Sunt tamen coniecturae iſtae, a *Camerario*, *Godofredo* et *Reiskio* profectae, meri luſus ingenii.

**) Niſi a codicibus manu exaratis confirmentur, v. c. ἀπολέσει Matth. X, 42. ad quem locum vid. *Wetſtenius*. Lectionem ἀπολέσῃ, in auctore bene Graeco praeferendam, ex Itaciſmo ortam eſſe puto.

§ 21.

Enimuero vt religio magna adhibenda eſt, ne in textu, qui nunc in manibus eſt, refingendo nimis faciles ſimus: ita contra indocta ſuperſtitio eſt vitanda, quae omnes voces ac literas vulgaris alicuius editionis ſanctas et velut manu diuina poſitas et conſecratas putat, a quibus diſcedendi ius et facultatem nec libri nec ratio vlla dare poſſint. Non minus cauendum eſſe, ne Spiritui S-

tri-

tribuantur, quae eius non ſunt, quam ne ei detrahantur, quae ab eo profecta ſunt, ſupra admonuimus. [a])

a) Quod inprimis caueri poteſt poſt notionem *θεοπνευστίας* adcurate finitam, cuius rei periculum fecimus in libro: *Ausf. Unterricht in der chriſtl. Glaubenslehre.* Norimb. 1807. t. I. p. 113. ſſ.

## § 22.

Hi vero abutuntur Critica, ſiue indigni potius ſunt Critici nomine, qui ita procliues ſunt ad coniecturas, vt, vbi primum aliquid non ſatis intelligunt, ad excogitandas lectiones conuertuntur: a quo quemque et ratio et exempla temerariarum et inanium coniecturarum deterrere debent. Non enim quod quisque, etiam non indoctus, parum intelligit, et commode explicare non poteſt, aut legibus orationis parum conuenire videtur, id ſtatim falſum aut vitioſum eſt: nec quisquam ſibi hanc fiduciam ſumere debet, vt ſe nihil fugere in talibus rebus putet. Et cum omnes propemodum tales coniecturae inanes repertae, et a peritioribus refictae ſint, modeſti et cauti Critici eſt, non praecipitare iudicium, et potius ignorantiam ſuam agnoſcere et fateri, quam ad corrigendum feſtinare; quod etiam in humanis ſcriptis boni Critici facere ſolent.

§ 23.

§ 23.

Quo magis etiam impia arrogantia et mera ἀκρισία eorum repellenda est, qui suarum de rebus diuinis opinionum stabiliendarum caussa, non modo lectiones, in vno et altero libro, nec eo valde bono, repertas, recipere in textum aut defendere conantur, sed etiam excogitant nouas. [b]) In vtroque genere Socinianos et eorum fautores esse, satis constat; in illo nuper *Wetstenius* pluribus locis peccauit.

b) Huius vitii inuidia iure conflata est *Bahrdtio* in examine Vers. N. T. theodiscae ad Ioh. I, 1.

§ 24.

Quod vero Pontificii quidam, vt *Laubrusselius* in libro Francico *de abusu Criticae in rebus sacris* P. I. p. 168. etiam hos inprimis abuti Critica in libris sacris defendunt, qui eius vsurpandae potestatem non ab Ecclesia, siue Pontifice Rom. vt *Hieronymus* a *Damaso*, nacti sint, id merito repudiandum est penitus, cum caeteris, quae ab illo, inter bene monita, ad defendendas Ecclesiae Romanae opiniones superstitionesque ita disputantur, vt in iis accusandis ac refellendis Criticae abusum cerni dicat: quo fere inclinant istius Ecclesiae doctores.

§ 2[illegible]

## § 25.

Illud inprimis debet eſſe perſuaſum ſtudioſis, nihil eſſe vel in comparando vel in vtendo difficilius Critica: adeo multarum ac prope infinitarum, in hisque minutarum, rerum accurata ſcientia tenetur, et in vſu multas ac difficiles cautiones habet: in quibus adeo facile eſt labi, vel memoriae fraude, vel iudicii errore, vt, quemadmodum cuilibet condonandus eſt lapſus, ita quisque magis ſibi diligentiam et modeſtiam in iudicando adhibendam putare debeat. *) Legant ſtudioſi *Mabillonium* de ſtudiis Monaſt. P. II. c. 13. *de Critica et regulis in ea obſeruandis.*

*) Exempla ſunt Matth. V, 22., quo loco *εἰκῆ* delendum putamus, et Act. XXI, 15. quo lectionem *ἀποσκευασάμενοι* tuemur, quamuis eam ridiculam eſſe iudicauit *Morus*, adſtipulantibus criticis bene multis. Defenditur enim non ſolum auctoritate codicum, verſionis Syriacae et vulgatae recte explicitae, ſed etiam linguae vſu Hebraico, quo *ἀποσκευάζεσθαι* idem eſt ac פנה Levit. XIV, 36. Alexandrini interpretantur *ἀποσκευάσαι*, Aquila *ἐκφορεῖν*, *efferre ſarcinas*, quod loco noſtro egregie conuenit.

## § 26.

Grammaticae iuncta eſt *Rhetorica* in inſtrumentis interpretandi. Ea maxime prodeſt, qua docet naturam et vim tropo-

rum.

rum. Nam ea ignorata, mirifice inepti interpretes esse solent. Sed quae ex eo genere prosunt, a nobis supra commemorata, et ad interpretandi rationem collata sunt. Prodest vero etiam nosse, quae de generibus dicendi et virtutibus orationis, inprimis de altitudine et caeteris virtutibus sententiarum, in rhetoricis traduntur, vt iis in interpretando bene vti, hoc est, agnoscere facilius, sentire, inprimisque explicare possimus vim et praestantiam sententiarum, quae in libris sacris, inprimisque sermonibus Iesu Christi et Epistolis Paulinis, frequentes sunt. Nec tamen opus est, in interpretando lectoribus vel auditoribus, velvti pueris, annumerare vbique nomina vulgaria troporum et figurarum, et cum nihil prosunt ad bene intelligendum vel sensum ipsum vel eius aliquam virtutem.

§ 27.

Nec parum adiuuetur interpres *Philosophia*, si ea recte vti didicerit. Ea autem non tam prodest rebus et sententiis, quam modo rerum tractandarum. Neque enim res in Scripturis traditae e Philosophia iudicandae, aut ad eius decreta, multo minus incertas opiniones, quas hypotheses vulgo vocant, accommodandae sunt: diligenterque cauendum est, ne notiones verborum e philosophi

loſophi alicuius definitionibus inferamus Scripturae, et ex iis ſuper rebus philoſophemur; quo nimis fere inclinant, qui philoſophia ſe dicunt vti in interpretando, ſi ſunt parum triti literis: vnde omni tempore magnae noxae ortae, plurimumque incommodi in interpretatione ſacrorum librorum natum eſt. *)

*) Conſtat interpretibus doctiſſimis diſplicuiſſe creationem mundi, quae Meſſiae tribuitur Col. I, 16. Traxerunt itaque locum ad emendationem hominum moralem per abuſum philoſophiae non probandum: conf. Ioh. I, 3. Epheſ. III, 9. Hebr. I, 2. Notum enim eſt, ea, quae in Pſalmis verbo Dei, in prouerbiis et libris V. T. apocryphis ſapientiae diuinae tribuuntur, in N. T. referri ad λόγον, vel naturam Chriſti ſublimiorem.

? R. S

## § 28.

Res igitur fere redit ad *Dialecticam*, quae in interpretando non vno modo prodeſſe poteſt. Ac primum hoc non paruum eius munus eſſe in hac re dixerim, quod docet ideas rerum diſtinguere a ſono verborum, vt, quid intelligas, nec ne, poſſis iudicare: cuius iudicii neceſſitatem ſupra indicauimus. Id autem fit dupliciter. Et in iis quidem rebus, quae ſenſibus externis ſubiectae ſunt, videndum eſt, an poſſimus ſpeciem earum animo praeſentem reddere, easque

easque per talem ſpeciem ipſas contueri; vbi autem internis ſubſunt, an meminiſſe perceptionis earum ac ſenſus. In intelligibilibus porro iudicium fit ex eo, cum verborum definitiones tenemus, quibus notiones puris et perſpicuis verbis exprimantur. Sed in rebus ſenſibilibus ſufficit interdum, eas ad ſuum genus reuocare poſſe: idque locum habet tum, cum cernendarum ac ſenſu cognoſcendarum nulla facultas eſſe poteſt, vt in quibusdam generibus plantarum, piſcium etc. Sunt et aliae huius iudicii rationes, ſed quae ad Dialecticam nihil pertineant.

§ 29.

Alterum eius munus cernitur in notionibus verborum, quas ea docet conficere, vel partibus earum diſperſis in vnam ſummam apte colligendis, vel ab exemplis, in quibus eae latent, ducendis, et, vt Dialectici noſtri loquuntur, abſtrahendis, denique perſpicue et breuiter exprimendis. Quo ſane vehementer opus eſt interpreti, ne obſcuris aut vagis et parum determinatis notionibus contentus vagetur et erret. c) In quo tamen plus vſus, et facultas bene dicendi, quam praecepta, certe non haec ſine illis valent. Poteſt enim, vt Cicero dicit, fieri, vt aliquis recte rem intelligat,

nec

nec tamen poſſit recte aut ſatis perſpicue ac circumſcripte enunciare, quae bene intelligit: quod ſine accurata linguae ſcientia et exercitatione ſcribendi contingere nemini poteſt.

c) Quod vulgaribus interpretibus praecipue occurrit in finiendis vocibus, βασιλεία τῶν οὐρανῶν, πνεῦμα, μετάνοια, πίςις, παρουσία Χριςοῦ, aliisque maximam partem iam egregie explicitis in libro *Telleri*: Wörterbuch des N. T. Ed. 4. 1785.

§ 30.

Tertium eſt, ſimilia diligenter comparando diſtinguere, ne ambiguitate decepti confundamus diuerſa. In quo tamen ipſo vſus loquendi bene cognitus eſſe debebit, ne diſtinguamus, quae diuerſa non ſunt: quod facile accidit iis, qui e Lexicis ſapere coguntur.

§ 31.

Omnino etiam atque etiam cauendum eſt, ne ſubtilitate dialectica et metaphyſica abutamur in verborum ſenſu aeſtimando, et rebus diſtinguendis: quod etiam in humanis libris, qui populo ſcripti ſunt, aut de rebus ad popularem intelligentiam et vſum pertinentibus, repudiatur ac ridetur. Itaque in iis v. c. quae vniuerſe aut abſolute dicuntur, diligenter videndum erit, quid

res

res ſubiectae patiantur. Rectiſſime Ariſtoteles Ethic. I, 1. τὸ ἀκριβὲς ἐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον, vt non in ſcribendo, quod illi placet, cum de rebus ad vitam humanam pertinentibus ſermo eſt, ſic nec in interpretando; nec modo operam perdit, ſed etiam in periculum venit, falſa, ridicula, certe aliena comminiſcendi, quisquis in talibus metaphyſicam ſubtilitatem requirit, vt bene *Theodorus Hackſpanus* Miſc. S. pag. 36.

§ 32.

In quo etſi ſenſus communis ſufficere poteſt ad iudicandum, vt in aliis ſcriptoribus interpretandis, tamen non inutile erit, rerum naturas ſic diſtinguere, vt, quae ad Deum et religionis formam proprie pertineant, in iis nullam ſubtilitatem alienam cenſeamus: quod in iis nihil incerti eſt, nihil, quod temporibus varietur: quae autem cum hominis natura et vita aliquam coniunctionem habent, in eas τὸ ἀκριβὲς non cadere putemus. d)

d) Egregie haec praecipi, dubitatione caret; ſcindimur tamen facile in ſtudia contraria quaerentes, quaenam proprie ad Deum pertineant. Animis enim hominum multa adblandiuntur in iis, quae de redemtione, de reſurrectione corporum et iudicio Dei adſpectabili docentur, a veritatis coeleſtis indice non

ſemper

ſemper probata. Formanda itaque erunt ingenia ad interiorem veri cognitionem, vt dubitationis ſcopulos euitent.

§ 33.

Itaque etiam illa, quam iactarunt nonnulli, ἀνάλυσις notionum Dialectica magna cum cautione vſurpanda, ne aut in notione ipſa conſtituenda decipiamur, vt ſupra monuimus §. 27., aut ex ea per talem ἀνάλυσιν colligamus, quae non inſunt, comminiſcamurque, quae a mente ſcriptorum diuinorum ſunt aliena.

§ 34.

Nec illud paruum aut parum neceſſarium munus Dialecticae eſt, videre, quid repugnans ſit, quid conſequens. Nam et concluſionum in ſacris libris paſſim occurrentium ratio et vis explicanda eſt, et interdum repugnantiae ſpecies oritur, etiam in dogmaticis, qua apte remouenda, contenſio dictorum componenda eſt. In quo tamen tenenda ſunt ea, quae de hac compoſitione ſupra praecepimus, cauendumque, ne inſcitia ſermonis temere fingamus diſſenſum, aut in eo componendo ſubtilitate aliena ab indole rei et ſcriptorum vtamur.

§ 35.

Et quoniam Dialectica etiam docet, quae debeat

debeat eſſe ſeries diſſerendi, haec quoq
praecepta cognita eſſe debent Interpreti,
eam perite indagare et cognoſcere poſſit
locis iis, vbi talem ſeriem vſurpant ſcript
res; quod facit interdum Paulus. Vid. M
lanchth. dedic. ad diſpoſ. epiſt. ad Rom.
Nec tamen et hic ſumma ſubtilitas, mult
que minus vbique talis ſeriei quaerenda,
per ieiunas et inanes ἀναλύσεις conſtituend
quae etiam ad intelligendum nihil proſun
Nam vbi in ſcribendo nullam talem ſerien
ſecuti ſunt auctores, ibi fruſtra ſit eorum
orationem intra talis ſeriei ac viae neceſſitatem compingere.

e) Et beatus *Koppius* in ſua epiſtolarum Paulinarum editione paſſim.

§ 36.

Praeter ſcientiam autem et vſum earum doctrinarum, quae inſtrumenta interpretis appellari ſolent, etiam opus eſt multa et accurata ſcientia rerum hiſtoricarum. Multa enim ſunt in his libris ad rationem temporum, locorum pertinentia, multa de perſonis, ritibusque ac moribus antiquis, cum ſacris tum ciuilibus, quibus ignoratis, interpretatio perfecta eſſe non poteſt. Horum igitur ſcientiam interpres futurus ſibi comparabit in tempore, augebitque ſtudioſe. *)

*) Ab-

*) Ablegamus ad loca Matth. XXIII, 35. Luc. II, 2. III, 1. Act. VII, tot. 2. Thessal. II, tot., quae sine historiae praesidio vix intelligentur. Adde historiam Iohannis baptistae tum e Iosepho, tum e Zobiorum monumentis petendam, qua via ad grauissimas disquisitiones munietur.

## § 37.

In quo cauendum, ne qualiscumque earum rerum notitia, aut e vulgaribus libellis, compendiis et schediasmatis hausta, et temere collecta, contentus sit, sed eam ex ipsis fontibus per iustam literarum scientiam sibi comparandam putet. Pleni sunt Commentarii in N. T. etiam clarorum virorum, et multo magis obseruationum ac disputationum libelli erroribus, saepe grauibus, in hoc rerum genere, nullo alio ex fonte, quam quod earum scientia non ea, qua diximus, via comparata erat: existuntque saepe mirabiles ac prope ridiculae interpretationes, quibus impediuntur citius lectores, quam e difficultatibus explicantur. f)

f) Vid. *Krebsius* Prolus. de ratione N. T. e moribus antiquis illustrandi minus caute instituta in Opuscc. p. 519. seqq.

## § 38.

Primum igitur nosse debet *Geographiae* capita, cum rebus Christi et Apostolorum con-

coniuncta. Quorum primum eſt, quod pertinet ad Palaeſtinam, eiusque varias viciſſitudines in modo *deſcriptionis*, *finium* et *imperii ciuilis*.

## § 39.

*Deſcriptio* alia eſt veterrima occupatae a Ioſua terrae Cananaeae ad numerum tribuum, quae, ſublato primum per Aſſyrios Samaritico, deinde etiam Iudaico per Babylonios regno; ſublata et ipſa eſt, vſurpata tamen interdum ſcriptoribus diuinis, vt *Matth.* 4, 13. 15.: alia, quae ab his rerum conuerſionibus inducta ad excidium vsque gentis atque templi durauit. Ea primum, h. e. ab excidio Samaritici regni duplex, orta ab numero priſtino regnorum, poſt, incertum quando, certe ſub Aſſamonaeorum imperio, quadruplex facta eſt, in *Iudaeam*, *Samariam*, *Galilaeam* et *Peraeam*. Iudaeae ſiue pars, ſiue acceſſio et prouincia fuit *Idumaea*, *Marc.* 3, 8. de qua mox. Sed tamen etiam Iudaeae nomen de vniuerſis interdum vſurpatur. *Samariae* caput Chriſti tempore Sichem fuit, *Io.* 4, 5. dudum deleta vrbe Samaria cum templo. *Galilaea* autem eſt et *ſuperior*, Phoenicibus et Syris vicina, quae eſt *Galilaea gentium*, *Matth.* 4, 15. et *inferior*, fere intelligenda, cum Galilaea ſimpliciter memoratur: *) in qua

qua Tiberias, Nazareth, Capernaum, mons Itabyrius, et Decapolis, certe eius pars, *Marc.* 7, 31. *Peraea* proprie eſt earum regionum, quas olim tribus Rubenitica et Gaditica tenuerant, ſed poſt varie aucta.

*) De hac diſtributione Galilaeae adi *Buxtorfii* Lex. Talmud. in גָּלִיל, vbi etiam collecta e libris Iudaicis de dialecto Galilaeorum digna lectu reperiuntur.

§ 49.

Nam *fines* plerarumque partium, in quas deſcripta fuit, paullatim variauere. Ad *Iudaeam* primo acceſſit Idumaeae vetus, a Danide primum ſubacta, a Iohanne autem Hyrcano recuperata prouincia, propter ſuſcepta tum Iudaica ſacra etiam Iudaeae ipſi accenſa, cum et Idumaei eadem de cauſſa Iudaeos ſe ferrent atque ita appellarentur, de quo *Caſaubonus* adeundus Exerc. I. ad App. Baron. n. 3. vbi et Herodem recte Iudaeum appellari defendit. Ad *Peraeam* autem adſcriptum eſt, quicquid paullatim vicinis regionibus detractum nouo regno Iudaico, ſiue per Aſſamonaeos, vt Ituraea, ſiue per Herodas et Caeſarum liberalitatem acceſſit, vt Auguſti, Trachonitis, Batanaea, Auranitis, Abilene: quamquam illa pleraque olim Iſraelitarum fuerant, ſed, eum in Syrorum poteſtate eſſent, nouis nominibus

appellata, non omnia ab Aſſamonaeis recuperata erant.

§ 41.

Imperio haec omnia paruere *Herodis Magni*, Antipatri, Idumaeae ante, poſt, Iulii Caeſaris decreto, Iudaeae vniuerſae, ſub Hyrcano, Procuratoris, filii: quo mortuo, ex ipſius teſtamento, ita filiis tribus ab Auguſto diuiſa ſunt, vt *Archelaus* Iudaeam, quae proprie dicitur, cum Idumaea et Samaria, Ethnarchae nomine, h. e. regio, ſed ſine nomine et inſigni, imperio, haberet; *Herodes Antipas* Galilaeam et Peraeam, antiquis et anguſtioribus finibus; *Philippus* autem reliquae transiordanicae regionis partem maximam, quae Ituraeae et Trachonitidos nominibus *Luc.* 3, 1. appellatur, vterque tetrarchae nomine. *)

*) Occurrit idem Philippus Matth. XIV, 3.; a Ioſepho autem Salomae iungitur, quam ei genitam fuiſſe ab Herodiade teſtatur Matthaeus. Caue *Michaeli* credas, qui Herodis Philippi nomen ei fuiſſe putauit; Ioſepho enim auctore Herodias primum Herodi, deinde Antipae nupta fuit. Sed haec altioris indaginis ſunt.

§ 42.

Sed Archelao in exilium acto, quicquid ſub imperio eius fuerat, ad prouinciae Romanae

manae formam redactum, a Procuratoribus Romanis adminiſtratum eſt, h. e. Praeſidibus minoribus, nec magiſtratu aliquo ſenatorio functis, e quorum numero fuit Pontius Pilatus: de quo, praeter *Ioſephum*, *Philo Legat. ad Cai.* p. 1034. videndus. Ei prouinciae acceſſit et Antipae, pariter in exilium miſſi, portio. Nam Philippi, anno altero ab Chriſti morte defuncti, tetrarchia Syriae contributa eſt.

§ 43.

Huic Procurationi primum Herodis Antipae tetrarchia detracta, ab Caligula data eſt *Agrippae maiori*, regni nomine (*Philo* l. c. p. 1037.) cum ante iam Philippi tetrarchiam et Lyſaniae accepiſſet; a Claudio reliqua, h. e. Iudaea et Samaria, adiecta ſunt. Ita prouincia ſublata, regnum reſtitutum eſt. Sed Agrippa tribus annis poſt mortuo, rediit prouinciae ius cum Procuratoribus. E quibus *Felicem* et *Feſtum* memorant *Acta Apoſtolorum* 25. et 26. Nam *Agrippa minor*, maioris filius, ab Claudio primum tantum Chalcidis regnum, poſt Philippi tetrarchiam accepit, cum poteſtate in templum Hieroſolymitanum, et iure creandorum Pontificum. [g])

g) Adcurata harum rerum illuſtratio inter ſumma merita verſionis N. T. a beato *Michaele* cum notis elaboratae

aratae referenda videtur. Vide genealogiam Herodum in calce editionis Iosephi ab Havercampo curatae.

## § 44.

Haec igitur oportet accurate tenere et in promtu habere, ne saepe haerens, cogare libellos vulgares consulere: itemque nomina et situm vrbium, regionum, fluminum etc. vt in mentione cuiusque scias, quo referre debeas, nec incertis regionibus erres ac vagere. *) Sed nec hospitem esse oportet in vicinis regionibus, Phoenice, Syria, Arabia, quarum crebra in literis sacris commemoratio, commemoratis etiam vrbibus clarioribus, vt Phoenices Tyro, Sidone, Syriae Damasco, Antiochia etc. In hac parte proderit cognouisse, quae viri docti ad *Eusebii* de locis hebraicis libellum, et *Relandus* in Palaestina tradidere. [h])

*) V. c. Marc. V, 45. *πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν*, caue, ne locum quaeras Capernaumo vicinum: agitur enim de Bethsaida in ripa orientali Tiberiadis sita. Vide *Schleusneri* lex. h. v.

h) Adde Bochartum in Phalego et Michaelis Geographiam Hebraeorum exteram post Bochartum. T. I. II. Götting. 1769. 4.

## § 45.

Proxime his necessaria est notitia Asiae cum reliquae, tum inprimis minoris, insularum

larum maris Aegaei, Graeciae porro, Italiaeque, cum vicinis maribus inſulisque, ad intelligendas res geſtas et itinera Apoſtolorum, Eccleſiarum Apoſtolicarum ſedes, et alia, quae ſine locorum notitia ſatis intelligi non poſſunt. In quo genere *Cellarium* inprimis conſuluiſſe iuuabit. Eccleſiarum ab Apoſtolis conditarum Catalogum notulis illuſtratum dabit *I. A. Fabricius* in *Luce Salut. Euang.* c. 6. [i])

i) Adde *Büſchingii* Aſiam in Op. geogr. mai.

§ 46.

In hac autem ratione plurimum prodeſt, noſſe deſcriptionem prouinciarum Romanarum et nomina et genera. Nam appellationes ipſae accommodatae ſunt interdum ad ciuilem imperii et prouinciarum rationem, veluti, quicquid mari Ionio (in *Actis Apoſtolor.* 27, 27. *Adria* dicitur) Aegaeoque, Pangaei iugis et Neſto amne comprehenditur, Macedoniae et Achaiae nominibus *Act.* 19, 21. continetur, quae ſunt prouinciarum Romanarum nomina, quibus omnes illae regiones diuiſae, cum olim et in antiquiori Geographia vtrumque nomen longe anguſtius diceretur. Itaque Lucas Philippos appellat vrbem Macedoniae prouinciae, cum ſit ad veterem rationem Thraciae vrbs. [ii]) Et tamen interdum vetus ratio obti-

obtinet; velut *Act.* 20, 2. *Graecia* memoratur, vetere et proprio ſenſu, de regionibus inter Theſſaliam et Peloponneſum interiectis, vel de tota Achaica prouincia, vt apud *Sueton. Claud.* 16. vbi vid. *not. noſtr.*

ii) Locus eſt Act. XVI, 12. Vereor tamen, ne memoria hic lapſus, ſit auctor: cf. *Liu.* XLV, 29.

§ 47.

Prouinciarum autem Romanarum cum ante, libera republica, duo genera fuiſſent, alterum Conſularium, alterum Praetoriarum, quod in maiores, ad quas tuendas exercitu et imperio opus eſſet, viri Conſulares miſſi, in minores autem, aut tutas ab vi hoſtili, quarum adminiſtratio tota fere eſſet in iurisdictione, Praetorii: ab Auguſto ſic res eſt conſtituta, vt aliae, h. e. eae, quae ante Conſulares fuiſſent, Caeſaris eſſent, aliae Senatus ac populi, illaeque a Legato Caeſaris, plerumque Conſulari, hae a Proconſule, vt Aſia, *Act.* 19, 38. regerentur, tertium genus eſſet minorum, quae Caeſari relictae, ab equeſtris ordinis, poſt etiam inferioris, viris, Procuratorum nomine, adminiſtrarentur, qualem Iudaeam ante diximus. Ad eam rationem cognoſcendam videndi *Strabo* L. XVII. extr. et *Dio Caſſ.* Libr. LIII. p. 503. add. *Excurſ.* noſtr. ad *Suet. Aug.* 47. Non haeſiſſent interpretes in

in Proconſule Cypri, *Sergio*, *Act.* 13, 7. ſi eum locum ad illam prouinciarum rationem exegiſſent, ex qua Cyprus Proconſulem habere debuit. Ex ea porro ratione patet, *Quirinum*, *Luc.* 2. 1. Legatum Caeſaris conſularem fuiſſe. [1])

1) Niſi in ſimplici ἐπιτρόπου dignitate acquieſcere malis. Quocunque autem te vertas ſententiae, difficultates chronologicae remanent vix expediendae.

## § 48.

In prouinciis porro genera ciuitatum diſtinguenda ſunt. Nam aliae ſunt ſociorum vrbes, aliae Romanorum coloniae, cuius generis inſtituendi extra Italiam in prouinciis, etiam vltra mare, initium factum temporibus Gracchanis, frequentatum autem maxime eſt a Caeſaribus, Iulio et Octauiano. Ex hoc numero ſunt *Philippi*, *Corinthus*, et aliae. Inde lux accedit interdum dictis ſcriptorum, veluti *Act.* 16, 20. vt intelligamus, qui ſint ςρατηγοὶ, quos male comparat *Hammondus* cum ςρατηγοῖς *Luc.* 22, 52., vt nihil de aliis dicamus, cum ſint magiſtratus colonici, duumviri opinor, (*Cic. Agr. II*, *34.* conf. *Valeſ.* ad *Euſeb. H. E. VII*, *12.*) item qui ῥαβδοῦχοι *v. 35.* lictores cum bacillis, non faſcibus. *Cicer.* loc. cit.

§ 49.

## § 49.

Intercedit etiam discrimen dignitatis ex eo, quod quaedam sunt *metropoles*, aliae item *conuentus iuridici*. *Metropolis* clare est vrbs Philippensis, quae μερίδος Μακεδονίας πρώτη dicitur *Act.* 16, 12. (vid. *Spanhemius de vsu et praest. numism. Diss. IX.* §. *14.*) id est, partis eius, quae Thraciae detracta, Macedoniae contributa est, ἐπίκτητος Graecis dicta. Alias prima vrbs et caput prouinciae est, vbi sedet magistratus Romanus, vt olim, Archelao pulso, Iudaicae prouinciae Hierosolyma, post, Agrippa maiore mortuo, Caesarea, *Act.* 23, 33. vnde fere origo metropolium ecclesiasticarum, quarum tamen nulla in N. Test. vestigia sunt; quamquam ea *Petrus Marca* de *Concord. Sac. et Imp. VI, 1, 5.* sibi videtur inuenisse *Tit.* 1, 5. *Conuentus iuridici* exemplum est *Act.* 19, 38. in ἀγοραίοις.

## § 50.

Caeterum in hoc genere, vt in aliis, hoc plurimum commendandum est studiosis, vt hanc partem doctrinae aliquando vno tenore tractent, nec sperent, se eius idoneam consecuturos esse scientiam, si in singulis locis consulant libros geographicos, vt paullatim notitiam vniuersorum colligant. Illud etiam curare oportet, vt quaestiones, de quibus diuersa

diuerſa ſentiunt docti in eo genere viri, teneant, velut, vtrius Galilaeae *Cana* ſit *Ioh.* 3, 1. *Nicopolis Tit.* vlt. Epiri ſit an Thraciae, *Decapolis* Galilaeae ſit an Peraeae etc. nec tamen exiſtimare, in iis magnum momentum eſſe, aut iis excutiendis multum temporis tribuere.

## § 51.

Geographiae adiungenda eſt etiam temporum ſcientia, quae in libris N. T. plures difficultates habet, non facile expediendas certa ratione. Et e Vet. quidem Teſt. hiſtoria aſſumenda eſt primo notatio temporis, quod ab promiſſione Abrahamo facta ad liberationem populi e ſeruitute Aegyptiaca, legislationemque Moſaicam, item in illa ipſa ſeruitute effluxit (ad *Act.* 7, 6. *Gal.* 3, 17.), deinde ab occupata Palaeſtina ad imperii regii initia (ad *Act.* 13, 20.), ratio porro ducendorum ſeptuaginta annorum ſeruitutis Babylonicae et hebdomadum Danielis, [m]) quae habent coniunctionem cum tempore paſſionis dominicae, de quibus multae multorum diſputationes extant, e quibus iuuabit tirones, conſuluiſſe *Voſſium* in *Iſag. Chronol.* qui omnes has et ſimiles quaeſtiones diligentiſſime perſequitur, vel *Vitringae Hypotyp. Hiſt.* et *Chron.*

m) De his tamen antea conſulendus eſt *Eichhor-*

*nius*

*nius* Allg. Bibl. d. bibl. Lit. T. III. p. 761. seqq. et de chronologia in vniuersum, *Frankii* nouum systema chronologiae cum praef. *Gattereri*. Gotting. 1778.

§ 52.

Quaestiones autem chronologicae N. T. propriae sunt primum, quae ad Iesum ipsum pertinent, de anno dieque natali eius, de numero paschatum ab ipso per ministerii publici tempus actorum; vnde magna parte pendet altera, de anno passionis dominicae; cum quaeritur, in quem aetatis Christi annum mors eius inciderit; in quarum nulla consentiunt Chronologi, quorum etiam integri de quibusdam extant Commentarii: nec possunt vtique ita explicari, vt nihil dubitationis relinquatur, summis in hac parte doctrinae viris confitentibus, sibi non liquere: vt magnae impudentiae sit, in iis decernere. Sed hae tamen quaestiones, quid quamque contineat, in quo caussa vertatur, cum suis momentis, notae esse debent interpreti, vt certa ab incertis distinguere possit, et vtcunque, quid probabile sit, videre, nec earum inscitia in errores turpes incidat. mm)

mm) Variant enim euangelistae tum in indicando loco, tum etiam in tempore natiuitatis Iesu Christi. Secundum Matthaeum natus est Bethlehemi in domicilio Iosephi (Matth. I, 25. II, 1.); secundum Lucam in diuersorio eiusdem loci (II, 7.): Iohannes autem de Naza-
rethe

rebus scrupulum iniicit animo (I, 46. VII, 41. f.). Idem valet de tempore natiuitatis Christi: cf. Matth. II, 22. Luc. II, 2. III, 1. 23. quae loca fere omnia in diuersas rationes trahunt lectorem.

§ 53.

Nobilis porro quaestio et cognoscenda interpreti est, de anno Conuersionis Paulinae, a quo pendet ratio annorum ab ipso memoratorum, vt *Gal.* 1, 18. 2, 1. et tempus conuentus Hierosolymitani, *Act.* 15. itinera porro Pauli Hierosolymitana, *Gal.* 1, 18. *Act.* 9, 26. tempora etiam epistolarum quarumdam, denique aduentus primus Pauli in vrbem Romam: vnde patet, eam non negligendam esse. De quo inprimis *Pearsonus* in Annal. Paulin. videndus, qui cum plerisque veterum in alterum a Passione Dominica illigat, et *Fr. Spanhemius*, qui proprio libello eum sexto vel septimo vindicare tentauit. Omninoque notatio temporum Paulinorum cognoscenda est; quam, praeter *Pearsonum*, etiam *Vsserius* in Annalibus diligenter tradidit, nec caeterorum Apostolorum temporibus neglectis. *)

*) Reuixit controuersia vel nostris temporibus inter viros eruditos, videlicet in constituendo ordine itinerum Pauli Hierosolymitanorum: πάλιν enim Gal. II, 1. ad Act. XI, 30. et XV, 2. trahi posse videtur. Quamuis autem sententiam postremam a vero propius abesse nullus dubitem, vereor tamen, vt tota res ad liqui-

liquidum constitui queat, nisi fontes actuum apostolicorum curatius indagentur. Alius enim temporum ordo in his notatur, rursus alius in epistolis Paulinis.

§ 54.

Sed rationes horum temporum vel coniunctae sunt cum temporibus aliis, vt Imperatorum Romanorum et Herodum, etiam Praesidum Syriae, et Procuratorum Palaestinae, vel cum iis comparantur euidentiae caussa, quae sine hac comparatione esse non potest. Igitur Chronologia Augusti, Tiberii, Caii Claudii et Neronis nota esse debet, modusque varius annorum Caesareorum numerandorum, inprimis Augusti et Tiberii, in cuius anno quintodecimo *Luc.* 3, 1. a quo etiam passionis dominicae annus pendet, definiendo, propter illam ipsam varietatem non consentiunt viri doctissimi, aliis numerandi initium capientibus a morte Augusti, de vulgari more, aliis cum *Pagio* ad a. C. 12. 147. a Proconsularis Imperii initiis, *Sueton. Tit.* 21. siue Collegio Imperii, *Tacit. Ann.* I, 3. e potestate tribunitia et in omnes prouincias.

§ 55.

Nec minus implicita sunt tempora rerum sacrarum temporibus Herodum: quod sub extremis Herodis M. forte vix anno aut aliquot

quot menſibus ante mortem eius, natus eſt Chriſtus, totaque eius vita, et res Apoſtolorum, ad excidium vsque gentis Iudaicae per Veſpaſianum, vna decurrunt cum rebus caeterorum, primum Archelai, Herodis Antipae et Philippi, deinde Agrippae vtriusque, quorum minor exciſa vrbe ſuperſtes fuit. Sed Herodum tempora diligenter *Ioſephus* notauit, ſuntque a multis diligenter illuſtrata, nec tamen libera ab difficultate omni aut diſſenſione doctorum.

§ 56.

Iudaica porro Chronologia ex antiquiſſimo more, vt Romana Conſulum, ſic Pontificum M. deſignatione tenetur, vſurpata et ab *Luca* 3, 1. vnde diligenter notati ſunt a *Ioſepho* in Antiquitatum opere. Sed ea in temporibus Chriſti et Apoſtolorum multis difficultatibus obnoxia eſt e mutata per licentiam Herodum et Romanorum magiſtratuum ſucceſſione legitima, de qua poſt dicemus.

§ 57.

In omni autem ratione temporum deſignandorum duo cumprimis obſeruanda: primum, non intelligendos ſemper eſſe annos neque ſingulos ſolidos, in principio ac fine numerandi, ſed cauos, hoc eſt, quamlibet anni

anni partem: deinde in vetere numerandi ratione initium fieri ita, vt praecedens v. c. annus ducatur, fitque alter aut secundus, quem nostra consuetudo primum numerat. Ita fit, vt v. c. illi quindecim anni Tiberii, nostro more computandi, duodecim pleni paullo amplius esse possint.

## § 58.

Habet porro haec res cautiones plures, maxime autem duas: primam, ne temere sumamus pro certo, quod non potest euidenter doceri, et inde pro certis colligamus, quae non minus incerta sunt, quam quod sumsimus; quod est maxime frequens vitium in hoc genere quaestionum: alteram, ne his quaestionibus, in quibus, consentiunt periti, vix aliquid certi esse posse, nimium studii ac temporis tribuamus. Quibus duobus vitiis vitatis, vtiliter studium in his rebus cognoscendis ab interprete futuro ponetur. Restat, vt de historia et rituum morumque scientia dicamus.

## § 59.

Huius vero latissime patet vsus in interpretatione N. Test. adeo multa insunt, quae cum historia, ritibus moribusque antiquis aliquam coniunctionem habent. Sed est haec scientia difficilior, quam in caeteris fere

fere graecis latinisque ſcriptoribus, propterea, quod in illis plerumque vnius modo populi res moresque ſufficiunt, in his Iudaicarum, Graecarum et Romanarum rerum ſcientia opus eſt. Nec leuis earum notitia requiritur, ſed magna et accurata, h. e. e fontibus ipſis per iuſtam linguarum ſcientiam hauſta. Etiamnum luctantur libri Nou. Teſt. cum multis ac ſaepe turpibus ex hoc genere erroribus interpretum, etiam clariſſimorum. Itaque ſi quis hic ab interpretibus modo pendet, nunquam certo gradu poterit incedere, nec verum a falſo diſcernere. Quare omni modo futurus interpres debet curare in tempore, vt hinc bene et per ſeueram diſciplinam praeparatus ad interpretandi ſtudium accedat.

§ 60.

Neque tamen contemnendi erunt, qui de talibus rebus ad interpretandi vſum ſcripſere, vel tradenda aliqua earum parte, vel erroribus vulgaribus caſtigandis. Sed delectus erit adhibendus, e iudicio alicuius in talibus haud dubie periti, et accurate diligenterque verſati viri, qui doceat, id quod tali viro indicare in promtu eſt, vtrum e fontibus quisque recte ac diligenter hauſta perſpicue tradat, an congeſta temere ex aliis, vulgaribusque hiſtoriarum et antiquitatum

tatum Commentariis, Lexicis, academicis et ſcholaſticis Diatribis (Diſputationes et Programmata vocant) et ſimilibus, in quibus oppido paucae dignae lectu ſunt ac probandae. Itaque plurimum proderit, *Scaligeri* Animaduerſiones in Euſebii Chronicon, et Lib. VI. de Emendat. temp. legiſſe, in quibus multi errores vulgares caſtigati ſunt, ad hanc doctrinae partem pertinentes, *Caſauboni* et *Pagii* in Baronii Annales Caſtigationes, *Valeſii* notas ad libros Euſebianae H. E. priores, *Perizonii* libellos ex hac ratione, et alios quosdam, ſi qui ſunt his ſimiles; a quibus etiam exemplum ἀκριβείας et methodi peti poteſt. Aliorum, quamquam clarorum et doctorum virorum, vt *Baſnagiorum*, *Fr. Spanhemii*, Opera melius erit ad iudicandi maturitatem, aetate multoque vſu partam, differre, vt vera a falſis, certa ab incertis diſcernere poſſis. Nos de ſingulis generibus, quid et quomodo diſcendum vſurpandumque ſit, breuiter admonendo, ſtudioſos in viam deducere tentabimus.

§ 61.

Igitur primum populi Iſraelitici vniuerſi, et Iudaici proprie, [n]) fata, ſedes, magiſtratus, ritus ac mores et ad religionem et ad vitam ciuilem pertinentes, cognita eſſe debent cum vniuerſe, quod multa in N. T.

tan-

tanguntur, quae sunt temporum antiquiorum, tum maxime accommodate ad tempora Christi et Apostolorum. Et illa quidem fere nota sunt e V. Test. libris: in his cognoscendis libri humani Iudaeorum, Graecorum ac Romanorum consulendi sunt.

n) Vid. post *Beerii* et *Hessii* libros maiores: Geschichte des jüdischen Volks von Abraham bis auf Ierusalems Zerstörung. Lips. 1791.

§ 62.

Vniuersi igitur populi cum duodecim tribus essent, decem, quarum Samaria caput erat, postea etiam totius regionis nomen, *Io.* 4, 5. abductae sunt a Salmanassare in Assyriam, summissis in earum locum Cuthaeis, qui post Samaritani dicti, religionem Israeliticam, ad formam eam, quae ante illis in terris fuerat, ex instituto Ieroboami, receperunt, admistis tamen fortasse quibusdam suis opinionibus. Sed ea forma religionis emendata et ab idololatrico simulacrorum cultu liberata videtur ab Manasse, qui, ob coniugium cum externa femina, multatus Hierosolymitano Pontificatu, per socerum Sanballatum ab Alexandro M. impetrauerat potestatem templi apud Samariam, quo eodem tempore plures alii Iudaei eo migrauerant simili de caussa, (*Ioseph. XI. fin.*) aedificandi ad formam Hierosolymitani:

quo per Ioannem Hyrcanum destructo, mos tamen colendi Dei institutus in monte Garizim mansit. Etiam plebeios inter Samaritanos tempore Christi de Messia recte sensisse, ipsorum Iudaeorum plerisque incorruptius, sermones mulieris Samaritanae, *Ioh.* 4, 25. docent. Sed de Samaritanis *Waltonus* in Appar. Bibl. Prolegom. XI. et *Relandus* consulendi. °)

o) Conf. quae *Schnurrerus* de Samaritanis publicauit in Repert. Eichhorn. T. IX. p. 1. sqq. et in *Pauli* Repert. T. I. p. 120. sqq.

## § 63.

Secuta est similis Iudaeorum clades per Nabuchodonosorum, regem Babylonicum, abducto in Chaldaeam cum rege populo vniuerso: sed reductus est Cyri decreto populus, et res Iudaica in priscis sedibus restituta. Quod tamen ita intelligendum est, vt plures illic remanserint sponte, qui rem ibi reperissent, et familiam ita constitutam haberent, vt eos fortunae non poeniteret, maluerintque certa fortuna vti, quam incertam sequi. Atque hi sunt, qui cum Assyriacae seruitutis reliquiis Babylone et vltra Euphratem Synagogas habuere, et cultum veri Dei in illis terris propagauere: quorum etiam in N. T. mentio *Act.* 2, 9. Hinc orta videtur Babylonica Christianorum ecclesia, 1 *Petr.* 5, 13.

5, 13. aditum dante ad docendum Euangelium Synagoga. Nam Romam ibi intelligi, ne probabile quidem eſt: idque bene refellit *Scaliger* Canon. Iſagog. L. III. epoch. 13. p. 283. 284.

§ 64.

Sed vt Iudaei non ad vnum omnes abducti ſunt Babylonem, auctore Ieremia, ſed principes, nobiles ac diuites maxime, multis tenuioribus, qui agrum colerent, relictis; ita credibile fit, etiam in Samariticis finibus plures tenuioris ſortis vel neglectos, vel fugiendo ac latendo ereptos hoſtium manibus. Atque etiam, cum Iudaeis e Babylone in patriam reuertendi poteſtas facta eſſet a Cyro, bene docent *Vſſerius*, in *Annalibus*, ad a. 3468. et *Witſius* de decem tribubus, ad calcem *Aegyptiacorum*, multos Samariticae originis, hac opportunitate vſos, cum Iudaeis abiiſſe. Ex quibus intelligi poteſt, quomodo interdum commemorentur *domus Iſraelis*, *Matth.* 15. et *tribus Iſraeliticae*, *Matth.* 4, 14. et *duodecim tribus*, *Iac.* 1, 1. cum de Palaeſtinae incolis loquuntur viri ſancti, aut iis, qui ab his orti ſunt: item vnde *Anna Luc.* 2, 36. de tribu *Aſer*. Conſuli hic poterit etiam *Waltonus* Appar. Proleg. IX, 4. qui et ipſe Vſſerianis vſus eſt.

§ 65.

Nec vero restituti in patriam Cyri beneficio, suis se finibus tenuere. Nam primum magnus numerus a Ptolemaeo I. per vim in Aegyptum abductus est, (quo etiam in Israelitici regni excidio quidam concesserant,) *Ioseph. A. I.* XII, 1. partim in Alexandrina vrbe, iure ciuitatis dato, partim Cyrenis et in Libyae vrbibus collocati, eodem auctore *l. c.* et *c. Apion.* II, 4. Vnde lucem capit *Lucae* locus *Act.* 2, 10. 6, 9. vbi etiam quidam pro Λιβερτινῶν corrigi volunt Λιβυστινῶν. conf. praeter *Grotium* ad h. l. Cel. *Wesselingium* de *Archont. Iudaeorum* p. 24. Sed de rebus Iudaeorum in his regionibus, omninoque eorum conditione extra Iudaeam, cognoscendum est e *Philonis Legatione ad Caium et Oratione in Flaccum*, quorum libellorum lectionem studiosis commendamus. Forte hinc et in Cyprum, quae et ipsa ditionis Aegyptiacae per Ptolemaeum eundem facta, Iudaeorum quasi coloniae venere, *Act.* 13, 4. s. 11, 20.

§ 66.

Post etiam in Syriam et Asiam migrationes multae factae, cum sub Seleucidis Palaestina esset, inprimis Antiochiam, et alias nouas vrbes, alliciente magnis propositis commodis Seleuco Nicatore. vid. *Ioseph.*

XII,

XII, 5. Hinc illa Iudaeorum Antiochiae multitudo, et inde Christianorum, statim in principiis propagatae extra Palaestinam Ecclesiae, *Act.* 11, 20. sq.

§ 67.

Etsi per eas et similes occasiones paullatim in pluribus vrbibus sedes fortunarum posuere multi Iudaeorum, tamen maxime tracti sunt, quibuscunque in locis Asiae atque Europae lucri per mercaturam faciendi spes appareret, primum societate Romanorum impetrata per Assamonaeos (*Ioseph.* XIII, 17.), deinde a Iulio Caesare, nationi illi valde fauente, magna pecunia emta libertate sacrorum suorum, quolibet in loco imperii Romani, nemine impediente, faciendorum, (vid. *Ioseph. A. I.* XIV, 10.) seruantibus Caesaris instituta Augusto et Tiberio. Vnde omnibus in locis synagogae et proseuchae institutae, inprimis Romae, vbi iam Caesare viuo magna multitudo Iudaeorum, caedem eius inprimis lugentium prope ad seditionem: quae etiam post aucta est, habuitque locum proprium ad habitandum trans Tiberim et proseuchas multas. vid. inpr. *Phil. Legat. ad Cai.* pag. 1014. Quare, non dubitari potest, quin praemunire Deus voluerit aditum religioni Christianae in vniuersum orbem. Nam ita Apostolis via data

data est in omnes partes et vrbes; cum vbique essent Iudaeorum synagogae, in quibus exponere doctrinam Christi liceret; vnde per proselytos etiam ad gentiles peruenit. Caeterum, his cognitis, plura in actis rebusque Apostolicis fiunt planiora, vt *Act.* 28, 17. item, quae sit διασπορὰ τῶν ἑλλήνων (*Ioh.* 7, 35.), vniuersa, vel certarum regionum, vt *Iac.* 1, 1. 1 *Petr.* 1, 1. Intelligi etiam hinc potest, quare Ecclesiae, Romana, Antiochena et Alexandrina, maximae ab initio, et hanc quoque ob caussam, clarissimae, et dignitate praecipuae fuerint.

§ 68.

Hic populus, Iesu Christi et Apostolorum temporibus, quibus in Palaestina paruerit, supra iam dictum est, cum de Geographia Palaestinae agebatur. Nec opus est de Herodis familia tradere, quae ad consilium nostrum nihil prosint. Quamquam non decet interpretem eruditum ignorare, quae *Iosephus*, *Dio*, et alii de ea tradidere, collecta et disposita ab viris doctis, qui de gente Herodis scripsere, siue singulis libris, vt *Noldio*, siue in serie historiarum vniuersa, aut per alias occasiones, vt *Pagio* in Critica Bar. *Valesio* ad *Eusebium*, et aliis, etiam *Relando* in Palaestina. Lucem etiam Actorum locis quibusdam affundunt, quae *Iosephus*

*phus* de Herodum rebus, itemque *Philo*, locis ſupra commemoratis, pag. 1034. 980. ſqq. de Pilato et vtroque Agrippa tradunt. Sed ad gentem Herodis pertinet etiam *Philippus* alter, Herodis Antipae frater, non vterinus, ſed e Mariamne, Simonis filia, *Ioſeph.* XVIII, 15, 1. 4. Is duxerat *Herodiadem*, natam ex *Ariſtobulo*, Herodis M. filio, ſororem Agrippae maioris, e qua ſusceperat *Salomen* filiam. Hanc abduxit ab eo Herodes Antipas, hoc nomine ab Iohanne reprehenſus, *Luc.* 3, 19. *Matth.* 14, 3. add. *Deylingium Obſ.* II, 26, 20.

§ 69.

In loco *Lucae* nobili 3, 1. commemoratur etiam Abilenes tetrarcha *Lyſanias*, diverſus ab altero, Ptolemaei Mennaei filio, qui, ſexaginta amplius annis ante, illam tetrarchiam tenuerat, ipſo interfecto, primum ab Antonio Cleopatrae donatam, poſt, rebus conuerſis, a Zenodoro quodam mercede conductam. p) Id fieri ab *Luca* videtur hac de cauſſa, quod in iſta tetrarchia Iudaei multi eſſent, eamque etiam Ieſus ipſe docendo contigiſſet. Atque ita placere video *Caſaubono*, qui de tetrarchis Abilenes accurate exponit *Exerc. Bar.* XIII, 3.

p) Vide *Michaelem*, *Paulum* et inprimis *Kuinoelium* ad h. l. Induunt ſe interpretes in difficultates varias

variis siue grammaticas, siue chronologicas. Quid si statuamus, historiae exterae notitiam ad euangelistae prouinciam non pertinuisse?

§ 70.

De Procuratoribus Romanis, qui et quales fuerint, pariter dictum est supra: sed hic pauca restant admonenda. Primum igitur eorum potestas fuit tantum ciuilis. Etsi enim aliquid militum habuere, tamen iis non ad bellum gerendum, sed ad tutelam munitorum locorum, templi Hierosolymitani, ad custodiam reorum, supplicia poenasque alias sumendas vtebantur, *Matth.* 27, 27. etc. *Act.* 22, 31, quod et in aliis prouinciis vsitatum, quarum Praeses sine imperio militari esset. Etsi autem Iudaica prouincia ab *Iosepho* recte appellatur προσθήκη Συρίας, tamen non magis Procurator sub Imperio Legati Syriae fuit, quam magistratus Cyrenaicae sub Praefecto Aegypti, cuius et ipsa appendicula semper fuit. Nam habuit potestatem gladii, *Ioh.* 19, 10. cum prouocatione, non ad Legatum Syriae, sed ad Caesarem ipsum, *Act.* 25, 11. Habuit tamen coniunctionem haec prouincia cum Syria hanc, vt, cum aliquid maius et extra ordinem agendum esset, in quo imperio militari opus esset, id Legato Syriae mandaretur. Ex quo genere fuit census ab Quirino actus, *Luc.* 2, 2. *Act.* 5, 37. diuersus ab eo, per

per cuius occasionem mater Iesu Bethlehemum venit, eoque prior, vt recte *Herwartus*, *Perizonius* libellis propriis defendunt.[q]) Nam in eo militaris opera vsurpata, vt docet titulus antiquus a *Muratorio* primum editus, et a Cel. *Wesselingio* illustratus. Atque vel hanc ob caussam Interpreti vtilis est notitia Praesidum Syriae, a Pompeio in prouinciae formam redactae; quam institutam a *Casaubono Exerc. Bar.* I, 3. auctam et correctam ab *Norisio Cenotaph. Pis.* II, 16. perfecit *Pagius Crit. Bar.* T. I. p. 23. 24.

q) Argumentis tamen ficulneis; longe meliora dedit Paulus ad h. l. Vide modo, ne euangelistae caussam agens tuam deseras.

§ 71.

Sed de his Procuratoribus eorumque rebus et actis, quae in Euangeliis et Actis Apostolicis traduntur, rectius iudicabit, qui magistratuum prouincialium rationem e latinis scriptoribus accurate cognouerit. Hic *Praetorium*, non ignorabit, esse domum Procuratoris, quod ea esset propria appellatio domus, in qua magistratus prouincialis habitaret, *Matth*, 27, 27. etc. Nam Cicero in Verrinis diserte dicit, Praetorium Verris fuisse regiam veterem Syracusis. Itaque et *Praetorium Herodis*, *Act*. 23. extr. domicilium Procuratoris fuit: certe et hic *Praetorium*

*torium* est magnificum Palatium; cum tra *Phil.* 1, 13. castra praetoriana ad v Romam intelligenda sint, quorum P ctus memoratur *Act.* 28, 16. Sciet p iurisdictionem et iudicia acta sub dio in porticu maiore, magistratu sedente i bunali, *Matth.* 27, 19. quod pro ma centia illorum temporum staret in loco to marmore, quod λιθόςρωτον est *Io.* 19 (vid. *Suet. Caes.* 46. et notas ibi nost multa denique de modo habendi iudicir risque dicendi in prouinciis. Ad qu cognoscendam plurimum proderit, inpri legisse Verrinam secundam de iurisdictio Siciliensi: vnde etiam *Merillius* ICtus pr prio libello historiam passionis dominic illustrauit. Comparasse etiam proderit *A* 25, 23. et *Ciceron. Verrin.* I, 29. Qui l cus diligenter commendatus esse debet st diosis, quod in his rebus a doctissimis etia viris saepe et grauiter peccatum est propt ignorationem analogiae historicae in his r bus, ex fontibus ductae. r)

r) Conf. *Faberi* Archaeol. Hebr. P. I. pag. 10 seqq. et ad paragr. anteced. *Krebsii* opuscula pag. 13 seqq.

§ 72.

Magna etiam potestas fuit Pontificum Iu daicorum, quod iis ius cognoscendi in r

bu

s ad religionem pertinentibus a Romanis
ictum, et ſontes puniendi, forte tamen
ra capitis ſupplicium, *Io*. 18, 31. Nam
od Stephanus Pontificibus et Synedrio de-
rnentibus occiſus, *Act*. 8, 59. id ad He-
dis Agrippae tempora pertinere vide-
r: rr) Itaque Interpreti cognita eſſe de-
t Pontificum, praeſertim illis temporibus
tio, multum ab ſuperiorum temporum
ore diuerſa. Nam poſtquam Lagidae et
leucidae ſibi hoc ſumſerant, vt eorum
reandorum poteſtate contra ius legitimae
ccesſionis vterentur, ſeruato tamen fami-
ae iure, longius progresſi Herodes et Pro-
uratores Romani, identidem etiam, re-
oto priori, alium ſuffecere. Vnde eodem
empore plures Pontifices, ſiue, vt Latino-
rum more loquamur, Pontificii Viri. Ac
neſcimus, an ad tollendam difficultatem,
quae e *Luc*. 3, 1. *Act*. 4, 6. de duobus Pon-
tificibus nectitur, multis et diuerſis docto-
rum virorum diſputationibus agitata, com-
modisſimum et facillimum ſit, exiſtimare,
eos, quibus Pontificatus abrogatus eſſet, no-
minis dignitatem ſeruaſſe, eo quo diximus
ſenſu, et in Synedrio magna auctoritate
fuiſſe; Annam autem hoc plus valuiſſe, et
prope alterum Pontificem fuiſſe, quod non
modo vir prudentisſimus eſſet, contra ius
motus loco, et magnae apud populum au-
ctori-

ctoritatis, sed etiam Caiphae socer, et propterea ab eo inprimis coleretur, et in omnibus rebus maioribus adhiberetur. Certe hanc rationem adiuuat locus *Ioannis* 18, 3. Atque hoc video etiam placere *H. Valesio* ad *Euseb.* I, 10. Caeterorum rationes, *Scaligeri* in *Prolegom. ad Euseb. Chron. Casauboni Exerc. ad Bar.* X, 1. XIII, 4. *Bezae* ad *Marc.* 2, 26. aliorumque excutit *Petauius Doctr. Tempp.* X, 58. qui vniuerse de serie et successione Pontificum adeundus a c. 49-58. vt mittam *Waltonum* in Appar. et alios.

rr) Loca Ioh. XVIII, 31. et Act. VII, 59. neutiquam secum pugnant; multo minus autem cum *Michaele* de lapidatione Stephani tumultuaria cogitandum est. Distingue modo supplicia capitalia potestatis ciuilis et ecclesiasticae: horum ius Synedrio erat etiam sub Procuratoribus; illa a iudicio magistratus Romani pendebant.

## § 73.

Sed Pontificis veluti ὄργανον erat *Synedrium Hierosolymitanum:* in quo memorantur, praeter Pontificem Praesidem, Viri generis Pontificii, Theologi et Interpretes legis (nam hi sunt, qui saepe memorantur in Euangeliis γραμματεῖς) quorum consilio in caussis cognoscendis vterentur, eamque ob caussam et ipsi magistratus s. archontes, (vid. *Vales.* ad *Euseb.* III, 8.) et Senatores

alii,

alii, id eſt, Presbyteri, e Moſaico ſc. inſtituto, *Act.* 4, 5. De quo multi multa e Iudaeorum libris congeſta tradunt, nec neceſſaria ad intelligendos N. T. libros, nec probanda omnia, valde ſaltem incerta; quippe tradita fere ab iis, qui poſt ſublatum Synedrium vixere. Sed hi omnes, qui in illo Synedrio fuere, communi ἀρχόντων nomine appellantur l. c. Nam et 1 *Macc.* 1, 14. 27. ἄρχοντες ſunt Synedrii Aſſeſſores. Omninoque tenendum eſt, quamlibet poteſtatem, quamuis paruam, ac dignitatem, qualis eſt iudicum minorum in ſingulis oppidis, ἀρχὴν, et hinc, qui eam poteſtatem haberent, *Archontas* appellari in ſacris literis, ex interpretatione graeca *Exod.* 2, 13. cauendumque, ne in iſtorum verborum interpretatione verſionibus vernaculis decipiamur, et maius aliquid concipiamus animo, quam res et veritas patitur. Nec aliter ceperim ἄρχοντα *Luc.* 12, 58. qui et κριτὴς appellatur.

§ 74.

In Archontibus vrbanis etiam numerandus, qui ϛρατηγὸς τȣ̃ ἱερȣ̃ dicitur *Act.* 4, 1. et medius inter Pontifices et Senatores ponitur, *Luc.* 22, 52. Nam ϛρατηγὸς Graecis interdum dicitur pro magiſtratu quocunque, vt in iisdem Actis c. 17, 20. Eius munus fuit, in templo quietem et tranquillitatem prae-

praestare. Iudaeum fuisse, vel ex eo patet, quod Pontifici operam nauat in comprehendendis, quos seditiosos putarent, sine auxilio Procuratoris Romani.

§ 75.

Caeterum et alii magistratus Iudaici fuerunt, quorum et vestigia in N. T. reperiuntur. Extra Iudaicas terras quidèm saepe in monimentis antiquis Archontum mentio est, quod genus diligenter et erudite, more suo, illustrauit *Wesselingius*, V. C. in Diatribe de *Archontibus Iudaeorum*, ne altero quidem neglecto, de quo post. Nam Iudaeis datum est Regum, a quibus in suas terras vel deducti vel allecti essent, beneficio, post vero etiam Romanorum, vt suos sibi Magistratus proprios haberent, qui de rebus ad religionem et sacra pertinentibus, forte etiam aliis caussis quibusdam ciuilibus, quae ad solos Iudaeos pertinerent, cognoscerent. De Romanis plane rem demonstrat L. Antonii Epistola ad Sardianos apud *Iosephum* XIV, 10, 17. Sed in Aegypto praeter magistratus et archontas oppidanos, quales memorantur in titulo graeco Berenicensis Ciuitatis in Cyrenaica apud *Maffeum Antiquit. Gall. Epist. 1. et 8. Wesselingii* Diatriba illustrato, fuit etiam maior Alexandriae ex instituto antiquo, qui toti genti prae-

praeesset, atque ea de caussa *Ethnarcha* (apud *Philonem* etiam γενάρχης) diceretur, auctore *Strabone* apud *Iosephum* XIV, 7, 2. cui ab Augusto *Senatus Iudaicus* substitutus, auctore *Philone* in *Flacc.* p. 975. qui et ipse Archontum nomine appellatur p. 976. De hoc *Ethnarcha* est insignis locus apud *Origenem* in Epist. ad Africanum pag. 243. vbi frustra obloquitur *Wetstenius*. Atque etiam praeterea *Alabarches*, vel, vt malunt nonnulli, in his *Wesselingius* pag. 75. *Arabarches*, vt dicatur a Νομῷ Ἀραβίας Aegypti, sitque e genere Nomarcharum, memoratur, qualis fuit *Alexander Lysimachus*, frater *Philonis* Iudaei, apud *Iosephum* XIX, 4, 5. cuius filius, *Alexander Tiberius*, duxit *Berenicen*, Agrippae maioris filiam. Atque ad hunc ipsum trahit locum *Act.* 4, 8. *Alexandrumque* ibi memoratum de Alexandro Lysimacho accipit *Mangaeus*, in praefatione *Philoni* suo praeposita, non improbabili coniectura; quod illum sacerdotali genere natum, et propter liberalitatem in templum gratiosum apud Iudaeos fuisse constat: *Ethnarcham* autem *Damascenum*, qui 2 *Cor.* 11, 32. memoratur, ad Iudaeos referri cum nonnullis, vel hoc non finit, quod *Aretae*-Ethnarches vocatur, i. e. ab Areta impositus Damasco et circumiectis ditionis suae regionibus.

§ 76.

§ 76.

In ipſa Iudaica terra quodlibet oppidum, quamuis exiguum, vt apud nos, ſuos habuit archontas, id eſt, magiſtratus vel iudices, qui cauſſas minores cognoſcerent: de quibus antiquitatum Iudaicarum ſcriptores adeundi. Neque enim ea res multum prodeſt inſtituto interpretis. Huc autem pertinet locus ante indicatus *Luc.* 12, 58. de quo ſententiam noſtram diximus §. 75. diuerſam ab Weſſelingiana p. 106. *Patriarchae* autem et *Primates* Iudaeorum, qui ex illis Archontibus et Ethnarchis videntur orti, non ſunt horum temporum.

§ 77.

Haec fere ſunt vel hiſtorica, vel cum hiſtoria coniunctiora. In ritibus et moribus nihil aptius fuerit ad cognoſcendum, quam de ſingulorum populorum ritibus ac moribus ſeparatim, quid cognoſcendum ſit, videre. Itaque primum Interpreti opus eſt, ſcire ſacerdotum et miniſtrorum ſacerdotalium, id eſt, Leuitarum, iura et munera, deſcriptionemque claſſium et munerum ex illo ordine obeundorum, τάξιν ἐφημερίων vocat *Lucas* 1, 5. 8. de qua praeter *Ioſephum* VII, 14, 7. *Scaliger* in *Canon. Iſagogicis* p. 303. 304. conſulendus. In muneribus autem primum locum tenent preces

et

et ſacrificia, vel ſtatis temporibus anni et diei, vel fortuitis de cauſſis facienda, quae cum ritibus omnibus cognoſcuntur e lege Moſaica. Itaque cum iis coniunctus eſt locus de diebus feſtis et Sabbato. In quibus maxime diligenter cognoſcenda ratio ſolemnium paſchalium, inprimis propter coniunctionem Paſchatos cum paſſione Dominica. De quibus nihil diligentius ſcriptum vidimus *Bocharti* Diſputatione in *Hierozoico P. II. L. II. c. 50.* quae ſtudioſis eſt legenda. Sed tamen in hac ipſa Iudaeorum magiſtris interdum nimis tribuit in rebus, quas ipſi non viderunt, et de quibus potius philoſophati ſunt, quam, quid factum eſſet, ex idoneis auctoribus tradidere, contra teſtimonia diſerta antiquiorum, qui iſtis rebus interfuerant. Quale eſt, quod cum *Cudwortho* mactationem agni paſchalis, etiam in Hieroſolymitana vrbe, vltimis temporibus, vindicat ſacerdotibus ſolis, cum *Philo*, qui genere ſacerdotali natus ac Theologus fuit, ſaepeque, quid ibi ageretur, vidit, nec vllo modo rem talem ignorare potuit, diſerte tradat, ab vnoquoque patrefamilias mactari agnum ſolitum, de *Vit. Moſ. III. p. 686.* quo probato, multae et inextricabiles difficultates tolluntur. *)

*) Cf. librum noſtrum: Bibliſche Theologie t. II. ed. 2. p. 392. ſſ.

§ 78.

Sed ſacrorum omnium ratio, et multa praeterea loca Noui Teſt. non bene intelligi poſſunt ſine notitia templi, quod ab Herode M. per partes deſtructum et reſtitutum eſt. In quo rurſus fruſtra fides detrahitur *Ioſepho*, ſacerdoti, qui illud templum viderat, non hiſtoricis argumentis, ſed metu, ne ea res obſit loco nobili *Hagg*. 2, 10. de templi ſecundi dignitate: cum ea *Ioſephi* narratio bene conueniat teſtimoniis apud *Matthaeum* 24, 1. et *Io*. 2, 20. Sed nos illum etiam metum inanem eſſe demonſtrauimus in proluſione de templo ſecundo ad *Haggaei* locum. In templo autem cognoſcendo nihil attinet, imitari eos, qui in Salomonei templi deſcriptione tota conſtituenda fruſtra laborarunt. Nam etſi *Ioſephus* ſcriptor eſt eruditus diſciplinis et artibus, a quo accurata deſcriptio erat ſperanda: tamen rei natura non patitur, talium operum, praeſertim magnorum et e multis partibus nexorum, deſcriptiones tales fieri, ne ab architecto quidem dicendi perito, vt ſine figuris plane intelligi, et inde forma eorum accurate vel concipi vel pingi poſſit: quod patet exemplis deſcriptionum talium apud diſertiſſimos et peritiſſimos ſcriptores, etiam *Vitruuium* et *Plinium*, cuius villas nemo

adhuc

huc potuit ex eius deſcriptione ita exprimere, vt peritis ſatisfaceret.

§ 79.

Itaque ſatis erit ad intelligendum, noſſe primum diſcrimen ναοῦ et ἱεροῦ, deinde partes maiores, ναὸν, in quo et τὸ ἅγιον, ſolis ſacerdotibus patens, cum ſacris nonnullis (*Ebr.* 9.), de quibus non poeniteat *Deylingium Obſeru. II.* n. 47. legiſſe, et ἄδυτον, in quod *ſoli* Pontifici, *vna* modo *die*, *ſemel* ingredi fas erat, vt rurſus *Philo Leg. ad Caium* pag. 1035. tradit, *non quater*, vt magiſtris Iudaicis vulgo creditur: circumiectam porro aream, in qua ara, vbi ſacrificia et preces factae, quo non adire liceret, niſi Sacerdoti et Leuitae, atria deinde caetera, baſilicas nobiliores, in hiſtoriis ſacris memoratas, et loricas vel ſepta, quibus atria diremta, h. e. ſubſtructiones, in quibus oeci plures (*Act.* 2, 2.) ſeruientes coetibus diſcentium, precantiumue, diaetae et cubicula ad vſus Sacerdotum et Leuitarum λειτουργίας tempore, gazophylacium, etc. Quibus bene notatis ac diſtinctis, licebit in ſingularum rerum commemoratione, ad ſuum quaeque locum et vſum referre, ne morum noſtrorum cogitatione conturbemur, et ineptas res comminiſcamur contra hiſtoriam et templi rationem; cuius generis multa me

audire ac legere memini, quae commemorare non eſt neceſſe. Alia, quae e magiſtris Iudaeorum minute proferuntur, vel commentitia ſunt, vel Interpreti nihil proſunt. De magiſtratu templi ante dictum.

## § 80.

Sacris, ſed ſine victimis, faciendis, precando, libros ſacros praelegendo et interpretando, ſeruiuere etiam ab antiquiſſimis temporibus, *Act.* 15, 21. *Synagogae* et *Proseuchae*, quae extra vrbem in omnibus fuere locis, quae a Iudaeis habitarentur, poſt libertatem ſacrorum impetratam quocunque in loco, etiam extra Iudaeam, ipſa in vrbe Roma. vid. ſupra §. 67. In vrbe Hieroſolymorum ipſa templum ſuperuacuas proſeuchas fecit: nec locus *Io.* 18, 20. aut *Act.* 6, 4. aduerſatur. Itaque nulla in vrbe proſeucharum mentio in libris ſacris. Interdum nihil aliud, niſi locus, etiam ſubdiualis, ſed ei rei deſtinatus, hoc nomen tulit, vt *Act.* 14, 13. Nec differt Proſeucha a Synagoga, praeterquam nomine: niſi forte Synagoga interdum maior Proſeucha, vt placet *Valeſio* ad *Euſebium* II, 6. qui, vt opinor, fruſtra laborat in diſcrimine vtriusque conſtituendo. Synagogarum Praefectos, id eſt, ἀρχισυναγώγȣς et ἄρχοντας fuiſſe, qui ſacris praeeſſent, et poteſtatem dicendi

dicendi facerent, nihil dubitationis habet, *Matth.* 9, 18. vbi vid. *Grotius*, *Marc.* 5. etc. Et ſunt alia, quae de more Synagogarum certis ſacrorum librorum teſtimoniis docemur, vt, non fuiſſe certos doctores, ſed vnicuique poteſtatem fieri potuiſſe docendi, qui peteret, *Matth.* 4, 23. *Luc.* 4, 15. ſeq. vbi etiam miniſter Synagogae memoratur v. 20. etiam poenas ibi minores ſumtas ab noxiis, vt flagellationem, *Matth.* 10, 17. Caetera, quae e magiſtris Iudaeorum proferuntur, diligenter ab his diſcernenda, vt fortaſſe nouitia et poſterioris aetatis, nec ad interpretationem librorum ſacrorum conferenda; quod fecerunt interdum, qui de hac parte antiquitatis vel in Corpore antiquitatum hebraicarum vel propriis libris ſcripſere, vt *Vitringa*, et alii.

## § 81.

Nec, quae de Scholis Iudaeorum traduntur, qualis fuit Gamalielis *Act.* 22, 3. et aliorum in vrbe, et aliis poſt locis, vt Babylone, Tiberiade etc. ad ſolas Synagogas, quae Proſeucharum numero ſunt, trahenda: quippe et in templi porticibus et Hieroſolymis aliisque locis publicis, vt Athenis philoſophi, docebant, hoc eſt, de rebus ſacris per occaſiones datas diſſerebant, *Luc.* 2, 46. Atque in his quoque Scholis cauen-

cauendum, ne iis aut noſtros mores affingamus, eas noſtris ſimiles credamus, aut omnia, quae de poſteriorum ſeculorum ſcholis Iudaicis traduntur, ad illius aeui ſcholas trahamus. Diſciplina autem earum nihil aliud habuit, quam interpretationem legis et Prophetarum, quae ſola Iudaeorum ſapientia fuit, ab Iudaeis iis, qui graece ſcriberent, φιλοσοφία, more Graecorum, dicta, etiam Paulo in epiſtolis: nec quicquam aliud, neque in libris ſacris, neque apud *Ioſephum*, hoc nomine intelligi debet, cum de ſuo populo aut de religione ac ſacris loquuntur. Theologiae verbo de rerum ſacrarum ſcientia vti, mos illorum temporum non ferebat. Ne illud quidem probem, quod vulgo e verbis Pauli, quibus ſe παρὰ πόδας Gamalielis ſediſſe ait, *l. c.* imaginantur ſedem doctorum editiorem: nec aliud in his verbis intelligi debet, quam *Luc.* 10, 39. vbi Maria παρὰ πόδας Ieſu ſedens audit eum diſſerentem, aut *Luc.* 2, 46. vbi Ieſus apud doctores inter ſe diſputantes ſedet, ſc. in ſolo, atque adeo παρὰ πόδας eorum. In verbis quidem Pauli nihil tale intelligendum.

## § 82.

Sed huius Philoſophiae, id eſt, Theologiae, ſectas plures fuiſſe, ab diuerſitate inter-

interpretandarum ſcripturarum dogmatumque ortas, *Phariſaeorum* et *Sadducaeorum*, claris librorum ſacrorum teſtimoniis conſtat: nam tertium genus *Eſſaeorum*, quod ſuperioribus adiungit *Ioſephus B. I. II. 8.* et alibi, magis viuendi diſciplinam ſeueriorem habuit, quam propriam et diſſidentem ab aliis Theologiae formam, nec vlla eius in ſcripturis mentio. De quibus ſectis multiplex diſputatio eſt virorum doctorum, multis et magnis libris explicata; quam cognoſcere etſi non alienum eſt a perſona interpretis; tamen ad interpretationem ipſam parum proderit. Satis erit, quae *Ioſephus* habet, legiſſe. [s]) Et Euangelia ipſa ſatis perſpicue de eorum opinionibus atque inſtitutis tradunt. Ad diſputationem Paulinam de legis imbecillitate ad veram ſanctitatem homini ingenerandam forte vtile erit, e *Ioſepho* cognouiſſe opinionem Phariſaeorum de libertate et legis vi, quam illi talem putabant, vt homini legem edocto ſeruandae legis facultatem tribuerent. Caeterum Phariſaeorum nomine et Sadducaeorum appellati videntur non modo Theologi ipſi, ſed etiam caeteri, qui eorum opiniones et mores ſequerentur. Ac ſic forte accipienda haec nomina *Matth.* 3, 7. Nec vero hos doctores noſtris ſimiles, publica auctoritate conſtitutos fuiſſe exiſtimandum eſt. Licebat

bat doctorem agere, qui poſſet ac vellet, ex omni genere vitae. Nam Paulus quidem, etſi exercebat opificium, tamen theologum agere cogitabat, idque etiam, iam doctor religionis Chriſtianae, exercebat.

s) Adde quae in Chronico Samaritano leguntur in *Pauli* Repert. Lit. Bib. Tom. I. p. 142. ſ.

§ 83.

Et haec ſunt fere maiora ex hoc genere. Caetera, etſi minora ſunt, vt de temporis diſtributione, de ponderibus, menſuris, numis, veſtibus, poenis etc. tamen ignorata, interdum impediunt interpretem in difficultates, aut ad comminiſcendas ineptias deducunt. Itaque cognoſcendum anni ſacri et ciuilis diſcrimen, quorum ille a Martio, hic ab Septembri initium capiebat; ratio porro menſium, quos lunares vſurpatos conſtat, imprimisque dierum et noctium diſtributiones. Et noctem quidem in vigilias quatuor diuiſam fuiſſe, patet *Matth.* 14, 25. *Luc.* 12, 38. nec id ab Romanis aſcitum, ſed e vetere inſtituto ſeruatum, *Thren.* 2, 19. *Iud.* 7, 19. quamquam quibusdam olim tres modo fuiſſe videntur: diem autem naturalem totum in duodecim horas, e *Io.* 11, 9. vt apud Romanos, per totum annum, niſi aequinoctialibus diebus, inaequales; quas quomodo menſi ſint, quod nos quidem ſcia-

mus,

mus, non diſerte traditur. Tertia, ſexta et nona cuiusque diei ſacris publicis ſolennes fuere. Totum denique tempus pomeridianum, ex antiquiſſima ratione diei in *mane* et *veſperi* diuidendi, veſperae nomine appellatur, diuiſum tamen in duas partes aequales, quae et ipſae veſperae appellatae, *Matth.* 26, 20. add. *Scaligerum* de *Emend. temp.* p. 568. Hebdomada dierum σάββατα, atque etiam σάββατον vocant Euangelia, *Marc.* 16, 1. *Luc.* 18, 12. etc.

## § 84.

Menſurarum Iudaicarum rara mentio in Nou. Teſt. *Batus* et *Corus* ſunt *Luc.* 16, 6. 7. illa liquidorum, haec aridorum. *Batus* aequat fere *Metreten* Graecorum, *Io.* 2, 6. qui 72. ſextarios (ξέςες) habet, auctore *Ioſepho* VIII, 2. hoc eſt, ſex congios, qui tres amphorae quadrantes aequant. *Corus* autem, qui eſt *Chomer*, capit decem batos, *Ezech.* 45, 11. *Choenix*, *Apoc.* 6, 6. eſt ſexta modii pars, qui habet pedem cubicum. t) Huc referre etiam licet *Viam Sabbaticam*, *Act.* 1. quam bis mille paſſibus, hoc eſt, octo ſtadiis definiunt Iudaeorum magiſtri, cum Interpres Syrus ſeptem ponat, etiam locus *Ioſephi* aduerſari videatur. v. Interpp. ad *Act. l. c.* et *Hauercampum* ad *Ioſephi l. c.* Sed de menſuris omnes libri

libri vulgares antiquitatum Iudaicarum. In quo genere vniuerso videbunt, qui aliquid intelligere velint, ne vulgaribus nominibus modii, etc. contenti sint, sed tum demum se intelligere aliquid putent, cum geometrice, hoc est, pedibus et digitis, exprimere magnitudinem possint. Nam ne comparatio quidem cum Romanis aut Graecis mensuris, qua *Iosephus* vti solet, sufficit, nisi harum magnitudinem ad pedis rationem reuocare possis. Caeterum in hoc genere nemo diligentior est *Eisenschmidio* in libro *de Ponderibus et Mensuris:* cui et *Lamius Appar. Bibl. I, 15. 16.* addi potest. *Numi* autem fere Graecorum et Romanorum sunt, qui in Euangeliis commemorantur. Nam Graecis numis vti coeperunt, ex quo tempore sub Graecorum imperium venerant; Romani autem cum ipso Romanorum imperio inducti. Hebraicos *Siclos* interpretantur ἀργύρια, *Matth.* 26, 15. quos Graecorum tetradrachmis comparat *Iosephus A. I. III, 8, 3.* quod firmant *Gronouius* de *festert.* p. 168. et *Relandus* de *Numis Samar. Diss. V.* pag. 188. et cum versione τῶν ό, quae δίδραχμον interpretatur, conciliat *Deylingius Obseru. S. P. III. n. 25. §. 9.* Nempe Alexandrinum δίδραχμον par est tetradrachmo Attico. Tetradrachmo par est *Stater, Matth.* 17, 27. coll. 24. *Sicli* igitur vel

stateris

ſtateris dimidium eſt *διδραχμον*, *Matth.* 17, 24. quae ibi eſt pecunia ſacra templo quotannis ab vnoquoque inferenda. Sed ſicli nomen proprie ponderis eſt (de quo vid. *Eiſenſchmid. S. I. c. 4.*) aequans fere ſemunciam Romanorum. Sexaginta ſicli conficiunt *minam*, ter mille autem *talentum*. De caeteris numorum graecorum et latinorum generibus dicere, nil attinet: ſunt enim pueris nota. De vſu horum numorum vniverſo aliquid admonere, non alienum fuerit. Et quoniam ea res habet aliquam coniunctionem cum vectigalibus et tributis, de his praemonendum eſt.

t) Vid. quae de litra nuper diſputavit *Kirſchius* in Edit. Barhebraei ad Chron. Syr. p. 559.

§ 85.

Romani igitur, ex quo in Palaeſtinam aliquid poteſtatis vſurpare coepere, eam tributariam reddidere, auctore rei Pompeio, qui, cum, Conſule Cicerone, controverſiam inter Hyrcanum et Ariſtobulum ſecundum Hyrcanum diremiſſet, tributum impoſuit, non permittente modo Hyrcano, ſed etiam adiuuante: quo reſpexit forte *Cicero Flacc.* 28. certe ſic intelligebat *Scaliger Animadu.* ad *Euſeb. Chron.* p. 153. Provinciarum autem in numerum redacta, per *P. Sulpicium Quirinum* res tributaria conſtituta

ſtituta eſt acto cenſu, *Luc.* 2, 2. *Act.* 5, 37. add. ſupra §. 70. Procuratore *Coponio.* Atque huc pertinet haud dubie locus *Matth.* 22, 17. Huius cenſus, ac tributi e cenſu ratio, cognoſcetur optime e *Verrinis Ciceronis*, *Tacito*, apud quem ſaepe cenſuum prouincialium mentio, vt *Ann.* I, 31. vbi videndus *Lipſii Exc. K.* et aliis latinis ſcriptoribus. Sed tum etiam vectigalia omnia ad Romanos rediere, quorum genus vnum modo diſerte in Euangeliis memoratur, quod in portubus, portorii nomine, ſoluebatur. Vtriusque exactio fuit eiusmodi, more Romano, id quod e Verrinis patet, vt cenſus exigerentur a magiſtratibus vrbis cuiusque, et inde confecta pecunia tributi vel ſtipendii (φόρȣ) nomine ſolueretur, vectigalia autem (τὰ τέλη) a publicanis per operas ſuas, quarum praepoſitus *Promagiſtro* (*Verrin.* II, 70.) dictus. Atque hae operae intelligendae in τελώναις, *portitores*, promagiſtro autem in ἀρχιτελώνῃ Zachaeo: nam publicani non erant niſi equites Romani: in miniſterio exactionum autem fere prouincialium hominum opera vtebantur.

## § 86.

In his tributis vectigalibusque ſoluendis non modo Romanam, ſed etiam Graecam pecuniam valuiſſe, dubitare nos non ſinunt

vete-

veterum testimonia. Nam proprie quidem in pecuniis describendis et vectigalibus exigendis, certe in illis, h. e. tributis, modus pecuniarum more Romanorum definitus, vnde denarius est νόμισμα κήνσȣ, *Matth.* 22, 17. sed accepti pro Romanis Graeci, drachma pro denario, et pecunia talis a publicanis vel negotiatoribus Romanis, qui in prouinciis essent, permutatione facta, Romam curata est, vt ibi pecunia Romana aerario numeraretur.

§ 87.

Secus fuit in numeranda pecunia, quae aerario templi deberetur ex lege. Nam ea soluta numis Iudaicis. Itaque vt tales numi essent in promtu daturis aliquid religionis caussa, et permutari graecis latinisue possent, institutae in templo mensae argentariorum, in quibus pecunia talis emi posset. Hi sunt κολλυβισαὶ et κερματισαὶ, quorum mensas euertit Iesus, *Matth.* 21, 12. *Io.* 2, 14. In pecuniae sacrae numero fuit et δίδραχμον s. semisiclus, qui ab vnoquoque Iudaeo, etiam extra Palaestinam, solueretur, *Matth.* 17, 24. cuius pecuniae etiam apud profanos, vt apud *Ciceronem Flacc.* 28. qui est locus classicus, *auri Iudaici*, et in *Codice Theod.* *auri coronarii* nomine mentio est, de quo hic dici non est necesse. Caeterum qui de eo velint cognoscere, adeant interpretes *Ci-*

*ceronis*

*ceronis* l. c. et *Gothofredum* ad *Cod. Theod. Lib. XVI. tit. de Iudaeis l.* 14. 17. etc.

## § 88.

In caeteris vitae communis ac ciuilis partibus non multum eſt, quod morari interpretem poſſit. In veſtitu ἱμάτιον reſpondet Graecorum pallio, et χιτὼν ac ϛολὴ Romanorum tunicae vel breuiori vel longiori: qua ſeueriores, vt prophetae, quos Ioannes imitatus eſt, *Matth.* 3, 4. e cilicio facta vſi. vid. *Ioſeph. A. I.* V, 8, 4. In tunica cinctu vſi ſunt viri, *Act.* 12, 8. Tunica ἄῤῥαφος et ὑφαντὸς δι᾽ ὅλȣ *Io.* 19, 23. eſt, quae non e duabus plagulis ſiue ſegmentis fit, in latere vtroque fibula aut acu nectendis, ſed conſtat vna continenti tela, nihil habente ſuturae aut commiſſurae in lateribus aut humeris, qualem deſcribit *Ioſephus A. I.* III, 7, 4. tunicam talarem ſ. ſtolam Pontificis, quod et ϛρογγύλον ἔνδυμα vocat *B. I.* V, 5, 7. Huius tunicae conficiendae modum deſcribit *Theophylactus* ad *loc. cit.* et Palaeſtinae proprium tradit e *Chryſoſtomi Homil.* 84. *in Io.* adde *Rubenium* de *Lato clauo* I, 9. qui recte repudiat rationem *Salmaſii*, (ad *Script. Hiſtor. Aug.* Tom. II. pag. 679.) tunicam e conſutis, non fibula commiſſis ſegmentis intelligentis, multis temere ſequentibus. Delicatiores pluribus tunicis vſi ſunt,

(ut Auguſtus apud *Sueton.* 82.) vnde Ieſus vna contentos eſſe iubet diſcipulos, *Matth.* 10, 10. Κράσπεδα *Matth.* 23, 5. ſunt in pallio *Marc.* 9, 20. laciniae, quae Graecis πτερύγια. Nam fimbrias adſutas habuiſſe Ieſum, non credibile. Λευκὰ ἱμάτια *Matth.* 17, 2. ſunt Latinorum *candidae veſtes*, ab artificio fullonum, *Marc.* 11, 5. a ſplendore etiam ἐξαστράπτοντα. Nam et *Cyrillus*, *Catech.* 2. veſtem baptizandorum ἀστράπτουσαν appellat. Ὑποδήματα interdum eadem cum ſandaliis, id eſt, ſoleis ligneis, quae corrigiis deuincirentur, *Marc.* 1, 7. interdum calcei caui, quorum vſu ſuis interdicit Ieſus, *Matth.* 10, 10. Nam ſandaliis vti ſinit, *Marc.* 6, 9. iisque vſus Petrus, *Act.* 12, 8., add. *Salmaſius* ad *Tertullianum de Pallio* p. 388.[u])

u) Plura dabit *Braunius* in libro, de Veſtitu ſacerdotum hebraeorum. Amſtelodam. 1701. 4.

§ 89.

Modus coenandi nihil, praeterquam in precibus, diſſimilitudinis habet a Graeco aut Romano. Nam pariter circa horam vndecimam fit coena, et in ea lectis ſtratis (*Marc.* 14, 15.), etiam in paſchali, *Marc.* 14, 18. diſcumbitur, ſecus quam in principio factum, et *Bocharto* loc. cit. pag. 601. viſum. vid. *Scaliger Emend. Temp.* pag. 570. Cibus manu

manu ſumtus, ſine fuſcinae et cultri vſu, vnde mos lotionum in coenis, *Marc.* 7., 3. et fractio panis lati et tenuis. Vinum ſemper cum aqua ſumtum, et quidem poſt cibum ſumtum vel coenam: merum bibere, extra quam in morbo, intemperantis et ἀσώτȣ, et de miſto ſemper οἶνος capiendus. Lauti etiam vnguentis vſi: vnde honos Ieſu habitus effuſa in caput vnguenti lagenula, ἀλάβαστρον vocat *Matth.* 26, 7. cuius confractio *Marc.* 14, 3. de refracta ſuperiore parte colli intelligenda, orificio obſignato, quod ſignum erat genuini vnguenti foris advecti, auctore *Plinio.* Etiam coli (Gr. ἡθμȣ̃) vſus in coenis, ſicut apud alios populos, *Matth.* 23, 24. per quod funderetur in pocula vinum e cratere, ne quid alieni admiſceretur. v. *Chishul* ad *Inſcript. Sigeam* p. 37. ſq. In conuiuiis lautioribus etiam magiſteria conuiuii vſitata, *Io.* 2, 9. non tamen ad modum Graecorum aut Romanorum, ſed quae curam conuiuii haberent. Ea porro in libris N. T. ſemper fiunt Sabbatis: nam alii dies profeſti labori deſtinati. His propria loca in aedibus ditiorum deſtinata fuiſſe, vt Romae triclinia, locus *Marc.* 14, 15. arguit, de quo mox.

## § 90.

Sed omnino aedificandi ratio Iudaica

non

non debet eſſe ignota. Tecta prope plana fuiſſe, vt apud Graecos, vulgo etiam notum eſt pluribus V. T. locis. In aedibus ditiorum memoratur προαύλιον et αὐλή, ſiue duplex aula, *Marc.* 14, 66. 68. conf. *Io.* 17, 15. 16. illud veſtibulo, haec atrio reſpondet, ſiue altera eſt exterior, altera interior aula ante aedes, et προαύλιον eſt, quae Graecis proprie αὐλή. In hac porro *porticus*, in quibus conuiuia acta, et alia, vt ea, quae de Ieſu acta ſunt apud Pontificem Caipham, vt patet e *Matth.* 26, 69. coll. *Luc.* 22, 61. Ὑπερῷον eſt oecus in ſuperiori parte aedium, deſtinatus variis vſibus, vt conuiuiis, *Marc.* 14, 15. nam ἀνώγαιον ipſum ὑπερῷον: *Heſchius:* ὑπερῷα, ἀνώγαια: precibus faciendis et ſimilibus rebus, *Act.* 1, 13. 20, 7. 8. proponendis mortuorum cadaueribus, *Act.* 9, 37. etc. Aedificia priuata, quos πύργους vocant Euangelia, *Matth.* 21, 33. *Luc.* 14, 28. intelligenda locis editis ſtructa, aut altius, proſpectus cauſſa, in vineis, hortis, villis, non, quas nos turres vocamus. vid. *Dukerus* ad *Liuium* 33, 48. v)

v) Et *Faber* in Archaeologia Hebraeorum, cuius primus tantum tomus prodiit. Multa ei inſunt bene expoſita; hic illic tamen (v. c. p. 419. ad Luc. V, 19.) trepidat.

§ 91.

Ea igitur fuit pars funeris curandi, de qua ante. Sed corpus mortui totum innolvebatur fasciis, os tectum sudario, *Io.* 11, 44. 19, 39. 20, 5. quod bene illustrat *Cuperus Obs.* 2, 9. etiam vnctum honoris caussa, *Marc.* 16, 1. *Luc.* 24, 1. *Io.* 19, 39. in quo est pars ἐνταφιασμȣ̃. Adhibiti etiam tibicines, *Matth.* 9, 23. Elatum corpus feretro, illatum est sepulcro, quod ditiores superstructis monumentis ornabant. In ipso sepulcro, quod exciso saxo factum esset, in parietibus cauitates excisae sunt, ad modum corporis humani, in quas illatum corpus; cui rei illa vinctura fasciarum seruiebat: quod tamen secus fuisse videtur in sepulcro Christi, *Io.* 20, 12. vid. *Stephanus Monachus Var. Sacr.* T. II. p. 516. sqq.

§ 92.

Poenae inter Iudaeos vsitatae commemorantur in libris N. T. *lapidatio*, *Act.* 7, 58. seq. ex quo loco coll. *Deut.* 17, 7. moris ratio satis clara est, et *decollatio*, *Act.* 12, 2. *Crucis* poenam, qualis sumta a Iesu Christo, non esse Iudaici moris, contra opinionem *Lipsii*, et aliorum, planum facit, vt alios taceamus, *Casaubonus c. Baron.* 16, 77. nec magistri Iudaeorum inter capitis poenas crucem referunt. Nam quod Moses habet

bet de suspendendis maleficis, id de interfectorum gladio, aut alio modo, cadaueribus, contumeliae caussa, ad occasum solis suspendendis e palo, intelligendum: x) nec quemquam verba σαυρὸς, σαυρȣν, et similia, quae de crucis poena dici solent, conturbare debent. Sed omnino ambigitur, Iudaei poenarum capitalium sumendarum ius habuerint sub Procuratoribus, nec ne. Analogia iuris prouincialis sane non finit, hoc ius iis concedi. Itaque si fuit, excepta fuerit, necesse est, in formula prouinciae et iure Iudaeis concesso, potestas interficiendorum e legibus suis, quos religio occidi iuberet; quod non abhorret ab iis, quae Iudaeis Caesarum decretis tributa sunt. Locus tamen *Io.* 18, 31. obstare videtur, in quo simpliciter Iudaei profitentur, sibi *nullius* interficiendi ius esse. Nec iuuat locus *Act.* 7, 57. Nam vix satis liquet, an ea res ante acta sit, quam imperium Iudaeae ad Agrippam rediisset.

x) Conf. Ioh. Bened. *Michaelis* de Poenis Hebraeorum capitalibus. Halae 1749. et I. D. *Michaelis* Ius Mosaic. Tom. V. §. 231. seqq. Vide obseruat. ad §. 72.

## § 93.

In caeteris poenis *fustigatio*, eiusque modus occurrit 2 *Cor.* 11, 14. dein *flagellatio*, *Matth.* 10, 17. denique *excommunicatio*,

*Io.* 9, 22. de qua multa et anceps est disputatio. In qua vereor, ne, vt in aliis capitibus, recentiora cum antiquis commisceantur, sitque proprie vna excommunicatio, quae l. c. exprimatur, submotio a communione sacrorum, quae, extra Hierosolyma, exclusione ab aditu Synagogarum cernatur. Certe loca 1 *Cor.* 5, 5. 16, 2. male ad excommunicationem trahuntur, vt bene monet *Basnagius Dispp. Antiqu. S. Disp.* 1. (*T. II. Annal.*), quem tamen non sequar, defendentem cum *Seldeno*, eam tantum pertinuisse ad remotionem a congressibus priuatis ac ciuilibus, quae ne in christiana quidem excommunicatione intelligitur, nec hoc esse potest *ἀποσυνάγωγον εἶναι*. Haec de ritibus, institutis ac moribus Iudaicis, et iis, quae propria Iudaeorum fuere, et caeteris, quae ab imperio alieno orta sunt, et coniunctionem aliquam cum rebus Graecorum et Romanorum habuere: ad Romana et Graeca veniamus.

§ 94.

E Romana igitur historia res Caesarum ab Augusto ad Neronem cognosci debent, sub quibus Iesus vitam in his terris egit, Apostoli docuerunt, et Ecclesia Iesu Christi constituta est, propterea, quod in Euangeliis et Actis Apostolorum multa sunt, quae vel explicari

explicari ſatis non poſſunt, niſi Caeſarum rebus accurate cognitis, vel certe lucis aliquid inde accipiunt. Quae autem ad hanc partem hiſtoriae Romanae pertinent, optime diſcuntur e *Tacito*, *Suetonio*, *Dione Caſſio*, inprimisque *Ioſepho*, vnde pleraque etiam collecta, digeſta, et obſeruationibus illuſtrata ſunt a Viris doctis; e quibus *Caſaubonum* et *Pagium*, libris ſupra laudatis, et *Tillemontium* in hiſtoria Imperatorum, vt ἀκριβεστέρους, maxime commendauerim, quorum Commentarios, qua pertinent ad hunc locum, legent, ſaltem, vbi aliquid vel obſcuritatis, vel dubitationis inciderit, vtiliter conſulent ſtudioſi. In hac ratione inprimis proderit videre, quae Actorum Apoſtolicorum pars ad cuiusque Imperatoris aetatem atque imperium pertineat. Sed hoc proprie ad temporum rationem pertinet, de qua ſupra dictum.

§ 95.

Maxime autem videndum eſt, vt forma imperii Caeſarei, ab Auguſto inducta, bene nota ſit, quomodo, et per quos magiſtratus, respublica domi forisque adminiſtrata fuerit, quid ea denique diuerſi habuerit ab ea, quae libera respublica fuit, cui ab lectione ſcriptorum eorum, qui in ſcholis minoribus tractantur, latinitatis diſcendae cauſſa, adſueti

ſunt

ſunt ſtudioſi, et propterea facile res diuerſas, ſimilitudine nominum decepti, confundunt; in quo genere viros doctiſſimos interdum lapſos vidimus. De Proconſule Cypri ſupra diximus. Inprimis in prouinciis adminiſtrandis non modo vniuerſa ratio tenenda eſt, quam ante explicauimus, ſed etiam commutationes in ea ratione ſubinde factae. Nam et Auguſtus quaedam mutauit, et Tiberius, et caeteri. Achaia et Macedonia Proconſulares in principio, ex Auguſti inſtituto, a Tiberio Caeſareae factae, quas per Legatos regeret; ab Claudio Senatui redditae ſunt: vnde recte et proprie, *Act.* 18, 12. Gallio Proconſul Achaiae appellatur, ſed alia, quam apud Ciceronem P. Sulpicius, vi, vt et Aſiae magiſtratus *Act.* 19, 38. vbi nemo in numero debet argutari. Ita etiam in promtu erit, quomodo loco quoque ἡγεμὼν et ἡγεμονεύειν, et de qua poteſtate capi debeat, iudicare.

§ 96.

Ipſa autem poteſtas prouincialis quomodo iure dicundo et iudiciis exercendis vſurpata ſit, ſciendum eſt, quique in ea mores fuerint. Id vnde optime diſcatur, ſupra monuimus §. 71. Et ſunt multa in narrationibus de rebus prouincialibus, apud *Tacitum* inprimis, quae ad hanc partem cognoſcendam proſunt, inprimis, qua differt ab

ab vetere ratione, quae libera republica fuit, itemque in decimo Epiſtolarum Plinianarum. Ex quo genere eſt mos appellandi Caeſares, et ab decretis magiſtratuum prouincialium ad eorum iudicium prouocandi, nec minus locus de cauſſis iis, quae Caeſaris cognitioni relinquerentur, ad *Act.* 25, 11. 28, 16.

§ 97.

Et quoniam etiam rei militaris, qualis Caeſarum temporibus in Vrbe et prouinciis fuit, veſtigia quaedam ſunt in Euangeliis et Actis Apoſtolorum, haec quoque non ignota eſſe debet. Et in Vrbe quidem, cum ex inſtituto Caeſaris copiae quaedam fuiſſent, ad cuſtodiam ſalutis ſuae, Auguſtus tales copias habuit Cohortium praetorianarum nomine, inducto more a Triumuiris, vt idem plures haberet, cum priſco more ſinguli Duces ſingulas habuiſſent: iisque duo Praefecti praepoſiti, per quas non modò ſalutem ſuam domusque ſuae tuerentur, ſed quas etiam inſtrumenta et munimenta principatus haberent. Eas Caſtris propriis, extra vrbem, vno loco habere inſtituit Tiberius. Ipſae Cohortes et Caſtra pariter *Praetorium* appellata (*Phil.* 1, 13.), atque inde Praefectus Praetorio, ϛρατοπεδάρχης, *Act.* 28, 16. Per hos milites actum, quicquid militari in vrbe miniſterio indigebat. Praefectum eum, qui

a

a Luca commemoratur, *Burrum* intelligendum esse, speciose disputant viri docti: cuius rei iudicium in temporum ratione situm est. Nam numerus singularis in Praefecti verbo, quo inprimis nituntur, quod Burrus hanc potestatem sine collega habuit, quod ante et post ipsum secus fuit, in ea re nihil efficit. Etiam Traianus apud *Plinium* X, 68. de aliquo scribit: *vinctus ad Praefectum Praetorii mitti debet*, et apud *Suetonium* Claudius c. 12. postulat, vt sibi liceat, *Praefectum Pr.* in curiam inducere; ex quibus locis nemo colligit, vnum tum Praefectum fuisse.

## § 98.

In prouinciis porro vel legiones vel cohortes collocatae ad custodiam securitatis vel externae vel internae, et ad ministeria magistratuum, in quibus manu militari opus esset. Legiones maiorum prouinciarum sunt, cohortes minorum, quales Iudaea, Cyrenaica etc. quae a Procuratoribus administrarentur. Itaque in Actis Apost. σπεῖραι modo commemorantur, *Italica* cap. 10. et *Augusta* c. 27. quae non bene a nonnullis pro legionibus habentur, et propter analogiam institutorum prouincialium, et quia legio Italica a Nerone demum instituta est, in cuius tempora locus ille non cadit, denique legio Augusta in iis regionibus nulla fuit. Itaque nec dux maior tribuno occurrit. Sed

haec

haec in pace. Cum bellum esset in tali prouincia, aut belli metus, etiam legiones eo ductae sunt. Locus huc pertinens est apud *Iosephum* A. I. XIX, 9, 2. De legionibus Rom. earumque castris in prouinciis nobilis est locus *Dionis* Lib. LV. pag. 564. in quo valde laborarunt viri docti, *Lipsius*, *Breitingerus*, V. C. et alii. vid. Cel. *Reimari* notam ad illum locum. De Cohorte Italica et Augusta extat libellus *Schwarzii* Altorfini. Caetera, quae ex militari ratione tanguntur in N. T. vt de vigiliis etc. vulgo nota sunt.

## § 99.

Ad prouincialem administrationem pertinet etiam Census, cum aliis reditibus, vel aerario, vel fisco Caesaris inferendis: quod genus supra iam tetigimus. In maioribus prouinciis ea cura fuit quaestorum et procuratorum Caesaris, illis aerarii, his fisci reditus curantibus. In Iudaea res omnis pertinet ad curam Procuratoris. In N. T. census et vectigalia memorantur: de quibus et ipsis dictum. Sed de Censu aliquid hoc loco addendum videtur. Ac de censu eo, qui propter tributa fieret, qui et ipse pro tributo dicitur; (nam vt apud *Tacit. Ann.* I, 11. sunt *tributa aut vectigalia*, sic *Matth.* 17, 25. τέλη ἢ κῆνσος) quomodo actus sit, et per quos, supra diximus: adde *Lipsium*

ad

ad *Taciti Annal. I. 31. Exc. K.* nec in eo est difficultas aut dubitatio. Sed et alterum genus censendi putant viri docti esse, in quo nihil nisi numerus hominum quaereretur, talemque intelligendum esse eum, per cuius occasionem Maria cum Iosepho Bethlehemum venerit, *Luc.* 2, 1. quam sententiam late et probabiliter defendit *Perizonius* de *Augusta orbis terr. descriptione.* Contra dici potest, quod talis census in prouinciis, multo magis in regno alieno, acti nullum vspiam exemplum extat; et si talis census in regno Herodis agi potuit, nihil impedire videtur, quo minus et tributi *alicuius* conferendi caussa actus dicatur, quod vel exemplo Pompeii fieri potuit, vel ex conditione ac lege, qua Herodi regnum alienum concessum est. Sed difficile est, in tali re aliquid certi reperire. *)

*) Quare v. c. Maria censebatur Luc. II, 5.? Respondemus: in Syria etiam feminae tributum capitis soluere debebant; Digest. L, 15, 3.

## § 100.

Sunt alia rerum Romanarum vestigia in libris N. T. vt coloniarum, numorum, poenarum, quas partim propter coniunctionem cum rebus Iudaicis iam attigimus supra, partim, quia nimis nota sunt, praetermittimus. Atque etiam de iure ciuitatis Romanae, quod

quod a Paulo in Actis commemoratur, vulgata ſunt omnia, vt in iis nemo facile poſſit haerere. Illa vero quaeſtio, vnde Pauli vel maiores, vel pater, ius ciuitatis acceperint, haud facile dirimi perſpicue poteſt. Caeterum Verrinae Ciceronis declarant, Imperatores Romanos, qui prouincias obtinerent, extremis reipublicae temporibus, faciles admodum fuiſſe in ciuitate Romana tribuenda prouincialibus, vel propter operam ſibi in aliquo genere nauatam, vel per gratiam, vel propter commendationem alienam. Itaque etiam per talem aliquam cauſſam ad aliquem de Pauli maioribus ciuitas Romana venire potuit.

## § 101.

Graeci ritus veſtigia plura eſſe in N. T. mirum non eſt, cum in Actis narrentur multa in ciuitatibus graecis acta, epiſtolae Pauli autem ſcriptae ſint plures ad Eccleſias in ciuitatibus graecis. Itaque non oportet Interpretem rudem eſſe rerum graecarum, ſed bene noſſe religiones graecas, magiſtratus, inſtituta publica, moresque vitae priuatae. Religionum notitia lucem dabit locis iis, vbi ſacra graeca commemorantur, vt loco *Act.* 19, 35. vbi Dianae cultus eſt Ἐφεσίων νεωκόρων, et Dianae ſimulacrum διοπετὲς, ut *ibid.* 17, 23. et 14, 12. tum his,

in

in quibus infanda Graecorum superstitio accusatur, vt *Act.* 17, 16. *Rom.* 1. *Eph.* 2, 1. etc. item de εἰδωλοθύτοις loco. Nec sine literis graecis intelligi potest, quales magistratus *Asiarchae*, et γραμματεῖς in *Actis* 19, 31. 35. sint: de quibus multi multa, vt *Valesius* ad *Euseb.* IV, 15. *Rubenius* de *Vrbibus Neocoris*, *Spanhemius de vsu et praestantia numism. Diss. IX.* §. 4. etc. item *Areopagitae* Athenienfium, *Act.* 17, 34.

§ 102.

Est etiam, vbi ritus sacrorum graecorum aliquid lucis praebent, vt de ornatu victimarum, *Act.* 14, 13. vbi ταῦροι καὶ στέμματα sunt, id est, *tauri cum vittis.* Ex hoc genere etiam putant esse τὰ τετραχηλισμένα, *Hebr.* 4, 13., quod tamen fortasse rectius a resupinatione noxiorum ducitur, qui contumeliae caussa per vias vrbis ducuntur, vt apud *Sueton. Vit.* 17. coll. 1 *Cor.* 4, 9. Quomodo autem se Paulus περικάθαρμα et περίψημα appellet 1 *Cor.* 4, 13. optime intelligitur e more victimarum piacularium, earundemque humanarum, apud Graecos: quod pulcre illustrat *Lamb. Bos* in *Exerc. Phil. ad N. T.* ad h. l.

§ 103.

Nec dubitari potest, quin res numaria, sicut

ſicut Hebraeorum et Romanorum, ſic Graecorum, nota eſſe debeat Interpreti: quod in pecunia fere verbis graecis vtuntur ſcriptores ſancti, et pecunia hebraica comparatione cum graeca explicari debet, vt ſupra vidimus. Nam, vt nihil dicamus de drachma, quam denario Romano reſpondere, ſatis conſtat, et quartae ſicli parti, et de ſtatere, de quo ſupra diximus: λεπτα *Marc.* 12, 42. commemorantur, quae eſſe drachmis apud Graecos interdum ſynonyma, docet *Gronouius de ſeſtert.* pag. 91. Sed ille locus difficilem habet explicationem, ſi quis nolit contentus eſſe vulgatis verſionibus. Et *Act.* 19, 19. ἀργυρίȣ μυριάδες πέντε occurrunt, quas ad rationem graecam, non ad hebraicam cum *Hammondo*, accipiendas eſſe, in promtu eſt ex ipſa re, et loco rei geſtae, hoc eſt, vt argenti verbo drachmae intelligantur. Eandemque ob cauſſam menſurae et pondera Graecorum cognoſcenda ſunt. Nam talentum et mina eſt in Euangeliis, quae ſi non graeco ſenſu accipienda, certe cum ponderibus graecis comparanda ſunt: quod iam ſupra tetigimus: et μετρητὴν habet *Io.* 2, 6. quae eſt menſura graeca duodecim capiens congios, de quibus et ipſis ante dictum.

§ 104.

§ 104.

Saepe etiam eſt in epiſtolis Pauli, vbi modi loquendi ducti ſunt ab armaturis Graecorum, vt in pulcerrimo loco *Eph.* 6, 10. ſqq. item a ludis gymnicis, vt *Phil.* 3, 12. et in 1 *Cor.* 9, 24. ſqq. quo loco nihil eſt pulcrius: quae lucem capiunt ex inſtitutis Graecorum in hoc genere. Τὸ ὑπωπιάζειν ibi pulcre illuſtrat *Lambert. Bos* ad h. l. et totum illud pag. 26. 27. *Zornius* ad Excerptum *Rhenferdii* in *Bibl. Antiqu. Exeget.* pag. 866. ſqq.

§ 105.

Prodeſt etiam, noſſe morem Graecorum in concionibus habendis, ad intelligendam mentionem theatri in tali re, *Act.* 19, 31. nec minus altero loco, de concione Herodis ad populum Caeſareenſem, *Act.* 12, 21. de quo adeundus *Raniſchius*, in Diſp. ad h. l. et *Ioſephi* de eadem re narrationem. Quid dicam de re nauali, qua non intellecta e libris Graecorum, haud bene interpretetur quis capita Actorum Apoſt. de nauigatione Paulina, inprimis 27, 16. 17. 28. 29. 30. 40. etc. et 28, 11. quem illuſtrant *Scaliger ad Euſeb.* pag. 40. inprimisque *Albertus* ad h. l. Sed omnino de hoc genere, vbi opus erit, conſulendus *Schefferus* in proprio *de re nauali veter.* opere, qui

qui eam rationem diligentiſſime eſt perſecutus. Et ſunt alia antiquitatis graecae, non inutilia interpreti, ſed minutiora, nec difficilia. Nec nobis animus fuit, omnia perſequi, ſed per praecipua capita ire.

§ 106.

Haec autem omnia recenſuimus etiam hac de cauſſa, vt appareret ſtudioſis, quam multa eſſent in libris ſacris, quae ſine hiſtoriae et antiquitatis ſcientia, ſine multis literis graecis et latinis, bene, h. e. vt dignum eſt interprete, tractari non poſſent. Et ſunt aliae quoque cauſſae, quare haec pars literarum atque doctrinae cum caeteris, quas in principio huius capitis commendauimus, etiam atque etiam commendata eſſe debeat.

§ 107.

Nam ſi ii, qui libros humanos, graecos et latinos, tractant, non dubitant omnia excutere diligentiſſime, ad minutias vsque, vt nihil neque in verbis, neque in rebus intactum et obſcurum maneat, atque in eo ſe vtiliter operam ponere putant, laudem quaerunt et inueniunt: certe turpe ſit Interpreti ſacrorum librorum, his non idem tribuere, et ignauiae atque inſcitiae ſuae velamenta quaerere ex eo, quod earum ſcientia nihil ad doctrinam religionis valeat.

§ 108.

§ 108.

Atque etiam illud ſciendum eſt, ingenium humanum, praeſertim ſi ſit non obtuſum, in omni genere doctrinae non contentum eſſe ſcientia rerum neceſſariarum, ſed requirere aliquid amplius et exquiſitius, in quo exercere ingenium et diligentiam poſſit. Igitur optimum fuerit Interpreti, ſe ad hanc partem conferre, ne deducatur ad nugas, et ineptias metaphyſicas, et alia commenta ingenii non ſubacti bonis literis, ad quae ſemper procliues fuere, qui ab literis rudes aut leuiter tincti ad libros ſacros tractandos acceſſere. Nihil aliud ſcholaſticas nugas peperit, et nunc parit ſimiles, et ſomnia vigilantium hominum, quam liberalis doctrinae contemtus et ignoratio.

§ 109.

Sed illud maximum eſt, quod ſine accurata harum rerum ſcientia verba diuina ſaepe torquentur, peruertuntur, et excogitantur, quae pro interpretationibus venditantur, ſed ſaepe ſine riſu audiri, aut legi non poſſunt. In vna paſſionis dominicae hiſtoria quam multi ſaepe nugati ſint, et adhuc nugentur, in promtu eſt iis, qui haec recte intelligunt, atque etiam queſti ſunt interdum docti viri. Sed pleni ſunt et veterum et recentiorum Interpretum libri talibus

bus rebus, quas ab ignorantia hiſtoriae, antiquitatis et linguarum natas eſſe patet. Quod quam indignum ſit libris ſacris, quam diligenter cauendum, omnes vident.

§ 110.

Habet autem haec ratio antiquitatis graecae et latinae, omninoque literarum graecarum et latinarum, ad interpretationem conferendae, plures cautiones. Nam primo videndum eſt, ne eius ſtudio nimis capiamur, deinde, ne ea ſcientia inepte vtamur. In illo vitio ſunt, qui nihil aliud in interpretandis ſcripturis ſequuntur, et hoc prope vnum agunt, vt voces et phraſes graecas e ſcriptoribus graecis illuſtrent, et ſumma diligentia venantur omnia loca, quae ad id conſilium prodeſſe videantur: de quo genere admonui Cap. IX. §. 48. Itaque torquent verba vel ſacrorum librorum ad rationem ſuarum obſeruationum, vel etiam verba humanorum, et cogunt idem ſignificare, quod, aliunde didicere, verba diuina valere. Quo genere ineptiarum pleni ſunt libri Obſeruationum philologicarum e ſcriptoribus graecis. Quod eſt diligenter cauendum, resque ita moderanda, vt nec negligamus lectionem ſcriptorum veterum graecorum conferre ad illuminandas formas vere graecas Nou. Teſt. ſed id faciamus recta ratione et eleganter: in caeteris, ex

hebraicis potius cum verſione τῶν ό comparatis interpretationem ducamus, et ſecundum ea, quae ſupra dicta ſunt, exiſtimemus, plus hanc ad bene interpretandum Nou. Teſt. valere, quam alios graecos libros omnes. In antiquitatibus autem videndum eſt, ne eas alieno loco obtrudamus ſcriptoribus diuinis, et inde exprimamus ſenſus alienos: tum ne fingamus ritus et mores antiquos e verbis male intellectis, cuius generis ipſius exempla in libellis philologicis reperiuntur; nec modo his, qui ad Nou. Teſt. pertinent, ſed etiam, qui ad caeteros ſcriptores graecos et latinos. Nam illud ſupra iam monuimus, hanc omnem ſcientiam certam et accuratam, hoc eſt, e fontibus ipſis recte ductam eſſe debere. Hae literae leuiter tactae ineptos faciunt et nocent, penitus et accurate perceptae modo proſunt.

§ 111.

Ne partem aliquam hiſtoriae veteris praetermiſiſſe videamur, etiam philoſophica attingenda eſt, cuius in Nou. Teſt. libris interpretandis vſum proprio libello demonſtrauit *Walchius*, Theologus Ienenſis Clar. Sed in hac re magna cautione opus eſt. Atque illud quidem parum eſt, quod Stoicorum et Epicureorum Athenienſium

sium mentio est in Actis Apost. propter quem locum non est admodum necessarium, dogmata vtriusque sectae nosse. Nec philosophiam, quae a Paulo aliquot locis commemoratur, huc pertinere, ante dictum est. In epistolis Paulinis autem vestigia philosophiae cuiusdam orientalis, e qua Gnostici hauserint, deprehendi, sunt, qui existimant. Itaque ex illa ratione multa interpretantur loca: in his *Hammondus*. Sed Gnosticos cum sua progenie aeuo Apostolico posteriores esse, satis constat: [y]) ψευδώνυμος γνῶσις 1 *Tim.* 6. alio trahenda, quam ad Iudaica dogmata. In iis autem, in quibus Apostolos putant dogmata philosophiae illius ante oculos habuisse, valde vereor, ne inscitia sit sermonis et sensus Apostolici: velvt cum Paulum *Hebr.* 1, 2. verbis, δι' ἧ καὶ τὰς αἰῶνας ἐποίησε, aeonas Philosophorum improbasse putant, in quo merus hebraismus est, mundi effectionem exprimens, vt omnes olim acceperunt. Itaque cauendum est, ne in hoc genere decipiamur specie doctrinae, quae vt maior est, ita magis suspectam interpretationem facere debet: idque in omni ratione interpretandi inprimis tenendum, videndumque, ne res bona literarum obsit nobis potius in quaerendo vero, quam prosit.

y) Neque

γ) Neque tamen ſemina huius philoſophiae altius repetenda eſſe, quisquam iure neget. Quamuis enim recte exploduntur, qui Platonicae philoſophiae ſemina in N. T. ſibi deprehendiſſe videbantur, occurrunt tamen in eo bene multa, quae ſiue chaldaicae, ſiue graecae originis ſint. Exempli loco eſſe poteſt Pauli doctrina de pleromate, quo Deus primum in naturam I. C. ſublimiorem, deinde in ipſam eccleſiam omnem ſapientiae copiam transfudiſſe dicitur: Epheſ. I, 20. ſ. Col. II, 3 — 10. Fuit itaque gnoſis ante gnoſin et dualiſmus ante Manichaeiſmum, ſimplex tamen vtrumque et rationis vnitate.

---